INSTITUTIONES

PHILOSOPHIÆ

AD USUM

SEMINARII EPISCOPALIS BARCINONENSIS

EDITÆ

A FELICE AMAT:

NUNC DENUO

IN STUDIOSÆ IUVENTUTIS COMMODUM RECUSÆ.

ETHICA.

Editio Quinta

praecedentibus auctior.

BARCINONE:

TYPIS IOACHIM VERDAGUER.

SUPERIORUM PERMISSU.

M.DCCC.XXXII.

PHILOSOPHIÆ MORALIS

SEU ETHICÆ

INSTITUTIONES.

QUÆSTIO PROOEMIALIS.

DE IPSA ETHICA.

ART. I.

DE ETHICÆ NATURA ET DE IDONEO EIUS AUDITORE.

1 PRÆNOTANDUM 1° quòd *Ethica* vox græca, idem quod latinè *Moralis* disciplina, à *moribus*, quos dirigit, appellationem sumpsit. *Mos* autem, licèt quoque significet consuetudinem, hìc sumitur pro inclinatione quadam naturali vel quasi naturali ad aliquid agendum. *D. Th.* 1. 2. *q.* 58. *a.* 1. Itaque ad scientiam Moralem pertinet dirigere eas animi propensiones seu affectus in bonum aut in malum, quæ vel nobiscum natæ sunt, vel repetitis actibus acquisitæ; quæque proindè actionibus, seu actibus humanis, sive bonis sive malis præbent originem.

2 Prænot[m] 2° quòd actionum, quæ ab homine agun-

tur, illæ solæ propriè dicuntur *humanæ*, quæ sunt propriæ hominis in quantum est homo; seu quæ procedunt ex consilio et deliberatione, in quibus homo à belluis secernitur. Actiones enim quæ ex voluntate deliberatâ non procedunt, possunt dici quidem hominis actiones, sed non propriè humanæ, cùm non sint hominis in quantum est homo; ut cùm aliquis aliis intentus fricat barbam. *D. Th.* 1. 2. *q.* 1. *a.* 1. Prænot[m] 3° quòd ut præclarè ait D. Th. in procem. Ethic.: *Moralis Philosophiæ proprium est considerare operationes humanas, secundùm quòd sunt ordinatæ ad invicem et ad finem.*

3 I[a] conclusio: [1] *Moralis est verè scientia*, [2] *à Prudentiâ realiter distincta.* 1[a] pars constat: nam conclusiones certas ex principiis certis deducit; v. g. ex hoc principio *alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*, colligit non esse furandum, non calumniandum, non occidendum, cæt. 2[a] pars etiam constat: Moralis enim scientia et Prudentia separari possunt: nam vir in moralium rerum cognitione versatissimus potest esse malus, sicque imprudentissimus; etenim Prudentia est virtus, et ut ait Arist. II. Ethic.: *Scire non semper prodest ad virtutem.* Hinc Prudentia vitiis ac passionibus corrumpitur; at scientia Moralis non per vitia tollitur, sed per ignorantiam. Itaque actus scientiæ Moralis est scire, seu virtutum, vitiorum, morumque omnium naturas ac dotes perquirere ac demonstrare; actus verò Prudentiæ est ex bonâ finis intentione, quid eligendum sit, congruè præcipere.

4 II[a] conclusio: *Moralis est scientia omninò practica.* Pr. 1° ex eius *fine*, qui est practicus, nempè dirigere intellectum ad benè regulandos actus voluntatis ut ultimum finem, summum bonum, seu veram felicitatem consequatur. 2° ex *obiecto*, quod est etiam practicum, nempè ipse actus voluntatis, ut benè vel malè fieri potest. 3° ex *principiis*; nam hæc quoque sunt practica, utpote purissimi luminis radii, quibus circa fugienda, eligendaque illuminamur. Ex hactenùs dictis colliges, Ethicam seu Moralem sic definiri posse: *Scientia practica, quæ actus humanos dirigit, ut honestatis regulis conformentur, sicque ad summi boni possessionem homines perducant.*

5 III[a] conclusio : [1] *Moralis scientiæ optimus auditor est vir provectus ac continens ;* [2] *ipsius tamen præcipua elementa etiam pueri , licèt incontinentes , edocendi sunt.* Pr. 1[a] pars : Optimus Moralis scientiæ auditor est, qui eius obiectum clariùs cognoscere, et eius finem faciliùs attingere potest; sed hæc sunt propria viri provecti ac continentis : ergo. Min. pr. : Obiectum Moralis scientiæ est honestatis ratio in omnibus humanis actibus, etiam in iis quibus homo cum aliis aut domi aut in republicâ sociatur; finis verò, cùm sit practica, est ut quisque frænatis passionibus omnes suos actus ad honestatis normam dirigat; sed vir provectus et suâ experientiâ maximè iuvatur, ut quod honestum sit clarè cognoscat; et aliunde passiones faciliùs frænat, præcipuè si sit continens : ergo.

6 Pr. 2[a] pars : Ethica est quasi medicina animi ex intemperantiâ passionum humanarum passim ægrotantis ; sed passiones à pueritiâ effervescere solent : ergo etiam pueris necessaria est Ethica, ut practicarum veritatum notitiâ, sicut moralium virtutum acquisitione, quasi opportunis medicamentis, aut sanetur animus si fuerit incontinens, aut ab ægritudine præservatus, rectæ rationis vires servet et augeat.

7 Iam verò noster animus feracissimum solum est, in quo bonorum aut malorum actuum seges uberrima metetur, prout virtutum odoriferis plantis, aut venenatis vitiorum dumetis occupabitur. Vitia suâ sponte nascuntur et crescunt; virtutes non nisi serantur et excolantur. Ergo opus est, ut à primâ pueritiâ salutaribus præceptis laboretur animus, tum ut pauciora vitia pullulent; tum ut pullulantia dum adhuc tenera eradicentur; tum denique ut quæ in animâ iacta fuerint virtutum semina, sequentium ætatum indesinente culturâ, uberrimos et gratissimos fructus omni tempore ferant.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

8 Obi. 1[o] contra I[m] : In mente idem est habitus docens et utens, ut de Logicâ diximus ; sed Moralis docet regulas morum, Prudentia iis utitur : ergo idem habitus est solo munere diversus. ℟. dist. mai. : *in speculabilibus,*

conc. ; *in agibilibus,* nego. Nam nova et præcipua difficultas regularum actionis in ipso usu consistit ; tum ob circumstantias particulares, tum ob passiones iudicium particulare corrumpentes. Et ideò præter habitum scientiæ, qui speculationem regularum dirigit, opus est alio quo ratio practica firmetur ad earum usum in particulari ; ne vel passionum præoccupatione seducatur, aut circumstantiarum varietate confundatur. Id verò spectat ad Prudentiam, quæ singulis attendit, et de his sincerè iudicat : unde magis ex usu et bonâ voluntate pendet, quàm ex doctrinâ et mentis præstantiâ.

9 Obi. 2° contra II^{m} ex Arist. I. Eth. et D. Th. ib. lec. 3 : Iuvenis moribus est inutilis, et iuvenis ætate est insufficiens auditor scientiæ Moralis : ergo. Pr. 1^{a} pars ant. : Animus vitiis corruptus, ac passionibus serviens, utpote circa actiones malè affectus, de veritatibus moralibus vix potest sincerè iudicare, sicut gustus depravatus de saporibus : ergo. Pr. 2ª pars : Iuvenis ætate non habet experientiam actuum humanorum ; sed Moralis scientia præcipuè per experientiam comparatur : ergo. Adde quòd in iuventute et maior est passionum fervor, et minùs robusta ratio ut iis imperet. ℟. dist. ant. : Id est, iuvenis moribus aut ætate, dum talis maneat, in Morali scientiâ non omninò proficiet, conc. ; id est, eam frustrà audiet, nego. Nec ampliùs intendunt Arist. et D. Th. qui optimos auditores desiderant.

10 Unde ad prob^{m} 1^{æ} partis conc. ant. ; et dico hinc solùm colligi iuvenem malè morigeratum, dum talis maneat, parum et inutiliter in morali scientiâ profecturum esse ; at licèt nedum incontinens sit, sed vitiis omninò deditus, salutaribus præceptis utiliter instruitur, ut per ea robustiore facto rationis fræno faciliùs passiones cohibeat, et fiat tandem Moralis scientiæ utilis auditor. Ad 2^{m} dic, quòd Moralis scientia etiam per doctrinam adquiri potest, licèt per experientiam faciliùs et utiliùs addiscatur ; præcipuè id quod ad OEconomicam et Politicam pertinet. Ex quo, sicut et ferventiore passionum impetu, solùm colligitur, provectam ætatem in hac scientiâ magis proficere, quod libenter concedimus.

ART. II.

DE DIVISIONE ETHICÆ.

11 Conclusio: *Ethica non incongruè dividitur in monasticam, œconomicam, et politicam.* Nempè prout Ethica eos hominis actus dirigit, qui ipsi solitario competere possunt, dicitur *monastica*; prout de iis agit quibus homines in familiâ iunguntur, dicitur *œconomica*; et *politica*, prout actus considerat quibus homines in civitate vel republicâ adunantur. Hinc *monastica* præcipuè intendit bonum proprium, *œconomica* bonum familiæ, et *politica* bonum reipublicæ. Hanc divisionem probat D. Th. I. Ethic. lec. 1. ex eo quòd homo naturâ suâ sit animal sociabile, non modò societate domesticâ, sed etiam civili.

12 *OEconomica* et *politica* sæpè usurpantur pro peculiaribus facultatibus, quibus naturalia bona familiæ aut reipublicæ adquiruntur. Sic dicitur *œconomus* ille mercator seu agricola, qui suo labore rem suæ familiæ adauget; et *politicus* ille regni administer cuius arte tuta est in regno pax, activum commercium, vividæ artes, et florens agricultura; quamquam de moribus familiæ aut regni formandis nec minimùm cogitet. *OEconomica* et *politica* dum hìc sistunt, potiùs quàm scientiæ, sunt facultates quædam naturali ingenii vi ac prudentiâ, rerumque peritiâ et usu, magis quàm doctrinâ comparatæ. Itaque *Ethica œconomica* aut *politica* ea est, quæ in mores præcipuè intenta, ipsa bona naturalia ad bonum morale familiæ ac regni perpetuò dirigit.

13 Nos verò hìc Ethicam consideramus, prout hominem in quo inest dirigit ad felicitatem, seu summi boni consecutionem; ac proindè hunc tractatum in tres libros distribuemus, in quorum 1° de ipso ultimo fine seu summo bono; in 2° de actibus quibus adquiri potest; et in 3° de horum actuum principiis disseremus. Sed quoniam homo in familiâ ac republicâ cum aliis adunatus, etiam

familiæ ac reipublicæ bonum curare debet, ut ipse suam felicitatem consequatur; hinc nedum Monasticæ, sed etiam OEconomicæ ac Politicæ principia obiter explicabimus: quantum nempè in hisce facultatibus iuvenes instituti opportunum videatur.

LIBER I.

DE ULTIMO FINE SEU BEATITUDINE.

14 Morum considerationem anteire debet consideratio finis ultimi : nulla enim recta inveniri poterit honestè vivendi via, nisi quò ea ducere debeat, priùs fuerit exploratum. Hinc sæpè advertit D. Th. quòd *finis ultimus se habet in moralibus, sicut primum principium in speculabilibus ;* cuius cognitio præsupponi debet, tamquam cæterarum omnium fons, radix et cardo. Agemus autem 1° de ultimo fine morum secundùm se spectato. 2° de Beatitudine obiectivâ seu re, cuius adeptio hominem felicem efficit. 3° de Beatitudine formali, seu de adeptione illius rei qua homo beatus efficitur.

QUÆSTIO I.

DE ULTIMO FINE IN GENERE.

15 Duo hic præcipuè inquirenda sunt : nempè an omnis homo naturaliter sibi præstituat finem, ad quem omnes suæ vitæ actus generatim dirigat, quique proinde dici possit ultimus finis humanæ vitæ; et quæ sit huius ultimi finis ratio, seu quæ conditiones ea res obtinere debeat, quæ appellari possit *ultimus finis*. Inde verò et aliquas quæstiunculas facilè resolvere, et in quæstione sequenti indagare licebit, ubinam ratio ultimi finis inveniatur, seu quæ sit illa res, quæ beatam vitam efficiat.

ART. I.

Utrum sit aliquis ultimus finis humanæ vitæ?

16 Prænotandum 1° quòd actiones propriè humanæ (n. 2) abs dubio sunt propter finem, seu ad aliquem finem ordinantur. Patet ratione : nam procedunt à voluntate deliberatâ, cuius obiectum est bonum ; bonum autem exercet rationem finis. Etiam experientiâ : ita enim in nobis experimur dum non temerè et inconsultò, sed præviâ cognitione, consilioque operamur. Semper enim obiectum aliquod nos excitat, invitat ac allicit ad operandum ; semper aliquid animo observatur, quod operando consequi volumus. Obiectum autem, cuius amore operamur vel quod in operando respicimus, *finis* vocatur. Hinc *finis, etsi sit postremus in executione seu assecutione, est tamen primus in intentione agentis.* D. Th. 1. 2. q. 1. a. 1.

17 Prænot^m 2° quòd actus humani, quatenùs sunt propter finem, à fine speciem sortiuntur. Est enim finis *principium* à quo procedunt actus humani, et *terminus* ad quem referuntur. Actus verò humani, utpote motus, à suo principio et termino speciem accipiunt. Hinc ait Aug. Lib. de moribus Eccles. et Manich. : *Secundùm quod finis est culpabilis vel laudabilis, secundùm hoc sunt opera nostra culpabilia vel laudabilia.* Cautè tamen adverte quòd actus sumit à fine speciem in esse moris, non in esse naturali seu physico. Unde idem actus secundùm speciem naturæ, ut occidere hominem, potest pertinere ad diversam speciem moris, ob diversitatem finis; nam potest ordinari sicut in finem ad conservationem iustitiæ, et ad satisfaciendum iræ; et sic esse actus virtutis, aut vitii. *D. Th.* 1. 2. *q.* 1. *a.* 3.

18 Prænot^m 3°, ex Met. l. 2. q. 3. a. 3. quòd finis aut est *ultimus* aut *intermedius*; ut in pugnantibus finis *intermedius* solet esse victoria, *ultimus* verò gloriosa pax. Prænot^m 4° finem dupliciter vocari ultimum. Primò *secundùm quid*, seu respectu alicuius particularis negotii. Secundò *simpliciter*, seu respectu totius vitæ; et de hoc quærimus an sit. In quolibet enim negotio facilè deprehendimus ultimum finem, in quem tota eius series tendat et terminetur; ut in medicinâ eiusque operationibus finis ultimus est sanitas, et in studio scientiarum cognitio veritatis : habitâ enim sanitate quiescit solicitudo medici, veritate cognitâ cessat inquisitionis studium. Quæritur ergo, an etiam totius vitæ sit aliquis ultimus finis, cuius adeptio appetitum omninò quietet, hominemque felicem constituat?

19 Conclusio : *Necesse est dari aliquem totius humanæ vitæ finem ultimum.* Ita *D. Th.* 1. 2. *q.* 1. *a.* 4. Pr. ipsius ratione : Impossibile est, ut intentio hominis in dispositione vitæ procedat in infinitum in finibus : ergo. Ant. pr. : Generaliter in causis subordinatis procedi non potest in infinitum, ut probat Arist. VIII. Phys. Tex. 34. *Vid. Metaph. n.* 459; sed fines sunt causæ subordinatæ : nam proximus non agit nisi dependenter à posteriori; v. g. intentio victoriæ non moveret ad pugnam, nisi

priùs intentio gloriosæ pacis moveret ad intentionem victoriæ : ergo.

20 Conf. : Primum in ordine intentionis est finis ultimus ; sed debet esse aliquid primum in ordine intentionis : ergo. Mai. patet ; nam ultimum in assecutione, in quo voluntas quiescit, est primum in intentione, à quo moveri incipit ; ut patet in consultatione medicâ, quæ quia ultimò quiescit in sanitate obtentâ, primò incipit ex sanitate intentâ. Min. verò pr. : Primum in ordine intentionis est quasi principium movens voluntatem : unde subtracto hoc principio nil esset à quo *voluntas* moveretur : ergo cùm voluntas moveatur, etc. Meritò igitur ait D. Th. *in corp.* quòd *si non esset ultimus finis* 1 *nihil appeteretur ;* 2 *nec aliqua actio terminaretur,* nam ultra quemcumque finem esset progressus ; 3 *nec etiam quiesceret intentio agentis*, nam agens semper aliquid ulterius intenderet.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

21 Obi. 1° : Ea quæ sunt rationis in infinitum multiplicari possunt. Unde species numerorum propter hoc sunt infinitæ, quia dato quolibet numero alium maiorem excogitare potest ; sed desiderium finis sequitur apprehensionem rationis : ergo in finibus procedi potest in infinitum ; sicque etc. Conf. : Voluntas infinities reflectere potest supra seipsam : possum enim velle aliquid, et velle me velle illud, et sic in infinitum : ergo nullus est finis ultimus voluntatis.

22 ℟. dist. ant. : quæ sunt rationis, per se connexa, in infinitum multiplicari possunt, nego ; si sint connexa per accidens, conc. antec. et nego cons. Unde quia in demonstrationibus attenditur ordo aliquorum per se ad invicem connexorum, et non per accidens : ideò in demonstrationibus non est processus in infinitum, sed ratio incipit à principiis naturaliter notis, et ad aliquem terminum progreditur. Ita etiam cùm media velimus propter finem, et finem proximum propter ultimum ; ideò sunt per se connexa, sicque voluntas priùs intendit ultimum finem, et deinde alia.

23 Accidentale autem est quantitati aut numero præexistenti in quantum huiusmodi, quòd ei addatur quantitas aut unitas. V. g. per accidens est respectu numeri quaternarii ut talis, quòd ei addatur alia unitas, et fiat numerus quinarius. In his autem quæ per accidens connectuntur, nihil prohibet rationem procedere in infinitum, seu esse syncategorematicè infinita. Ita *D. Th. ad* 1^m. Hinc patet ad Conf. : nam illa multiplicatio actuum voluntatis supra se ipsam per accidens se habet ad ordinem finium : quod patet ex hoc quod circa unum et eundem actum indifferenter semel vel pluries supra seipsam voluntas reflectitur. *D. Th. ad* 2.

24 Obj. 2° : Humanum desiderium in nullo planè quiescit : ergo non datur ultimus finis humanæ vitæ. Ant. pr. : Avari nunquam satiantur divitiis, voluptuosi voluptatibus, ambitiosi honoribus ; et sic homines in suis desideriis in infinitum procedunt : ergo. ℟. nego ant. Omnis enim homo sibi quidem præstituit aliquem ultimum finem, quo plenè obtento satiatus quiesceret ; scilicet *summum bonum*, seu *perfectam satisfactionem*, ex cuius intentione ad operandum movetur. At plerumque homines hanc *perfectam satisfactionem* in bonis perituris quærunt, in quibus non est ; ac proinde etiam iis obtentis nova desideria accumulant. Præclarè igitur Seneca, *de Vitâ beatâ c.* 1 : « Vivere omnes beatè volunt.... « at non est facilè consequi beatam vitam, ut ab eâ longiùs quisque recedat, quò ad illam concitatiùs fertur, « si viâ lapsus est ».

ART. II.

Quid sit ultimus finis?

25 Iª conclusio : *Ultimus humanæ vitæ finis* rectè definiri potest : *Ille quem propter se tantùm volumus ; cætera verò propter ipsum.* Declaratur : In primis quòd ultimus finis propter se tantùm quæri debeat, palam est : si enim ad ulteriorem ordinaretur, ultimus non esset.

Quòd etiam cætera omnia ad ipsum referri debeant, suadetur. 1° quia primum in unoquoque genere est causa cæterorum; sed ultimus finis est primus in intentione, ut ex dictis patet: ergo est causa omnium quæ intenduntur, sicque ratio volendi cætera. Ita *D. Th. q.* 1. *a.* 7. *in corp.* et *D. Aug. lib. XIX. de Civit. Dei c.* 1.

26 2° : Ultimus finis plenè satiare debet appetitum, perfectè ipsi dominari, et totaliter ei adæquari; aliàs non in illo ultimò sisteret, proindeque finis ultimus non esset: sed nec plenè satiaret appetitum, si aliquid ad ipsum non pertinens quæreretur; nec dominaretur totaliter affectui, si omnes eius motus sibi non subiiceret; nec adæquaretur ei, si aliquid extra eum desideraretur quod propter ipsum non quæreretur: ergo ultimus finis est propter quem cætera omnia volumus: quippe proinde dicitur *felicitas* seu *summum bonum*, eò quòd in se omnia bona colligere debeat, eoque possesso perfectè satietur appetitus. Unde præclarè Boëtius III. de Consol. Prosa 2.: *Omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso quidem calle procedit, sed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire.*

27 Quomodò autem omnia referantur ad ultimum finem, constat frequenti apud D. Th. comparatione intellectûs cum voluntate: sic enim se habet amor ultimi finis in appetibilibus, sicut cognitio principiorum in intelligibilibus. Unde sicut prima principia sunt prima cognita: ita beatitudo seu finis ultimus primum volitum. Et sicut non assentimur particularibus conclusionibus, nisi quatenùs cohærent cum primis principiis: ita nec volumus bona particularia, nisi quatenùs connexa sunt cum ultimo fine, scilicet beatitudine.

28 Et demum sicut cognitio principiorum movet ad omnes alias cognitiones, quatenùs per eam illustrati cætera intelligimus; ideòque radix est omnium cognitionum, imò cæteræ cognitiones non sunt nisi quædam illius primi luminis propagationes et diffusiones: ita primus ille beatitudinis amor movet ad alios amores, quatenùs per illum excitati ea quæ ad ipsum ducunt quæri-

mus ; estque prima omnium affectuum radix, imò cæteri affectus non sunt nisi quidam illius primi amoris rami, propagines ac diffusiones, seu lineæ ab hac circumferentiâ natæ, et in eius centrum, scilicet beatitudinem, terminatæ.

29 II^a conclusio : Ad rationem ultimi finis hominis plura requiruntur. 1° quòd *sit bonum perfectum et completivum appetitûs* ; id est, quòd ipso habito nil appetendum relinquatur. *D. Th. q.* 1. *a.* 5. *in corp.* 2° quòd *nobilitet ac perficiat intellectum et voluntatem* ; nisi enim has præstantissimas hominis potentias perficeret, iam non esset hominis bonum præstantissimum. 3° quòd *perficere valeat etiam corpus* : nam corpus etiam est hominis pars ; præstantissimum autem hominis bonum non unam partem tantùm, sed totum hominem perficere debet. 4° quòd *eius possessio delectationem adferat* : etenim summi boni possessio summam delectationem habet adiunctam ; nam delectatio est affectus ad boni apprehensam, speratam aut memoratam possessionem consecutus (1). 5^c quòd sit *perpetuum et extra omne amittendi peri-*

---

(1) *D. Th.* 1. 2. *q.* 3. *inquirens quæ ad beatitudinem exigantur, commemorat* art. 1. *delectationem ut concomitantem ; at* art. 2. *advertit principalius bonum esse ipsam operationem intellectûs, in qua quietatur seu delectatur voluntas, quàm ipsa quietatio seu delectatio voluntatis.* Art. 3. *docet quòd ultimum finem, dum absentem,* [1] *imperfectè cognoscimus,* [2] *speramus, et* [3] *amamus ; et ideò ad beatitudinem seu possessionem ultimi finis, necesse est hæc tria concurrere :* visionem, *quæ est cognitio perfecta finis ;* comprehensionem, *quæ importat ipsius præsentiam ; et* delectationem *vel* fruitionem, *quæ importat quietem amantis in amato.* Art. 4. *ostendit ad beatitudinem requiri voluntatis rectitudinem ; tum* antecedenter *seu quia per eam beati efficimur ; tum* consequenter, *quia ex ipsâ beatitudine voluntatis rectitudo necessariò consequitur.* Art. 5 *et* 6 *explicat quomodò ad beatitudinem requiratur corpus et perfectio corporis.* Art. 7 *declarat etiam exteriora bona ut instrumenta requiri ad bea-*

culum constitutum ; nam debet excludere omne malum, et posse amittere summum bonum est magnum malum. *D. Th. q.* 5. *a.* 4.

30 Obj. contra 1m : Ultimus finis malorum hominum non est ipsorum bonum perfectum, ut patet ; nec ad ipsum omnia referunt, ¿quomodò enim humana voluntas tam latè patens, omnes suos affectus ad solas ventris v. g. voluptates coarctaret ? ergo ultimus finis nec est bonum perfectum, nec ad ipsum omnia referuntur. ℟. ad 1m quòd mali avertuntur ab eo in quo verè invenitur ratio ultimi finis ; ipsam tamen ultimi finis intentionem habent, quam quærunt falsò in aliis rebus. *D. Th. q.* 1. *a.* 7. *ad* 1. Ad 2m dic, voluptuosos cuncta aliquatenùs referre ad suas voluptates : unde gulæ dediti ab Apostolo dicuntur habere ventrem, id est voluptates ventris, pro Deo, id est pro summo bono. Licèt enim humanus appetitus tam latè pateat, ut sola Boni infiniti possessione satiari possit ; at voluptuosi quid sibi bonum sit passionum magis gustu, quàm rationis lumine determinant.

31 Contingit autem, passionum aliquam ita vehementer intendi, ut cæteras opprimat aut ad se trahat, sicque voluntati sola dominetur ; quam ita excæcat et coarctat, ut solùm illius passionis bonum advertat et appetat : sicut oculus per foraminis angustias respiciens, ea solùm advertit quorum species foramen admittit. Unde sic coarctata voluntas illo unico bono obtento se perfectè felicem fore putat, ideòque omnem affectum ad ipsum dirigit : quod præcipuè videri est in hominibus profani amoris œstro percitis. Verùm quando boni amati posses-

---

titudinem imperfectam quæ in hac vitâ haberi potest ; ad quam requiritur etiam, ait art. 8. *societas amicorum. Nempè, ut ait Phil. X. Ethic. c.* 9 *et* 11 : *Felix indiget amicis, non propter utilitatem, cùm sit sibi sufficiens ; nec propter delectationem, quia habet in se delectationem perfectam in operatione virtutis : sed propter bonam operationem, ut scilicet* [1] *eis benefaciat,* [2] *ut eos inspiciens benefacere delectetur,* [3] *et ut ab eis in benefaciendo iuvetur.*

sione passionis ardor sedatur, voluntas, quasi laxato vinculo, nativam ad amplitudinem redit; illiusque boni insufficientiam detegens, nova quærit, quibus vastissimum desiderii hiatum explere possit. Et hæc est ratio cur mali suam felicitatem in vilissimis rebus ponant; et tamen in nullo quiescere possint, sed novis semper desideriis æstuent.

32 Quæres: An omnium hominum sit unus ultimus finis, et an in ultimo fine hominis aliæ creaturæ conveniant? ℟. ad 1^{m}: Quantùm ad rationem ultimi finis omnes homines conveniunt in appetitu finis ultimi; quia omnes appetunt suam perfectionem adimpleri, quod est ratio ultimi finis, ut dictum est. Sed quantùm ad id in quo ista ratio invenitur, non omnes homines conveniunt in ultimo fine; nam quidam appetunt divitias ut consummatum bonum, quidam voluptatem etc. *Ita D. Th. hìc a.* 7. ℟. ad 2^{m} quòd aliæ creaturæ conveniunt in ultimo fine hominis quantùm ad *rem quæ est finis*, quia Deus est ultimus finis hominum, et omnium aliarum rerum: non autem quantùm *ad consecutionem finis;* nam homo consequitur ultimum finem cognoscendo et amando Deum, et aliæ creaturæ in quantùm participant aliquam similitudinem Dei, prout sunt, vel vivunt, vel aliqualiter cognoscunt. *D. Th. hìc a.* 8.

QUÆSTIO II.

DE BEATITUDINE OBIECTIVA.

33 VIVERE *omnes beatè volunt; sed ad pervidendum quid sit quod beatam vitam efficiat, caligant.* His verbis suum exorditur Seneca librum *de Vitâ beatâ.* Antiqui namque Philosophi ardenti felicitatis amore singulis hominum cordibus ingenito acti, in quo tantum bonum

esset, sedulò inquirebant. *Magnam verò*, ut ait D. Th. l. III. contra Gent. c. 48, *patiebantur angustiam eorum præclara ingenia*, dum lumine fidei destituti nullum bonum observabant, quo insatiabilis ac irrequieta cordis humani cupiditas expleretur. Hinc in varias et inter se pugnantes abiere sententias, quibus adhibens differentias quasdam, ducentas octoginta octo sectas, non quæ iam essent, sed quæ esse possent, ex Varrone commemorat D. Aug. XIX. de *Civ. Dei* c. 1. Sed quoniam, ut ibidem magnus Parens observat, *nec tamen* antiquos Philosophos, *quamvis diversis errantes modis, naturæ limes in tantum ab itinere veritatis deviare permisit, ut non alii in animo, alii in corpore, alii in utroque fines bonorum ponerent et malorum:* ideò non omnes, sed præcipuas tantùm, et quæ tenaciores habuerunt patronos, refellere aggrediemur.

34 Aristippus, genere Cyrenaicus, ausus est docere summum bonum positum esse in voluptate corporis; quam turpem opinationem amplexus est Mahometes in suo Alcorano, in quo paradisum suum ex gulæ tactûsque voluptatibus fœdissimè confingit; Libertini quoque sola bona corporalia agnoscentes; et pravorum vulgus, saltem in corde suo, et in praxi. Metrodorus aiebat summum bonum esse corporis sanitatem seu bonam valetudinem; nempe bona corporis. Herillus felicitatem quærebat in animi scientiâ, Diogenes Cynicus in libertate. Stoici plures in virtute, Aristoteles in coniunctione scientiæ et virtutis cum bonis fortunæ et optimo statu corporis; Democritus tandem cum aliis pluribus in animo tranquillo, placabili, imperturbabili, seu in bono animi statu.

35 Quia tamen bona omnia in tria genera distingui solent, *corporis* nimirùm, *fortunæ*, atque *animi*, errantes atque insufficientes Antiquorum omnium sententiæ impugnatæ manebunt, dummodo ostenderimus in nullo horum trium generum summum illud bonum claudi, cuius possessio nos beatos efficiat. Id prioribus articulis demonstrabimus; inde verò, in solo Deo Optimo Maximo veram beatitudinem inveniri facili negotio colligemus.

ART. I.

An beatitudo consistat in bonis fortunæ?

36 I[a] conclusio : *Impossibile est beatitudinem hominis consistere in divitiis.* Ita D. Th. 1. 2. q. 2. a. 1. Conclusio est contra avaros, qui tantâ curâ opes sectantur, ut eas quasi pro summo bono habeant. Pr. 1° eius ratione *in corp. art.* : Divitiæ aut sunt *naturales*, quibus homini subvenitur ad defectus naturales supplendos, ut cibus, potus et habitacula ; aut *artificiales*, quibus secundùm se natura non iuvatur, ut denarii, sed eas adinvenit ars humana propter facilitatem commutationis, ut sint quasi mensura rerum venalium : sed divitiæ naturales non quæruntur nisi ad sustentandam vitam hominis, sicque propter aliud ; artificiales verò quæruntur propter naturales : non enim quærerentur, nisi quia per eas emuntur res ad usum vitæ necessariæ : ergo nullæ ex divitiis quæruntur propter se, sicque non sunt ultimus finis.

37 Pr. 2° argumento D. Th. in *Sed contrà* : Bonum hominis in retinendo beatitudinem magis consistit quàm in emittendo ipsam ; sed sicut Boëtius in III. de Consol. dicit : *Divitiæ effundendo magis, quàm coacervando meliùs nitent ; siquidem avaritia semper odiosos, claros facit largitas* : ergo in divitiis beatitudo non consistit. Adde : Pecunias consequitur cura servandi, sitis augendi, timor amittendi ; nec unquam appetitum satiant, sed quæ habentur contemnuntur, et quæ non habentur anxiè quæruntur : ergo non faciunt felicem suum possessorem, sed potiùs famelicum. Adde 2° : Felicior est pauper sanus, quàm dives doloribus lancinatus : ergo in divitiis etc.

38 II[a] conclusio : *Impossibile est beatitudinem consistere in honore.* Ita D. Th. hìc a. 2. Conclusio est contra ambitiosos, qui honoris causâ cuncta moliuntur. Pr. 1° ex *corp. art.* : Honor est dumtaxat testimonium excellentiæ, quam non facit sed supponit ; sed beatitudo est maximè excellens inter bona hominis : ergo honor potest qui-

dem consequi beatitudinem, at in eo non consistit. Pr. 2° ex arg. *Sed contrà* : Beatitudo est in honorato ; sed honor non est in eo qui honoratur, sed magis in honorante : ergo in honore beatitudo non consistit.

39 III^a^ conclusio : *Impossibile est beatitudinem hominis in famâ seu gloriâ humanâ consistere.* Ita D. Th. hìc a. 3. Conclusio videtur esse contra antiquitatis dictos Heroas, qui gloriæ et famæ gratiâ cuncta gerebant. Pr. 1° ex *Sed contrà* : Beatitudo est bonum verum ; sed famam seu gloriam contingit esse falsam ; ut enim dicit Boëtius in lib. III. de Consolat. : *Plures magnum sæpè nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt ; quo quid turpius excogitari potest? Nam qui falsò prædicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant :* non ergo beatitudo hominis consistit in famâ seu gloriâ.

40 Pr. 2° ex *corp. art.* : Gloria, ut ait Ambrosius, est : *Clara cum laude notitia*, cuius fama est quædam divulgatio ; sed notitia humana, si vera est, causatur ab ipsâ beatitudine vel inchoatâ vel perfectâ ; et si est falsa, bonum non invenitur in eo cuius fama celebris habetur : ergo in famâ vel gloriâ etc. Min. quoad 2^m^ partem constat ; quoad 1^m^ pr. : Licèt Divina cognitio sit causa rerum cognitarum, humana tamen cognitio causatur à rebus cognitis : ergo quando bonum alicuius hominis per famam vel gloriam est in cognitione seu notitiâ multorum, hæc cognitio quodammodò causatur ab ipso bono ; omne autem bonum est beatitudo aut perfecta aut inchoata. Hìc observa, quòd ipsa perfectio humani boni seu beatitudo dependet sicut ex causâ ex cognitione quam Deus de nobis habet, seu ex gloriâ nostrâ apud Deum ; quia omnis boni nostri Divina cognitio causa est.

41 IV^a^ conclusio : *Impossibile est beatitudinem in potestate consistere.* Ita D. Th. hìc a. 4. Pr. 1° ex *Sed contrà :* Beatitudo est perfectum bonum ; sed potestas est maximè imperfecta ; ut enim dicit Boëtius III. de Consol. prosa 5. : *Potestas humana solicitudinum morsus expellere, formidinum aculeos vitare nequit.* Et posteà : *Potentem censes, cui satellites latus ambiunt? Qui quos terret ipse plus metuit?* Non igitur beatitudo consistit

in potestate. Pr. ex *corp. art.* 1° : Potestas habet rationem principii procurantis felicitatem aliorum ; beatitudo autem habet rationem ultimi finis. 2° : Potestas indifferens est ad bonum et malum ; beatitudo autem est proprium et perfectum hominis bonum. Unde magis posset consistere beatitudo aliqua in bonò usu potestatis qui est per virtutem, quàm in ipsa potestate.

42 In eodem *art.* 4. addit Præceptor Angelicus quatuor generales rationes, quibus ostenditur in nullo bono fortunæ consistere beatitudinem. 1ª est : Beatitudo, cùm sit summum hominis bonum, non secum compatitur aliquod malum ; sed divitiæ, honores, gloria et potestas in malis hominibus perinde ac in bonis, imò sæpiùs, inveniuntur : ergo. 2ª : Beatitudine adeptâ nullum bonum necessarium homini deest ; adeptis autem singulis præmissorum plura deesse possunt, ut sapientia, sanitas corporis, etc.

43 3ª : Ex beatitudine non potest aliquod malum alicui provenire ; at divitiæ sæpè conservantur in malum domini sui, ut videre est in Cræso et Crasso : honores mutare solent mores, ut in Heliogabalo et Tiberio : gloriæ seu famæ desiderium plures ad malum inducit, ut Lucretiam et Empedoclem : principatus etiam est sæpè causa ruinæ et mortis, ut in Iulio Cæsare, et omnibus ferè Cæsaribus : ergo. 4ª : Appetitus beatitudinis est naturaliter ingenitus : unde ad beatitudinem homo ordinatur per principia interiora ; at hæc omnia bona magis sunt à causis exterioribus : et ideò dicuntur bona fortunæ. Hinc 5ª : Beatitudo debet esse stabilis ; at hæc omnia innumeris casibus subiiciuntur ; nam è principatu ad servitutem, è divitiis ad summam paupertatem, ab insigni famâ ad summam ignominiam, è maximis honoribus ad statum servilem plures prolapsi sunt : ergo.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

44 Obi. 1° contra Iᵐ : Beatitudo, cùm sit ultimus finis, in eo consistit quòd maximè in hominis affectu dominatur ; sed hoc sunt divitiæ, iuxta illud Eccles. X. 19: *Pecuniæ obediunt omnia ;* et illud ex poëtâ tritum : *Quid*

non mortalia pectora cogis auri sacra fames? ergo. 2°: Divitiis alia omnia bona habemus : ergo ipsæ sunt bonorum omnium summa. ℟. ad 1m, divitias dominari solùm affectibus stultorum : iudicium autem de bonis humanis non debet sumi à stultis sed à sapientibus ; sicut et iudicium de saporibus ab his qui habent gustum benè moderatum. Ad 2m dic quòd pecuniâ possunt haberi omnia venalia; non autem spiritualia quæ vendi non possunt. Unde dicitur Proverb. XVII. v. 16. : *Quid prodest stulto habere divitias, cùm sapientiam emere non possit?* D. Th. q. 2. a. 1. ad 1m et 2m.

45 Obi. 2° contra IIm : Beatitudo est præmium virtutis ; sed præmium virtutis est honor : ergo. Adde : Honores maximè desiderant homines ; quod autem maximè desiderabile est, summum bonum est. ℟. quòd beatitudo est verum præmium virtutis, propter quod virtuosi operantur ; si autem propter honorem operarentur, iam non esset virtus sed magis ambitio. Unde honor non est præmium virtutis propter quod virtuosi operantur, sed accipitur ab hominibus loco præmii, quasi à non habentibus ad dandum maius. Et ideò qui sincerè virtutem colit, etiam dispendio famæ et honoris recta operatur. Quòd autem homines maximè honorem desiderent, contingit ex naturali desiderio beatitudinis, quam consequitur honor. Unde quærunt homines maximè honorari à sapientibus, quorum iudicio credunt se esse excellentes vel felices. *D. Th. a. 2. ad* 1m *et* 3m.

ART. II.

An beatitudo consistat in bonis aut voluptatibus corporis aut animi?

46 Ia CONCLUSIO : *Impossibile est beatitudinem in bonis corporis consistere.* Ita D. Th. 1. 2. q. 2. a. 5. Pr. 1° : ex *Sed contrà* : Homo in beatitudine excellit omnia alia animalia ; sed in bonis corporis à multis animalibus superatur ; sicut ab elephante in diuturnitate vitæ, à leone in fortitudine, à cervo in cursu : ergo beatitudo hominis

non consistit in bonis corporis. Pr. 2° ex *corp. art.* : Beatitudo, cùm sit ultimus finis, consistere nequit in perfectione rei ulteriùs ordinatæ; sed corpus ordinatur ad animam, sicut instrumentum ad artificem, materia ad formam, servus ad dominum : ergo beatitudo consistere nequit in perfectione corporis. Unde sicut bona corporis rationabiliter præferuntur bonis fortunæ, quia hæc ad illa ordinantur; ita ob eandem rationem bona animæ præferenda sunt bonis corporis, quæ proinde non sunt ultimus finis. Adde quòd salus et omnia bona corporis instabilia sunt, malis sæpè conveniunt, iis pravè uti possumus, etc.

47 II[a] conclusio : *Impossibile est beatitudinem in corporis voluptatibus consistere.* Ita D. Th. hìc a. 6. Pr. ex arg. *Sed contrà* : Ut Boëtius præclarè ait III. de Consol. : *Tristes exitus esse voluptatum, quisquis reminisci libidinum suarum volet intelliget : quæ si beatos efficere possent, nil causæ esset quin pecudes quoque beatæ esse dicantur.* Conf. : Voluptates corporis puriores sincerioresque animalia quàm nos capiunt, utpote quas nec insatiabilis aviditas insufficientes efficit, nec verecundia turpes, nec pœnitentia amaras, nec nimietas fastidiosas, nec solicitudinum, curarum, timorum importuna commixtio ingratas : ergo vel dicendum bruta esse hominibus feliciora, quod nullus quantumvis brutalis admittit, vel felicitatem in corporis voluptatibus minimè repositam esse.

48 Pr. 2° ex *corp. art.* : Omnis delectatio consequitur beatitudinem vel aliquam beatitudinis partem : ex hoc enim aliquis delectatur quia habet bonum aliquod sibi conveniens vel in re, vel in spe, vel saltem in memoriâ : unde nec delectatio, quæ sequitur bonum perfectum, est ipsa beatitudo, sed est quoddam consequens illam ut proprietas : ergo voluptas corporis in primis nequit esse beatitudo. At deinde neque est accidens per se seu proprietas beatitudinis; quod facilè probatur : Voluptas corporis sequitur bonum quod apprehendit sensus, sicque bonum corporis; sed hoc non est bonum perfectum hominis, nam quodammodò infinitè superatur ab illo bono quod est solius animæ : ergo voluptas corporalis nec est ipsa

beatitudo, nec est per se accidens beatitudinis. Adde quòd voluptates corporis turpes sunt, de quibus homo naturaliter erubescit, fluxæ ac instabiles, corpus labefactant, mentis lumen et vigorem extinguunt, cæt. cæt.

49 Obi. tamen: Beatitudo appetitur ab omnibus, et propter se; sed delectationem omnes appetunt, nec appetunt propter aliud; nam ridiculum esset ab aliquo quærere, propter quid velit delectari: ergo. ℟. quòd omnes appetunt delectationem, quia omnes appetunt bonum, nam ad boni possessionem consequitur delectatio. Hæc autem licèt non appetatur propter aliud, si tò *propter* dicat *causam finalem*, benè tamen si dicit *causam motivam*; ex hoc enim delectatio habet quod appetatur, quia est quies in bono desiderato. Quòd autem voluptatum ac bonorum sensibilium universalior ac vehementior soleat esse appetitus, quàm intellectualium; inde provenire potest quòd operationes sensuum, quia sunt principia nostræ cognitionis, sunt magis perceptibiles. *D. Th. ad* 1^m^ *et* 2^m^. Adde hunc inordinatum appetitum non à naturâ, sed à peccato corrumpente naturam traxisse originem.

50 III^a^ conclusio: *Nec in virtute, nec in scientiâ, nec in libertate, nec in tranquillitate, nec in alio animæ bono beatitudo consistere potest.* Ita D. Th. hìc a. 7. Pr. 1ª pars: Virtus est via ad felicitatem, et felicitas est virtutis præmium; nec virtus satiat, sed solùm rectificat hominis appetitum: ergo. Pr. 2^a^ et 3^a^: Scientia facilè perit, et libertas pluribus sæpè impeditur: utrâque malè uti possumus, cæt.: ergo. Pr. 4^a^: Animus solùm erit verè tranquillus in ultimi boni possessione: ergo vera tranquillitas supponit summum bonum; sicque quærendum superest quodnam sit illud bonum, quo habito animus maneat tranquillus. Pr. simul omnes ex D. Th. in *corp.*: Voluntas est appetitus boni universalis; sed quodlibet bonum animæ inhærens est bonum participatum, sicque particulare: ergo nullum bonum animæ satiare potest eius appetitum, sicque cæt. Licèt autem id in quo consistit beatitudo sit aliquid extra animam: ipsa tamen adeptio beatitudinis, quæ etiam dicitur beatitudo, est aliquid animæ.

ART. III.

An beatitudo hominis consistat in solo Deo ?

51 Conclusio : *Hominis beatitudo seu felicitas in solo Deo quærenda est.* Ita nedum christiani philosophi, sed ex ethnicis plurimi, præcipuè Platonici, *qui*, ut ait D. Aug. VIII. *de Civ. Dei c.* 8, *non dixerunt beatum esse hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo ; non sicut corpore vel se ipso animus, aut sicut amico amicus ; sed sicut luce oculus*, id est clarissimâ contemplatione. Conclusionem probat D. Th. hìc q. 2. a. 8. in arg. *Sed contrà* ex Aug. qui XIX. de *Civ. Dei*, c. 26. ait : *Ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est.*

52 Pr. 1° ex *corp. art.* : Beatitudo est bonum sufficiens in quo omninò quiescit appetitus ; sed appetitus humanus in solo Deo quiescere potest : ergo. Min. pr. : Appetitus humanus est capax omnis boni ; sicut intellectus omnis veri : unde bonis particularibus satiari non potest, sed illis superior est, et aut repudiat qua parte insufficientia sunt, aut amat qua parte aliquid bonitatis habent ; sed Deus est bonum universale ac immensum ; cætera autem omnia sunt bona particularia et limitata : ergo. Min. patet ; nam Deus est immensum bonitatis pelagus, à quo cætera bona omnia velut rivuli effluxerunt : circumferentia est in se principium finemque voluntatis coniungens, ad quam terminantur infinitæ desideriorum lineæ à centro voluntatis nostræ procedentes. Uno verbo : in Deo omne bonum est ; et nihil est mali : totum est quod prosequatur voluntas, nihil quod fugiat : ergo ut in Deo consistat beatitudo necesse est.

53 Pr. 2° ratione quam D. Aug. Epist. 118 ad Dioscorum proponit his verbis : *Quid aliud iam nisi Deus occurret, in quo summum hominis bonum constitutum sit ? Non quòd alia bona non sint ; sed* summum *id dicitur quò cuncta referuntur. Eo enim fruendo quisque beatus est, propter quod cætera vult habere, cùm illud iam non*

propter aliud, sed propter se ipsum diligatur. Et ideò finis ibi dicitur, quia iam quò excurrat et quò referatur non invenitur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi securitas, ibi tranquillissimum gaudium optimæ voluntatis. Hactenùs Augustinus.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

54 Obi. 1° : Admitti debet beatitudo naturalis hominis distincta à beatitudine supernaturali ; sed hæc est ipse Deus : ergo non illa. ℟. dist. mai. : distincta à beatitudine supernaturali quoad rem, in qua sita est beatitudo, nego : quoad modum illam attingendi, concedo mai., et concessâ min., nego cons^{m} ; nam omnis beatitudo hominis est in coniunctione cum Deo, cùm ipse sit finis non solùm gratiæ sed etiam naturæ. Unde beatitudo supernaturalis et naturalis solùm different in modo attingendi Deum, quem per gratiam clariùs cognoscimus, ardentiùs amamus, ipsoque perfectiori modo fruimur, quàm solis viribus naturæ.

55 Adverte autem quòd beatitudo naturalis, id est ad quam naturæ viribus perveniri possit, à veræ beatitudinis ratione deficeret ; nam viribus naturæ Deum ut in se est videre non possumus ; et ut ait D. Th. 1. 2. *q.* 5. *a.* 3. *ad* 2^{m}, si beatitudo est imperfecta ex parte ipsius obiecti beatitudinis, *quod quidem secundùm essentiam non videtur talis imperfectio, tollit rationem veræ beatitudinis.* Unde nil prohibet in beatitudine illâ naturali adeò imperfectâ, aliqua mansura esse desideria inexpleta, præcipuè quæ forent *inefficacia*, utpote naturæ viribus impossibilia.

56 Contrà : Admitti debet beatitudo naturalis seu naturaliter assequibilis omninò perfecta ; sed naturaliter assequi non possumus omninò perfectam Dei cognitionem : ergo in Deo non consistit saltem beatitudo naturalis. Mai. pr. : Natura non deficit in necessariis ; sed nil tam necessarium homini quàm assequi suam perfectam beatitudinem : ergo natura dedit vires homini, quibus veram beatitudinem consequatur ; sicque etc. ℟. quòd sicut natura non deficit in necessariis quamvis non dederit homini arma et tegumenta sicut aliis animalibus, quia dedit ei

rationem et manus quibus possit hæc sibi acquirere: ita nec deficit in necessariis quamvis non det ipsi aliquod principium quo possit beatitudinem consequi, hoc enim erat impossibile; nam dedit ei liberum arbitrium quo possit converti ad Deum, qui eum faciat beatum: *quæ enim per amicos possumus, per nos aliqualiter possumus*, ut dicitur III. Ethic. *D. Th. hic q. 5. a. 5. ad* 1^m^.

57 Obi. 2° : Homo non est capax nisi boni creati et finiti; sed Deus est infinitus: ergo. ℟. dist. mai.: homo solùm est capax boni creati, ut rei intrinsecæ et inhærentis, conc.; ut obiecti, nego; nam attingere potest bonum infinitum. Unde licèt appetitus hominis sit finitus *subiectivè*, est tamen infinitus *obiectivè*, ut satiari nequeat nisi habito pro obiecto bono universali et infinito. = Contrà: Inter obiectum et potentiam debet esse proportio; sed finiti ad infinitum nulla est proportio: ergo appetitus hominis finitus adhuc ut obiectum attingere nequit Deum infinitum. ℟. dist. min.: nulla est proportio *quantitativa et commensurationis*, conc.; *obiectiva et habitudinis*, nego. Quamvis enim res finita supra omnem proportionem et commensurationem excedatur à Deo; potest tamen dicere habitudinem ad Deum, ut ad suum principium vel obiectum.

QUÆSTIO III.

De beatitudine formali seu de adeptione illius rei, qua sumus beati?

58 Tria in hac quæstione expendemus. 1° an suam beatitudinem consequatur homo in hac vitâ; an in futurâ alterâ, in qua præmia bonis, pœnæ malis constituta sint? 2° : Qua ratione in hac vitâ possit homo aliqualem feli-

citatem obtinere? 3°: In qua operatione præcipuè consistere debeat beatitudo?

ART. I.

An suam beatitudinem consequatur homo in hac vitâ; an in futurâ alterâ, in qua præmia bonis, pœnæ malis constituta sint?

59 Postquam bonum illud summum, in cuius adeptione vera beatitudo consistit, demonstravimus; illud quoque ostensum est, quod caput est omnium, quibus homines rectè institui possunt ac dirigi. Etenim ut præclarè ait Cic. Lib. V. *de fin.*: « Summum bonum si igno« retur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo « tantus error consequitur, ut quem in portum se reci« piant, scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, « cùm intelligitur quid sit et bonorum extremum et ma« lorum, inventa via est conformatioque omnium officio« rum». Sed ¿quamdiu huiuscemodi via sequenda est? Summum illud bonum potest homo in hac vitâ consequi, ita ut plenè perfectèque beatus dici possit?

60 I^a^ conclusio: *In hac vitâ beatitudo perfecta obtineri nequit.* Pr. 1°: Beatitudo, cùm sit perfectum et sufficiens bonum, omne malum excludit, et omne desiderium implet; sed in hac vitâ nequit omne malum excludi, nec omne desiderium impleri: ergo. Pr. 1^a^ pars min.: Multis malis præsens vita subiacet, quæ vitari non possunt, et ignorantiæ ex parte intellectûs, et inordinatæ affectioni ex parte appetitûs, et multiplicibus pœnalitatibus ex parte corporis, ut August. diligenter prosequitur *l. XIX. de Civ. Dei à cap. 4. et l. XXII. c. 22*: ergo. Pr. 2ª pars: Homo naturaliter desiderat permanentiam eius boni quod habet; sed bona præsentis vitæ transitoria sunt, cùm et ipsa vita transeat: ergo. Imò cùm homo naturaliter fugiat mortem, consequens est quòd vitam permanere naturaliter desideret; neque hoc desiderium impleri potest. Hinc Iob c. 14 dicitur: *Homo natus de muliere,*

brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Vid. D. Th. 1. 2. q. 5. a. 3.

61 II^{a} conclusio : *Post corporis mortem, altera vita est, in qua bonis præmia, malis autem pœnæ constituta sunt.* Hæc conclusio, cum eâ quæ de animorum immortalitate in Metaphysicâ statuitur summè connexa est. Utraque timoris speique plenissima, non tam fidei nostræ veritas, quàm totius fidei basis est et fundamentum : utraque totius doctrinæ morum fulcrum et cardo : utramque adversùs eosdem incredulos impiissimosque homines demonstrare oportet, qui animam hominis mortalem faciunt, ac proinde omnia hominis bona et mala morte finiri putant.

62 Pr. ergo 1° *ex animæ naturâ :* Animæ nostræ imputari possunt ac debent suæ actiones : ergo pro bonis præmium, pro malis pœnam initura est : sed plurium actionum nec præmium nec pœnam in hac vitâ subit : ergo superest altera etc. Ultima cons^{a} patet. Etiam minor subsumpta ; nam et internarum omnium actionum, et plurium externarum, ¿quas pœnas luunt improbi, præcipuè dum effreni ac continuâ peccandi consuetudine obdurati, nec quidem conscientiæ stimulis punguntur ? Boni etiam ¿quoties pro heroicarum actionum mercede, ab improbis præsenti luce privantur ? Cætera probanda sunt, et primò ant. : Anima nostra libera est seu suorum actuum domina, quos elicit aut omittit prout vult : ergo illorum reddere rationem potest, seu illi imputari possunt. Imò debent ; nam rationalis est, sicque obligata ad utendum ratione, sicque ad operandum rationabiliter seu iuxta rationis directionem.

63 Deinde 1ª cons^{a} pr. : Frustrà actiones humanæ essent imputabiles, si nec bonis præmium, nec malis pœna maneret ; sed hoc dici nequit : ergo si actiones homini imputari possunt etc. Mai. patet ; nam imputatio actionum nulli est usui, nisi ad præmium aut pœnam. Min. etiam patet ; nam dicere quòd actiones hominis frustrà ipsi imputantur, idem est ac dicere quòd aut frustrà est liber, aut frustrà est rationalis, seu quòd frustrà ipsi inest regula, qua suos actus dirigat : frustrà autem in

homine esse id quod in ipso maximum est, solùm ii dicere audebunt, qui humanam quoque mentem à cæco casu effectam cæciori delirio affirmare non erubescunt.

64 Pr. 2° *ex Divinâ Providentiâ* : Calamitates publicæ, ut fames, pestis, bellum, malos bonosque communi ictu feriunt ; imò in homines innocentes aliquando sæviunt, et reis parcunt. Contrà verò sol oritur super bonos et malos, pluit super iustos et iniustos ; imò sæpè bonis omnibus naturalibus cumulari cernimus improbos, dum boni egestate, doloribus, variisque calamitatibus afflictantur (1). Divinam hanc Providentiam suavem ac iustam confitemur ac adoramus, qui præsentem vitam consideramus ut stadium, seu locum pugnæ ac probationis, quam altera præmii ac punitionis consequatur. At qui huius spem abiicit, nonne mundi gubernationem, aut cæco casui, aut iniusto seu impotenti Provisori committit? ergo. *Vide Met.* l. 3. q. 1. a. 3.

65 Pr. 3° *ex Divinâ iustitiâ :* Sæpè innocentes plurium criminum accusantur, et pœnas luunt. Sæpissimè iusti ab iniustis opprimuntur, et divitiis, honoribus, potestate, salute, communi etiam luce privantur. In his etiam Divinam iustitiam veneramur ac noscimus, qui certò futuram speramus alteram vitam, in qua iusti suorum laborum cumulatissimam mercedem accipiant, impii verò debitas suis flagitiis pœnas. At qui hanc veritatem non suscipit, ¿quomodò iustum agnoscet Deum, qui cùm possit non subtrahit innocentem à pœnis, quas gratìs, sine ulla prorsùs utilitatis spe, sustinere cogitur? Quomodò erit iustus supremus hominum Dominus, qui iustos iniustè oppressos vindicare potest, solus potest, et tamen nusquam vindicat?

---

(1) D. Aug. de Civ. Dei. lib. I. c. 8 : *Placuit Divinæ Providentiæ præparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti ; et mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia : ut nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur ; nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur.*

66 Pr. 4° *ex ipsa societatis humanæ naturâ.* Ut plures homines in civitate, et plures civitates in regno adunantur: ita generalis quædam societas seu respublica est omnium hominum in naturâ humanâ, suis seu naturæ legibus instructa; sed nec leges servari, nec respublica contineri potest sine præmio ac pœnâ (2): ergo ab hominum Conditore ut naturæ leges omnium animis inditæ, ita eas servantibus præmium, infringentibus pœna constituta est; hæc autem in hac vitâ non solvitur, ut patet: ergo superest altera etc.

67 Conf.: Aut Deus non est, aut certè non deficit in necessariis hominum societati, ad vitam iuxta naturæ rationem benè et constanter instituendam; sed homines de omni bono futuræ vitæ desperantes, et nihil post mortem

---

(2) *Cano*, De Locis, *lib. XII. cap.* 4. *ad* 1m: *Mihi quidem persuasum est quemadmodum Deum, hoc est primam causam efficientem esse, speculatrix naturæ disciplina declarat; ita et effectricem quoque naturæ eiusdem disciplinam, Deum esse omnium postremum finem, ostendere; neque hoc solùm, sed illud etiam naturæ leges aliquem habere et auctorem et iudicem: nisi fortè sola hæc lex deserta sit quæ nullum legislatorem habeat, aut si quis iura hæc mundo præscripsit, nulla iuris huius servandi curâ tangatur. Quòd si tam ignarus est, ut nesciat præmia et honores virtutem alere, iacereque eam semper si præmiis et honoribus destituta sit, indignus profecto est ad quem auctorem ac iudicem sanctissimas naturæ leges referamus. Idem* eod. lib. cap. 14: *Talem mihi rempublicam finge ubi pessimi cives metum omnem pœnæ, et futuræ vindicationis abiiciant, optimi verò de spe futuræ gratiæ ac beneficii depellantur; et cùm nec probis lex adhibuerit calcaria, nec improbis frænos, civitas non dico benè morata, sed ne esse quidem poterit. Ita qui eam sine præmio pœnâque constituit, hunc tu ipse stultissimum iudicabis. Quale ergo est eius reipublicæ Deo procurationem administrationemque tribuere, quam nemo vir sapiens sibi assignari pateretur?*

mali timentes, vix aut certè nullo modo possunt vitam rectè et iustè instituere: ergo. Mai. patet; nam si animantibus cæteris dati à naturâ sunt quidam instinctus, et quasi anticipatæ cogitationes, ut ad bonum naturæ congruens rectè ferantur, retrahantur à noxâ: cur hominum mentibus inditas esse certas et constantes prænotiones inficiemur, quibus ad bonitatem amplectendam sufficienter instituantur? Min. est D. Iustini in Dialogo cum Triphone, ubi ait: *Impunitas et licentia faciendi et dicendi quæ velint omnia, eos consequitur qui nec supplicia metuant, nec beneficium ullum à Deo spectent.*

68 Sanè alterius vitæ spe abiectâ, quid poterit ad amorem proximi, liberalitatem in pauperes, erga afflictos atque oppressos benignitatem, accepti beneficii memoriam, irrogatæ iniuriæ oblivionem, cæteraque veræ virtutis officia nos impellere? Quid à libidine, cupiditate, ambitione, superbiâ, omnibusque occultis criminibus, quæ leges humanas eludunt, revocare? Quid potentissimos viros in suo officio continere? Hinc apud Salomonem, *Sap.* II. cùm impii dixissent: *Post hæc erimus tamquam si non fuerimus*, è vestigio subdunt: *Venite ergo et fruamur bonis quæ sunt, etc.* De atheis autem, cùm Propheta *Ps.* 13 et 52. illud posuisset: *Non est Deus*, statim subiunxit: *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt, etc.*

69 Virtutis bonum, inquient, morali quodam instinctu, ac rectâ ratione cognitum, hominis voluntatem sufficienter allicit, ut citra omnem pœnæ metum, ex solo virtutis amore, id quod nobilius est, in officio contineatur. At ut cætera prætercam, et ipse moralis instinctus ac recta ratio præmii spe ac timore pœnæ validiores fiunt, et virtutis amor paucos homines, nec in pluribus vitæ eventibus agit, ut immeritò sufficiens impulsus æstimetur ad vitam rectè ac iustè instituendam. Pœnarum metum ac præmiorum spem tardioris ingenii homines dignoscere valent, ac effrenatioris concupiscentiæ iis contineri. At virtutis pulchritudinem, quàm pauci sat oculati sunt, ut inspiciant? Quàm pauciores aptè dispositi, ut eâ afficiantur?

70 Probari quoque posset conclusio (sicut ea quæ de animarum immortalitate agit, *Met.* l. 3. q. 1. a. 3) ex omnium

nationum consensu. Seneca Epist. 117, probat animorum immortalitatem ex *consensu hominum aut timentium inferos aut colentium.* Etiam apud Mexicanos, Peruvianos, Canadenses, cæterasque magis incultas gentes, alterius vitæ spem ac timorem communem fuisse referunt integerrimæ fidei viatores ac scriptores. Plutarcus in Consolatione ad Apollonium affirmat, ita antiquam esse de futuris in alterâ vitâ præmiis et pœnis hominum opinionem, ut eius originem atque auctorem invenire minimè potuerit. Sanè antiqui Legislatores futuri statûs dogma legum omnium fronti præfixerunt. Poëtæ græci vetustiores, Musæus, Orphæus, Homerus, Hesiodus, qui theologiam suæ ætatis opinionibus accommodatam reliquerunt, præmiorum pœnarumque dogma primo loco posuere.

71 III^a conclusio : *Vita post corporis mortem incipiens, status est in quo veram beatitudinem homines assequantur.* Conclusio patet ex dictis ; nam si vera beatitudo in hac vitâ non obtinetur (n. 60), post eam verò altera est in qua præmium aut pœna actionibus huius vitæ debita hominibus rependatur (n. 61) : hæc vita erit abs dubio in qua pravis hominibus summa miseria, seu vitiorum pœna infligatur ; boni verò summam felicitatem seu beatitudinem, tamquam præmium virtutis, adipiscantur. Adde : Ab alterâ vitâ neminem reversum conspicimus, nec ullus mortalium priorem vitam iam transegisse meminit : inde verò facilè auspicamur (id quod revelatione certò noscimus) solam vitam præsentem esse transitoriam seu viam ; subsequentem verò terminum esse in quo hominum sors fixa sit et immobilis ; at beatitudo permanens esse debet ac firma (n. 29) : ergo in vitâ subsequente corporis mortem.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

72 Obi. 1° contra II^m: Præmium vel pœna alterius vitæ æterna forent ; nam alterius vitæ status, si aliquis est, immutabilis esse videtur ; sed pœna peccati nequit esse æterna : ergo. Min. pr. 1° : Divinæ Iustitiæ adversatur brevioris temporis peccato decernere pœnas æternas. Præcipuè cùm ab optimo iudice non constituantur pœnæ, nisi

ut remedia quibus ægroti salutem recuperent; sicque nusquam æternæ. 2° : ¿ Quomodò infinita Dei bonitas et clementia pateretur, ut homines factura Dei, pro flagitiis ad quos natura ipsa eos trahit, æternis doloribus cruciarentur? De Deo hominum amantissimo parente, quis hoc credet?

73 Hisce paralogismis hallucinari vellent Libertini homines, ne pœnarum æternitas ante oculos posita eos à vitiosis sensuum voluptatibus deterreret. Si quis est autem, sicut plures fuerunt antiquitùs, qui non tam perditis moribus obcæcatus, quàm falsæ misericordiæ fulgore delusus, dicat in corde suo : *Nullæ sunt pœnæ æternæ ;* iste, dicemus ex Aug. *tantò invenitur errare deformiùs, quantò sibi videtur sentire clementiùs.* ℟. ergo nego min. Ad 1^m prob. nego ant. Nam 1° falsum supponitur ex duratione sceleris pœnæ durationem esse metiendam. Nam, ut præclarè ait Aug. nullius *id unquam iustitia legis attendit, ut tantâ morâ temporis quisque puniatur, quantâ morâ temporis unde puniretur admisit.* Imò etiam in humanis legibus *ignominia, exilium, servitus, cùm plerumque sic infliguntur ut nullâ veniâ relaxentur, nonne pro huius vitæ modo similia pœnis videntur æternis? Ideò quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita quæ his plectitur porrigitur in æternum (3).*

74 2° : « Falsum est pœnas omnes constitui ut medi« cinas eorum quibus infliguntur; nam pœnæ per quas ali-

---

(3) Hæc Aug. de Civ. Dei lib. XXI. c. 11, *ubi hoc argumentum versans, ait etiam : « Qui pro aliquo grandi « crimine morte mulctatur, nunquid morâ qua occiditur « quæ perbrevis est, eius supplicium leges æstimant, et « non quòd eum in sempiternum auferunt de societate vi« ventium? Quod est autem de istâ civitate mortali ho« mines supplicio primæ mortis, hoc est de civitate illâ « immortali homines supplicio secundæ mortis auferre. « Sicut enim non efficiunt leges huius civitatis, ut in eam « quisque revocetur occisus ; sic nec illius, ut in vitam « revocetur æternam secundâ morte damnatus ».*

« qui omninò à civitatis societate exterminantur, non sunt « ad eorum correctionem ; possunt tamen esse ad correc- « tionem, et tranquillitatem aliorum, qui in civitate re- « manent ; et ita damnatio æterna impiorum est ad cor- « rectionem eorum, qui nunc sunt in mundo. Non enim « pœnæ sunt ad correctionem solùm quando infliguntur, « sed etiam quando determinantur (4) ». Itaque Divinæ iustitiæ non adversatur pœnarum æternitas. Imò est ei conformis. 1° : Deus præmia pœnis æquavit, utraque æterna constituit, et alterutrum eligendi potestatem fecit hominibus : ergo iustè mala infliguntur æterna ei qui bonum contempsit æternum (5).

---

(4) Hæc D. Th. in Supp. q. 99. a. 1 ad 3m *ubi* ad 4m *addit « pœnas æternas esse utiles ad duo.* 1° *ad hoc quod « in eis Divina iustitia conservatur ; quæ est Deo accepta « propter se ipsum. Unde Greg. in Dialogo :* Omnipotens « Deus quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur ; « quia autem iustus est, ab iniquorum ultione in perpe- « tuum non sedatur. 2° *ad hoc sunt utiles ut de his electi « gaudeant, dum in iis Dei iustitiam contemplantur, et « eas se evasisse cognoscant..... Et hoc est quod Greg. di- « cit* 4. *Dial.:* Iniqui omnes æterno supplicio deputati suâ « quidem iniquitate puniuntur, et tamen ad aliquid arde- « bunt, scilicet ut iusti omnes et in Deo videant gaudia « quæ perceperunt, et in illis percipiant supplicia quæ « evaserunt ; quatenùs tantò magis in æternum Divinæ gra- « tiæ debitores se esse cognoscant, quantò in æternum « mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt ».

(5) D. Aug. de Civ. Dei lib. 21 *cap.* 12 : « *Sed pœna « æterna ideò dura et iniusta sensibus videtur humanis, « quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest « ille sensus altissimæ purissimæque sapientiæ, quo sentiri « possit quantum nefas in illâ primâ prævaricatione com- « missum sit. Quantò enim magis homo fruebatur Deo, « tantò maiore impietate dereliquit Deum, et factus est « malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod « esse posset æternum* ».

75 2° : Pœna taxatur secundùm dignitatem eius in quem peccatur : unde maiori pœnâ punitur qui percutit alapâ principem, quàm alium quemcumque ; sed qui peccat mortaliter, peccat contra Deum, cuius præcepta transgreditur, et cuius honorem alii impartitur, dum in alio finem constituit ; maiestas autem Dei est infinita : ergo qui peccat mortaliter dignus est infinitâ pœnâ ; sed pœna creaturæ nequit esse infinita per intensionem : ergo ex iustitiâ requiritur quòd sit saltem infinita in duratione (6). Ad id quod de Dei bonitate et clementiâ subditur, patet ex dictis de iustitiâ : nam Dei misericordia sapientiæ ordine regulatur ; unde non se extendit ad eos qui se misericordiæ fecerunt indignos, nempè dæmones et damnatos, nisi quatenùs citra condignum puniuntur. Natura ad vitia proclivis à Deo condita non est, sed ab hominis malitiâ per peccatum facta est (7).

76 Obi. 2° contra II^m^ et III^m^ : Beatitudo non est præ-

---

(6) *Hæc D. Th. in* Sup. q. 99. a. 1. *ubi quærit an pœnæ æternæ sint ex Dei iustitiâ : sequentibus verò articulis inquirit, an opponantur Divinæ misericordiæ. Easdem quæstiones versat D. Aug.* citato lib. XXI. de Civ. Dei à cap. 9. ad finem. *In utroque deprehendimus ab antiquis gentilibus et hæreticis obiecta esse, et à sanctis Patribus omninò soluta sophismata omnia, quæ in recentium libertinorum ac deistarum libris ad fastidium usque repetita leguntur.*

(7) « *Hinc est,* ut præclarè ait Aug. cap. 12. *universa « generis humani massa damnata ; quoniam qui hoc primus admisit, cum eâ, quæ in illo fuerat radicata, suâ « stirpe punitus est ; ut nullus ab hoc iusto debitoque supplicio, nisi misericordiâ et indebitâ gratiâ liberetur ; « atque ita dispertiatur genus humanum, ut in quibusdam « demonstretur, quid valeat misericors gratia, in cæteris « quid iusta vindicta... Quæ si omnibus redderetur, iustitiam vindicantis iustè nemo reprehenderet ; quia verò « tam multi exinde liberantur, est unde agantur maximæ « gratiæ gratuito muneri liberantis* ».

mium: ergo eam aut omnibus concedet divina Bonitas: aut certè nulli divina Iustitia adhuc post corporis mortem. Ant. pr.: Præmium supponit debitum aliquod in præmiante; sed blasphemiam sonat Deum ponere debitorem hominibus, seu facturæ suæ: ergo. ℟. dist. ult. min.; et tamen Deus suis perfectionibus aliquid debet, hoc est nil facere potest, quod sit Divinis perfectionibus contrarium, conc.; secùs, nego. Itaque quod simus, quod vivamus, sentiamus, intelligamus, quod aliquid in ordine naturæ vel gratiæ rectè agamus, totum Deo acceptum referre debemus: solum quod peccamus, seu quod deficimus, nostrum est. Nihilominùs Deus constituit nobis beatitudinem ut præmium supernaturalium actionum, quas suâ ipsius gratiâ facimus: Deus voluit, ut beatitudo esset *merces, bravium, corona iustitiæ*, quam suis operibus consequerentur illi quos ad eam elegit. Consequens est igitur, ut beatitudinem iustis elargiatur. At hæc fusiùs Theologi.

77 Contrà: Hæc responsio revelationi innititur: ergo saltem ex naturali ratione beatitudinem futuram non licèt colligere. ℟. quòd solâ ratione naturali iam maneret soluta obiectio. Etenim naturali ratione noscimus Deum esse iustum, nec esse posse nisi præmia bonis ut pœnas malis in alterâ vitâ constituerit, ut suprà arguebamus. Sanè beatitudinem futuram post mortem novit Plato, et innumeri alii ex Gentium Philosophis; fatendum est tamen revelationis munere, et faciliùs et clariùs et firmiùs et communiùs, veritates istas, in quibus tota vivendi ratio consistit, innotuisse: unde aliqua ex revelatione desumere Philosophis christianis immeritò reprehenderetur (8).

---

(8) *Burlamaquius in* Principiis Iuris naturalis, *cùm* parte 2. à cap. 12. *variis rationibus naturalibus fusè probasset, sanctionem legum naturalium in futurâ vitâ clarè patefaciendam esse, seu tum demum iustas earum violatoribus infligendas pœnas, sic concludit:* « *Optimum* « *Divinæ voluntatis in hac re cognoscendæ medium, foret* « *abs dubio expressa ipsius declaratio. At si nobis ut puris* « *Philosophis ratione utentibus, tam efficacem probatio-*

78 Obi. 3° : Vera hominis beatitudo non nisi toti homini convenire potest ; sed post mortem manet sola anima : ergo. Conf. : Si beatitudo competeret animæ à corpore separatæ, anima naturaliter appeteret separationem ; sed naturaliter refugit : ergo. Ab his et similibus argumentis sese facilè expediebant Platonici, dicentes corpus non pertinere ad essentiam hominis ; sed hunc esse solam animam, in corpore non ut in comparte, sed ut in carcere inclusam. Nos verò ℟. 1° ad arg. nego mai. ; nam bea-

---

« *nem adhibere non licuit: quid prohibet ut Philosophos* « *christianos, quas nobis Revelatio præbet, viribus uti* « *ad firmandas rationes è naturâ desumptas?* » *Sibi deinde gratulatur, omnia principia iuris à se posita, basim esse ad fundamentum cui Religionis ac morum ædificium christianâ doctrinâ erectum innititur. Atque hinc et in suorum principiorum certitudine firmatur, et in christianæ Religionis amorem accenditur.*

Burlamaquius igitur, quamquam doctrinâ revelatâ asserta sua firmare ausus non fuerit, conatus est tamen ea à ratione desumere, quæ forent revelationi consentanea. Proindèque cæteris Protestantibus, qui de iure naturæ scripserunt, longè præferendus; quarum plurimi revelationem in morali scientiâ audire vitio vertunt, imò aliqui aut de sanctione legum naturalium omninò tacent, aut in iure naturali non alium finem quàm hominum sociabilitatem, non alia officia quàm quæ huic deserviant, non alios violatores quàm qui eam oppugnent, non aliam sanctionem quàm pœnarum vitæ præsentis, agnoscunt. Dolendum est sanè horum Protestantium plurimos, qui aliunde nil solidæ doctrinæ continent, quod in nostris auctoribus non passim inveniatur, adeò magnificè commendari ab incautis sciolis nostris. Legant quæso attentè Dissertationem quam suo tractatui de Iure naturæ et Gentium etc. *præmisit eruditissimus Daniel Concina, in suâ* Theol. Christ. tom. 6°. *Ibi omnes cautè legere, et Puffendorfium, Cumberlandium, Thomasium, Wolffium, et alios quosdam addiscent pro meritis æstimare.*

titudo et in actibus intelligibilibus consistit, quos anima sine corpore elicere potest, et est præmium virtutis, quæ soli animæ formaliter convenit.

79 Ad conf. nego mai.; quæ solùm vera esset si beatitudo certò ac naturaliter consecutura foret separationem: sed quoniam anima naturaliter cognoscit post separationem non præcisè beatitudinem, sed aut illam aut miseriam, prout nempè fuerint opera, subsequi; ideò quantùm spe allicitur, tantùm timore removetur, sicque ex hac parte nec appetit nec refugit appetitu naturali separationem; quam aliunde naturaliter refugit, utpote contrariam naturali et actuali statui unionis animæ cum corpore.

80 Contrà: Anima à corpore separata desiderat uniri corpori ut comparti; sed ubi est desiderium inexpletum ibi non est beatitudo: ergo. ℟. dist. min.: ubi est desiderium *ex parte rei appetibilis*, conc.; ex parte *appetentis,* subdist.: ibi non est beatitudo *quoad essentiam,* nego; *quoad omnimodam sui perfectionem*, conc. Itaque anima sine corpore per intellectum et voluntatem habet obiectum quod suo appetitui sufficit, seu in quo eius appetitus quiescit, sicque habet beatitudinem quoad essentiam. At non omninò quiescit ex parte appetentis, quia illud bonum non possidet omni modo quo possidere vellet; nam anima vult ita frui Deo, quòd etiam ipsa fruitio derivetur ad corpus per redundantiam. Unde omnimoda perfectio beatitudinis non habetur sine corpore; quo reassumpto crescit beatitudo non *intensivè*, sed *extensivè*. Hæc *D. Th. q.* 4. *a.* 5. Adverte autem quòd mors non tam naturalis est, quàm per peccatum introducta; sicut per gratiam resurrectio mortuorum.

ART. II.

Qua ratione possit homo in præsenti vitâ aliqualem beatitudinem obtinere?

81 Etsi ea sit perfectæ beatitudinis conditio, ut cum huius vitæ miseriis stare nequeat; non est tamen adeò misera hominum sors, ut aliqualem beatitudinem sibi in

hac vitâ non valeant comparare. Certè sicut plena summi boni possessio alterius vitæ consummata felicitas est; ita inchoata summi boni assecutio, quæ in hac vitâ obtineri potest, felicitas quædam etsi imperfecta dici debet. Sicque *beati dicuntur aliqui in hac vitâ*, inquit D. Th. 1. 2. q. 5. a. 3, *vel propter spem beatitudinis adipiscendæ in futurâ, secundùm illud* (*Rom.* 8): Spe salvi facti sumus; *vel propter aliqualem participationem beatitudinis secundùm aliqualem summi boni fruitionem.* Unde

82 Conclusio: [1] *Vitiis indulgere, etiam in maximâ temporalium bonorum copiâ, vera miseria est:* [2] *Virtutis exercitio beatitudo, quæ in hac vitâ obtineri potest, comparatur:* [3] *Hæc beatitudo consistit in coniunctione hominis cum Deo, quæ perficitur et intellectu de Deo rectè sentiente, et voluntate ad Deum suos omnes affectus ordinante.* Pr. 1ª pars: Indulgere vitiis perpetuos conscientiæ stimulos, tristissimam mortis imaginem, Deique vindicis cogitationem, sicque magnas angustias ac timores secum adfert; sed hæ sunt veræ miseriæ: ergo. Adde: Rationem nobilissimam ab infimo appetitu superari miseria est; sed hæc est in omni vitio: ergo. Pr. 2ª pars: Ille beatus est, quantùm in hac vitâ fieri potest, qui id quod facit cum gaudio facit, ex suis actionibus nihil mali metuit, et summum bonum sperat; sed hæc felicitas virtutis exercitio comparatur: ergo.

83 Pr. 3ª pars: In coniunctione hominis cum Deo per rectam cognitionem ipsius, et affectus tali cognitioni commensuratos, cumulatè reperiuntur omnia bona quæ Philosophi ad beatitudinem optavere: ergo in eâ coniunctione consistit præsens beatitudo. Ant. pr.: In primis reperitur illa animi celsitudo, illudque *honestum* ac *decorum*, quod unicè bonum putavere Stoici (1): Quid enim celsius, quid honestius, ac magis decorum, quàm adhærere Deo, illum imitari, ei charum esse? 2° reperitur imperturbabi-

---

(1) *Cic. in Paradoxâ,* Quod honestum sit, id solum bonum esse, *sic concludit:* « *Profectò nil est aliud benè* « *et beatè vivere, nisi honestè et rectè vivere* ».

lis animi adamantina firmitas, quam nulli eventus possint violare : ecquid enim pavebit, qui certò tenet nihil in vitâ evenire, quàm quod iusserit amantissimus parens, optimusque amicus, qui nil decernit, nisi quod tandem vertat in commodum amicorum suorum ? (2)

84 Inest 3° illa iucundæ vitæ vera suavitas ab Epicureis tam celebrata, sed extra Deum, imò contra Deum, tam nefariè et stultè quæsita, quam [1] nec pavor irati numinis conturbet, [2] nec mortis metus exagitet, [3] nec cupiditatum inexplebilis fames cruciet; quæque [4] dolores leniter ferat, [5] bonis oblatis tranquillè fruatur, [6] illaque usque ad medullas degustet. Singula persequamur. Qui enim Deum ut par est novit et sincerè amat, eum habet non ut iracundum tyrannum, sed ut clementissimum Principem; à quo nemo lædi potest, nisi qui sibi ipsi priùs nocere voluerit, avertendo se ab hoc boni fonte.

85 *Mortem non timet*, probè sciens deficiente vitâ, se non ruiturum in profundam nihili voraginem, sed in manus Patris amantissimi; qui cum nobis nihil tale meritis, vitam ac multa bona dederit, maiora secreto à mortali corpore animo concedet, si hìc illum dilexerimus. *Cupiditate inexplebili non torquetur*, quia certò novit sibi nil deberi, proindeque non modo pro sufficienti, verùm etiam pro magno habet quidquid illi Deus concesserit. *Dolorem consolatur*, constanti persuasione, Dei medicas manus non torquere nisi ut prosint.

86 *Quæ in vitâ iucundâ occurrunt præ cæteris suaviùs degustat.* 1° quia virtute, ut sale conditâ, fiunt ei sapidiora. Deinde quòd puriori sit palato ac passionum ægritudine minimè depravato. Postremò quòd cùm omnia vitæ bona habeat ut Dei beneficia, gratius illa suscipit de tam digna et amicâ manu, lætusque cogitat se convivam mag-

---

(2) Seneca De Vitâ beatâ *cap.* 15. « *Quidquid ex* « *universi constitutione patiendum est, magno excipiatur* « *animo. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mor-* « *talia, nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis* « *non est. In regno nati sumus : Deo parere libertas est*».

ni Regis. Imò quia Deum habet ut amicum, non modò de bonis ab eo susceptis purissimam percipit voluntatem, sed etiam diviniori perfruitur delectatione, cùm cogitat quàm benè sit amico suo! quàm sit potens! quàm latè regnans! quàm dives! Cùm verò mundum et naturam contemplans luce meridianâ clariùs perspicit, ubique locorum ac temporum præsentis Dei, id est patris et amici, potestatem, bonitatem, sapientiam, beneficentiam, quàm puro, quàm casto, quàm suavi gaudio perfundetur?

87 Nec ad hæc opus est mente acutâ, sed simplici, quietâ, purâ et Deum amante. Huic *Cœli enarrant gloriam Dei.* Hæc *in Divinis operibus exultat.* Huius sunt castæ illæ iubilationes: *¡Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientiâ fecisti: Impleta est terra possessione tuâ: Tuus est dies et tua est nox: Tu fabricatus es auroram et solem,* et alia, quæ ex hac plenitudine gaudii Regius vates passim effundit: Ergo quicumque homo cuiusvis sortis et genii, sed cui altè animo insederint cognitio et amor Dei, emergentesque exinde affectus, planè beatissimus erit, quantùm præsentis vitæ conditio patiatur.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

88 Obi. 1°: Fuerunt et sunt aliqui multis perpetuisque fruentes voluptatibus nullo dolore, nullâ calamitate interruptis, qui tamen rationis limites in suis ipsis voluptatibus transgredientes, in vitio sunt. Nec contrà desunt virtuosi homines acerbis calumniis, summâ egestate, cruentisque doloribus cruciati, sine ullâ spe tot mala finem aliquando habitura; sed ridiculum foret et illos miseros, et hos beatos appellare: ergo nec vitia sunt semper miseriæ, nec virtus semper affert secum beatitudinem. ℞. nego min. Et quòd ad vitiosos attinet, 1° nec summa bonorum fortunæ ac corporis, sensibiliumque voluptatum copia, timores ac angustias mederi potest, de quibus n. 79 (3).

---

(3) *De vitiosis, qui voluptatibus, ut ipse ait, obsessi,*

89 2° : Certè si quis unquam felix fuisset inter vitia, fuisset profectò Salomon, Rex potentissimus, ditissimus ac sapientissimus, in diuturnâ regni pace sensuum omnium voluptatibus abundè fruitus; et tamen ipse sapientiam, divitias, potentiam, corporeasque voluptates sigillatim considerans in libro *Eccles.* de singulis ac de omnibus pronuntiat, quòd *vanitas sunt, et afflictio spiritûs,* ut tandem concludat *cap. ult. v.* 13 *: Deum time, et mandata eius serva : hoc est enim omnis homo,* id est, homo perfectus et felix.

90 Virtuosi verò in qualibet fortunâ benè se habent, et ob id ab Arist. *lib. I. Ethic. c.* 1. comparantur tetragono, seu corpori cubico, quod habet sex superficies quadratas, et in qualibet benè stat. Fortuitis casibus, nec prosperis extolluntur, nec deprimuntur adversis. Constans ipsis ac imperturbabilis voluptas est, voluptatum contemptio. Etiam doloribus circumvallati læto ac firmo sunt animo; nam temporales pœnas omnes considerant ut sudores, quibus Dei beneficio uberem felicitatum segetem posteà legant: ut ictus, quibus eorum animæ à Deo ceu pretiosi lapides poliantur, ad beatitudinis domum transferendæ: ut fructus acerbos, qui tamen patientiâ conditi cedant in delicias: non ut tempestuosos turbines quibus agitati fluctuent ac demergantur; sed ut placidos celerrimos ventos, quibus acti per huius vitæ pelagus, qua maiori tranquillitate fieri potest, ad summæ felicitatis portum rectiùs ferantur, et citiùs deveniant.

91 Obi. 2° : Si virtute comparanda foret beatitudo, bona corporis et fortunæ essent potiùs mala quàm bona; sed hoc non est dicendum : ergo. Mai. pr. : Ea bona sæpè virtutis sunt impedimenta, sicque impedirent beatitudinem; sed quod hanc impedit est malum : ergo. Conf. : Stoici et plures alii antiqui Philosophi eximiæ virtutis

---

felices passim habentur, sic iudicat Seneca de Vitâ beatâ c. 12 : « *Fatendum* est *tam longè illos ab omni molestiâ* « *abesse, quàm à bonâ mente ; et, quod plerisque contin-* « *git, hilarem insaniam insanire, ac per risum furere* ».

cultores solam virtutem inter bona, et solum vitium inter mala numerabant: Platonici in coniunctione cum Deo felicitatem quærebant; sed nihilominùs infelicissimi fuere: ergo. ℟. dist. 2^m mai.: sunt virtutis impedimenta *ex malo usu voluntatis*, conc.; *ex se ipsis*, nego. Nam perinde sunt ut illius animus, qui ea possidet: qui uti scit, ei bona; illi qui non utitur rectè, mala. Imò hoc de talium bonorum copiâ dici debet; nam aliqualis eorum possessio sæpè beatitudini præsentis vitæ necessaria est; nempè de bonis corporis quantum opus sit, ut intellectus et voluntas validè operari possint; et de bonis fortunæ, quantum ad vitæ sustentationem requiratur. *Vid. D. Th.* I. 2. *q.* 4. *a.* 5. 6. *et* 7.

92 Ad Conf. ℟. Stoicos virtutis nomine sæpè superbam iactantiam, et vanum virtutis spectrum significasse; et Platonicos abs dubio esse eos, qui in hac re propiùs ad veritatem accesserunt. Utrique cæteris fuere longè minùs infelices; ad felicitatem verò, quæ in hac vitâ obtineri potest, non pervenerunt, quoniam nec *veræ virtutis*, nec *veræ coniunctionis cum Deo* habuere notitiam. Utraque ex doctrinâ revelatâ desumenda est, in qua manifestiora fiunt, quæ naturali lumine solùm obscurè intelligebantur, et ut caducæ fortunæ vices, bona malaque, æquo pede calcemus, longè securior spes longè præstantiorum futurorum bonorum, gratiæ thesauri, et innumera alia inæstimabilia bona nobis à Christo Domino misericorditer conceduntur.

ART. III.

In qua operatione præcipuè consistat beatitudo?

93 Prænotandum est 1° quòd licèt beatitudinis obiectum seu beatitudo obiectiva sit ipse Deus, sicque aliquid increatum; at beatitudinis essentia, seu beatitudo formalis, est creatum aliquid in ipso homine existens, nempè adeptio vel fruitio ipsius ultimi finis, seu actio aut operatio qua ad Dei ceu ultimi finis possessionem pertingi-

mus. Ita *D. Th.* 1. 2. *q.* 3. *a.* 1. *et* 2. Prænot^{m} 2^{o} quòd cùm Deus sit hominis summùm Bonum, Deum autem sensu attingere non possimus; ideò operationes sensûs non possunt *essentialiter* pertinere ad beatitudinem; sed solùm aut *antecedenter*, ut in præsenti vitâ, in qua omnis operatio intellectûs prærequirit aliquam operationem sensûs; aut *consequenter*, ut in futurâ vitâ, in qua post resurrectionem, ut ait Aug. *Epist.* 118. *ad Dioscor. c.* 3, fiet quædam refluentia in corpus et in sensus corporeos, ut in suis operationibus perficiantur.

94 Prænot^{m} 3^{o} quòd beatitudo *quoad statum* est integra complexio bonorum omnium, quæ statui beato debentur. Unde à Boëtio definitur: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Beatitudo autem *quoad essentiam* est ipsa consecutio summi boni, à qua cætera bona profluunt. Et ideò beatitudo *quoad statum* complectitur cognitionem intellectûs, amorem et gaudium voluntatis etc. At beatitudo quoad essentiam unica operatio esse debet; nam bonum simplex, ut est Deus, unicâ operatione possidetur. Quærimus ergo an hæc operatio sit intellectûs vel voluntatis.

95 I^{a} conclusio: *Etsi beatitudinis status ferventem amorem, et summum gaudium includat, tamen ipsa beatitudinis essentia consistere nequit in actu voluntatis.* Ita D. Th. 1. 2. q. 3. a. 4. Pr. eius ratione: Beatitudo essentialiter consistit in consecutione summi boni; sed hæc nequit esse actus voluntatis: ergo. Mai. patet; ut enim felicitas obiectiva est summum bonum, ita felicitas formalis est illius assecutio. Min. pr. 1°: Omnis voluntatis actus est inclinatio ad bonum; sed inclinatio non est assecutiva boni, aliàs ut assequeremur bonum satis esset ipsum velle: ergo. 2°: Voluntas non tangit bonum nisi *affectivè*, in quantum affectus eius terminatur ad ipsum; cæterùm attactus *effectivus* seu *possessivus* fit per aliud, ut si est bonum sensibile per sensum, v. g. sapor gustu, et pecunia tactu. Si sit bonum intelligibile, per intellectum, sicut doctus intellectu possidet scientiam: ergo.

96 3°: Omnis actus voluntatis vel reducitur ad desiderium, seu est boni absentis, vel reducitur ad delecta-

tionem, seu iam est boni præsentis ; sed neutro modo potest esse assecutio summi boni : ergo. 1ª pars ex terminis constat, nempè quòd inclinatio in bonum absens non est eius assecutio, sed motus ad illud. Pr. 2ª pars : Delectatio advenit voluntati ex hoc quòd finis seu bonum est præsens; non autem è converso ex hoc aliquid fit præsens, quia voluntas delectatur in ipso : ergo oportet aliquid aliud esse quàm actum voluntatis, per quod finis ipse fit præsens voluntati. Hinc patet quòd etiam fruitio, cùm sit iucunda quies in bono possessio, non facit possessionem boni, sed eam consequitur. Amor abstrahit à præsentiâ et absentiâ, ut patet : ergo in nullo actu voluntatis etc.

97 IIª conclusio : *Beatitudo formalis essentialiter consistit in actu intellectûs.* Ita D. Th. eod. art. 4. et D. Aug. lib. 83. qq. Quæst. 35, ubi hæc habet : *Quid est aliud beatè vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere? Æternum est enim, de quo solo rectè fiditur, quod amanti auferri non potest : idque ipsum est, quod nil sit aliud habere quàm nosse. Omnium enim rerum præstantissimum est quod æternum est; et propterea id habere non possumus, nisi eâ re qua præstantiores sumus, id est mente. Quidquid autem mente habetur, cognoscendo habetur.* Pr. rationibus quas hìc tangit D. Aug. et variis in locis D. Th. 1° : Beatitudo essentialis est possessio summi boni, quod est intelligibile; sed bonum intelligibile habetur intellectu et non voluntate, sicut bonum sensibile sensu et non appetitu : ergo. 2° : Beatitudo essentialis est operatio præstantissimæ facultatis ; sed hæc est intellectus, ut dicitur in Metaphysicâ : ergo.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

98 Obi. 1° contra utramque : Homo perfectiùs unitur Deo per affectum quàm per intellectum ; sed beatitudo est perfectissima cum Deo coniunctio : ergo. ℟. *ex D. Th. in IV. Dist.* 49. *q.* 2. a. 1. *ad* 5ᵐ ; ideò hominem perfectiùs coniungi Deo per affectum quàm per intellectum, quia unio affectiva supponit intellectivam, cui advenit decorans et perficiens ipsam, sicut proprietas essentiam.

1° enim necesse est assequi bonum intelligibile, et hoc fit per intellectum. Deindè ex affectivâ consecutione derivatur in voluntatem affectiva adhæsio, et veluti spiritualis complexus boni possessi; quatenùs ei tamquam centro affectus uniuntur et adhærent, cupientes ipsum firmiter retinere. Unde in formâ: homo perfectiùs unitur Deo per affectum perfectione *consummativâ* et *completivâ*, conc.; perfectione *essentiali* et *quidditativâ*, nego. Itaque si per impossibile aliquis Dei perfectam cognitionem haberet sine amore et gaudio, non esset *completè* et *consummatè* beatus.

99 Obi. 2°: Beatitudo essentialis est quid ultimum: sed actus voluntatis, scilicet fruitio et delectatio, sunt ultimæ operationes circa bonum: ergo in ipsis etc. ℟. dist. mai.: Beatitudo est quid ultimum *simpliciter,* et per modum consecutionis, conc.; *secundùm quid,* et per modum complementi et proprietatis ex consecutione boni derivantis, nego mai.; et è converso distinctâ min. nego cons. Ut enim in generatione forma substantialis dicitur ultimus terminus *simpliciter*, proprietates verò ab eâ dimanantes sunt solùm quid ultimum *secundùm quid:* ita consecutio summi boni dicitur simpliciter ultimus terminus; operationes verò illam consequentes, ut delectatio et fruitio, sunt solùm quid ultimum secundùm quid, et per modum complementi et proprietatis. Unde à D. Aug. X. *Conf.*: Beatitudo dicitur *gaudium* de *veritate,* quia scilicet ipsum gaudium est consummatio beatitudinis.

100 Ut alia solvas argumenta, nota 1°: Sanctos Patres ut plurimùm loqui de beatitudine generatim *quoad statum,* non strictè *quoad essentiam: rethoricè,* non *philosophicè*: eam per proprietates et adiuncta *describere*, non quidditativè *definire.* 2°: Licèt unio per amorem in hac vitâ in ratione meriti, et aliis titulis nobilior esse soleat, quàm unio intellectiva; tamen semper est unio *affectiva*, et nunquam *effectiva* seu possessiva, sicque minùs apta est, ut sit essentialis beatitudo. 3°: Beatitudo licèt respiciat bonum, non tamen ut *appetibile,* sed ut *consecutum* seu *possessum*; et hoc modo iam intellectus attingit bonum. 4°: Non sola voluntas, sed etiam aliæ potentiæ tendunt in bonum: illa *affectivè*, istæ *executivè*, ut sen-

sus ad bona sensibilia, et intellectus ad intelligibilia. Eius autem est assequi *effectivè* bonum, quod ad illud tendit non *affectivè* tantùm, sed *executivè*. Tandem beatitudo dicitur *operatio virtutis*, scilicet intellectualis seu contemplativæ; aut etiam operatio impropriè seu effectus virtutis etiam moralis, quatenùs istâ beatitudinem promeremur.

LIBER II.

DE ACTIBUS QUIBUS AD BEATITUDINEM PERVENITUR, VEL AB EA DEVIATUR.

101 PRIORI libro proposuimus *quid sit quod appetamus; nunc*, ut ait Seneca *de Vitâ beatâ* c. 1. *circumspiciendum est, quà contendere illò celerrimè possimus*. Sic decretum habebimus et *quò tendamus*, et *quà*. Iam verò ad beatitudinem per actus aliquos necesse est pervenire: unde oportet, consideratâ beatitudine, de humanis actibus agere, ut sciamus quibus perveniatur ad beatitudinem, vel impediatur beatitudinis via. Agemus ergo 1° de actibus verè humanis seu homini propriis, hoc est de actibus appetitûs rationalis seu voluntatis: deinde eorum bonitatem seu malitiam, in quibus moralitatis ratio consistit, expendemus. Sed quoniam ad plures actus trahitur voluntas ab appetitu sensitivo passionibus agitato, ideò de istis quoque erunt aliqua superaddenda. Tres igitur erunt istius libri quæstiones, 1ª de actibus voluntatis. 2ª de eorum bonitate et malitiâ. 3ª de passionibus animi.

QUÆSTIO I.

DE ACTIBUS VOLUNTATIS.

102 VOLUNTATIS actus expendemus 1° in universali: 2° eos singulatim, qui finem ultimum attingunt: 3° cæteros elicitos, qui circa media versantur: 4° illos, qui licèt ab aliis potentiis eliciti, sunt tamen voluntatis ut imperantis.

ART. I.

DE ACTIBUS VOLUNTATIS IN UNIVERSALI.

103 ACTUUM voluntatis in universali explicabimus tum rationem voluntarii, tum circumstantias quibus affici possunt. Et quoniam voluntas variè se habet interveniente violentiâ, metu, concupiscentiâ aut ignorantiâ; de voluntario quo tunc operatur, agendum quoque est in hoc articulo, quem quatuor paragraphis complectemur.

§ I.

Quid et quotuplex sit voluntarium.

104 I^a conclusio: Voluntarium definitur: *Cuius principium est ab intrinseco cum cognitione finis.* Ita Arist. III. Ethic. c. 1. et D. Th. 1. 2. q. 6. a. 1. et 2, ubi ex hac definitione probat voluntarium esse perfectè in hominibus, et in brutis solùm imperfectè iuxta eorum cognitionem. Explicatur ex D. Th.: Nomen voluntarii propriè importat, ut motus et actus sit à propriâ illius qui mo-

vetur inclinatione : proindeque perfectè à principio intrinseco ; quippe ea quæ ab extrinseco sunt, non sunt ex inclinatione, sed quasi ex violentiâ. Ad motum autem tria concurrunt principia : *passivum* quod movetur, *activum* quod movet, et *finale* quod excitat et allicit agens ad movendum.

105 Ille ergo motus dicitur perfectè ab intrinseco procedere, proindèque voluntarius, cuius hæc omnia principia sunt ab intrinseco ; ita ut in eo quod movetur non solùm sit principium talis motûs susceptivum, uti est in corpore cœlesti ; aut etiam activum, uti est in omni motu vitali ; sed etiam finale, ut est in agentibus cognitione præditis, quæ ex finis cognitione se movent ad agendum : ut animal ex cognitione cibi, qui est finis localis motûs, se movet ad eius prosecutionem. Hæc autem omnia comprehendit iam data definitio : principium quidem passivum et activum, dum dicit motum voluntarium esse, *cuius principium est ab intrinseco ;* finale verò dum additur *cum cognitione finis.*

106 II^{a} conclusio : Voluntarium variè dividitur. 1° in *perfectum,* quod regulatur cognitione attingente finem etiam formaliter, seu eius merita ponderando, et cum mediorum utilitate conferendo ; et *imperfectum*, quod procedit ex imperfectâ finis notitiâ, quæ scilicet finem et eius bonitatem solùm materialiter apprehendit. 2° in *liberum,* quod regulatur per iudicium indifferens ; et *necessarium*, quod regulatur per iudicium ad unum determinatum. 3° in *formale*, quod procedit à voluntate per actum proprium ; et *virtuale*, quod procedit ex aliquo actu præcedente, in quo virtualiter includitur, et à quo sequitur. Ut dum quis iter facit, singuli passus dicuntur *voluntarii virtualiter.*

107 4° dividitur voluntarium in *elicitum,* quod est actus ipsius voluntatis, ut odium et amor ; et *imperatum*, seu actum quem alia potentia elicit ex applicatione voluntatis, ut ambulatio et locutio. 5° in *physicum*, quod est à voluntate propriæ personæ ; et *morale,* quod fit per procuratorem cui ius nostrum commissum est vel à lege, vel à naturâ, vel à nobis. Sic dispositio tutoris est mora-

liter voluntaria pupillis, et dispositio magistratuum toti urbi. Tandem in *positivum* et *negativum*, *seu* ut alii vocant in *directum* et *indirectum*. Positivum seu directum est, quod fit per actûs positionem; negativum et indirectum per actûs omissionem. Nempè quando aliquis potest et debet agere, et tamen non agit, id quod sequitur ad defectum actionis dicitur ei voluntarium indirectè; ut subversio navis est voluntaria gubernatori, si accidat ob eius omissionem. Hinc colligit D. Th. *art.* 3. quòd voluntarium potest esse nedum absque actu exteriori, sed etiam absque actu interiori.

§ II.

An violentia et metus causent involuntarium?

108 Prænotandum 1° quòd violentia est duplex, nempè *sufficiens*, *compellens* aut *absoluta*, et *insufficiens*, *impulsiva* seu *conditionata*. 1ª, quam etiam *physicam* propriè dixeris, est cùm actus aliquis vi ineluctabili à nobis invitis et repugnantibus extorquetur. 2ª, quæ potest etiam dici *moralis*, est cùm dolore ac suppliciis consensus voluntatis extorquetur. Sic dum tyrannus violenter arripit manum, et cogit ad impiam subscriptionem, est violentia *physica*: dum corpus torquet, ut voluntas fidem abneget, est violentia *moralis*. Prænotᵐ 2° quòd violentia physica solùm habet locum in actibus imperatis à voluntate, non autem in actibus ab ipsâ elicitis; nam isti nil aliud sunt quàm actus procedentes ab interiori principio cognoscente: unde impossibile est quòd procedant à principio extrinseco. Itaque potest homo v. g. per violentiam trahi; sed quòd hoc sit ex eius voluntate repugnat rationi violentiæ. Ita *D. Th. hìc a.* 4.

109 Iª conclusio: *Violentia physica* (quæ sola est propriè violentia) *causat involuntarium*. Ita D. Th. hìc a. 5. Pr.: Violentia directè opponitur voluntario, sicut et naturali: nam utrumque est à principio intrinseco, violentum autem est à principio extrinseco: ergo sicut in rebus quæ cognitione carent, violentia facit aliquid esse

contra naturam, seu innaturale; ita in rebus cognoscentibus facit aliquid esse contra voluntatem, seu involuntarium.

110 IIª conclusio: *Quæ pèr metum aguntur sunt voluntaria simpliciter, et involuntaria secundùm quid.* Ita D. Th. hìc a. 6. Ante probationem nota quòd *metus* est: *Passio causata ex malo impendente difficilè vitabili.* Alius dicitur *gravis, et qui cadat etiam in virum constantem;* alius *levis, et non cadens in constantem virum.* Dum ex metu aliquid agimus, ut dum mercator metu naufragii merces in mare proiicit ad alleviandam navim, tria concurrunt. 1° amor minoris boni, nempè mercium: 2° amor maioris boni, scilicet vitæ; et 3° consensus in carentiam minoris boni ad conservandum maius. Hinc apparet hunc consensum metu extortum esse mixtum ex voluntario et involuntario; nam est contra primam inclinationem, et iuxta secundam. Adde quòd est *ab intrinseco,* quatenùs est ab amore maioris boni, amor autem ab intimis voluntatis visceribus enascitur; et *ab extrinseco*, nempè à timore, timor enim est passio appetitui minimè naturalis, sed forinsecùs ab urgente periculo intrusa.

111 Pr. nunc conclusio ratione D. Th.: Actus, qui attentis omnibus circumstantiis efficaciter est volitus, est simpliciter voluntarius, et si inefficaciter et conditionatè est non volitus, erit involuntarius secundùm quid; sed actus qui fiunt ex metu, attentis omnibus circumstantiis sunt voliti, ideòque voluntate efficaci et inferente effectum, et solùm inefficaciter et conditionatè sunt non voliti, si nempè esset alia evadendi mali via: ergo sunt simpliciter voluntarii, et involuntarii tantùm secundùm quid. Mai. patet; nam actus sunt singulares, sicque sunt in actu cum omnibus circumstantiis et conditionibus individualibus: unumquodque autem dicitur *simpliciter esse* secundùm quod est in actu, et solùm *secundùm quid*, quatenùs est in solâ apprehensione (1).

---

(1) *Hinc colliges* 1° *quòd licèt metus minuat peccati malitiam, actiones tamen quæ ex metu fiunt semper sunt*

§ III.

An concupiscentia et ignorantia tollant voluntarium?

112 1ª conclusio : *Concupiscentia non tollit, sed potiùs facit voluntarium.* Ita D. Th. hìc art. 7. Pr. eius ratione : Dicitur aliquid voluntarium ex eo quòd voluntas in id

---

sat voluntariæ ut ad peccatum imputentur. Aliquæ tamen sunt actiones quæ ob metum desinunt esse peccaminosæ, non quia desinant esse voluntariæ, sed quia ob metum quasi iure necessitatis desinunt esse malæ; ut proiectio mercium in mare, quæ cæteroquin moraliter mala foret, bona est urgente gravi pereundæ navis metu, nisi allevietur. Cautè tamen adverte duo esse omninò necessaria, ut ob metum, iure necessitatis, actio desinat esse mala. 1° *quòd actio non sit intrinsecè inhonesta, imò solùm sit mala quia noxia.* 2° *quòd damnum ex actione consecutum longè minus sit, aut inferioris ordinis, damno certò imminente nisi actio fiat. Defectu prioris conditionis mendacium etsi leve est illicitum, etiam ad vitandam in Deum blasphemiam; quia mendacium ex se intrinsecè inhonestum est. Defectu posterioris, illicita foret latronis cum nostrâ pecuniâ fugientis occisio, dùm minùs malum est propriæ pecuniæ defectus qui timetur, quàm mors proximi.*

Quæ de actionibus ex metu factis diximus, facilè transferuntur ad eas quæ fiunt ex violentiâ morali; nam hæc est quæ infert gravem metum. Burlamaquius in Princ. Iuris Nat. *Part. II. c.* 11, *observat Puffendorffii in hac re principia* nec iusta esse, nec inter se connexa. *Ipse verò prudenter* n. 7. *statuit actiones malas ex violentiâ morali factas imputabiles esse ad peccatum, et re ipsâ imputari*, nisi necessitate excusentur. *At in hac exceptione explicandâ, vellem distinctiùs et exactiùs fuisse*

fertur; sed concupiscentia non impedit sed magis facit, ut voluntas in aliquid feratur: ergo. Min. declaratur ex discrimine inter metum et concupiscentiam. Metus enim non reddit opus gratum et amatum, sed solùm invitam quadantenùs voluntatem necessitatis vinculis trahit; ideòque opus ex metu remanet semper displicens ac odiosum, proindèque aliquatenùs involuntarium. At verò concupiscentia movet ad opus, reddendo illud gratum: unde in his, quæ ex concupiscentiâ victrice fiunt, non manet prior voluntas, sed nova subrogatur, qua opus priùs displicens, de novo gratum et amabile, proindèque voluntarium fit. Inde timidus agit contra id quod etiam nunc secundùm se vult; at incontinens ex concupiscentiâ agit quidem contra id quod priùs proponebat, non autem contra id quod nunc vult.

113 Obi. tamen 1° : Concupiscentia minuit peccatum; minùs enim peccat, qui ex passione, quàm qui ex malitiâ peccat: ergo minuit voluntarium. 2° : Concupiscentia minuit cognitionem; nam ideò dicitur excæcare: ergo. ℟. ad 1m : Concupiscentiam minuere peccatum, non quòd minuat rationem voluntarii, sed quia impedit perfectam deliberationem. In his enim magis meremur aut demeremur, quæ ex pleniore iudicii deliberatione agimus. ℟. ad 2m quòd hæc diminutio cognitionis est voluntaria, quatenùs voluntas passione præoccupata retrahit iudicium à diligenti examine. Unde talis inconsideratio non tollit rationem voluntarii.

114 IIa conclusio: *Ignorantia tollit voluntarium, sed non omnis.* Ita D. Th. hìc a. 8. Explicatur simul et pr. conclusio. Triplex distinguitur ignorantia: antecedens,

---

locutum. Concludit enim n. 8. *hanc excusationem obtinere locum,* quoties actio, quæ ad evadendum elicitur, minùs malum infert, quàm sit illud quod imminebat. *Profectò si hìc sistamus, et mendacium ad vitandam Dei blasphemiam, et forsan etiam ad vitandam mortem, evaderet iustum, et alia plura non minùs cum morali, ut ipse ait, instinctu et rectâ ratione pugnantia.*

consequens, et concomitans. Ignorantia *antecedens* est, quæ nullo modo est volita, et est causa volendi aliquid, quod non eligeretur si adesset cognitio; ut dum quis amicum in sylva latentem incautus percutit, putans esse feram. Ignorantia *consequens* seu *subsequens* est quæ aliquo modo est volita, vel expressè ut illorum qui (Iob 21) dicunt Deo: *Scientiam viarum tuarum nolumus*; et hæc dicitur *malitiosa et affectata*: vel tacitè et interpretativè, ut cùm quis ignorat quæ scire potest et debet, et hæc dicitur ignorantia *crassa*; et etiam est duplex, scilicet cùm aliquis actu non considerat quod considerare potest et debet, quæ est ignorantia *malæ electionis*, vel ex passione vel ex habitu proveniens; sive cùm aliquis notitiam quam debet habere non curat adquirere, ut ignorantia universalium iuris, quæ quis scire tenetur.

115 Ignorantia demum *concomitans* dicitur, quæ quidem nullo modo est volita; est tamen causa volendi aliquid, quod proindè fieret si cognitio adesset. Ut dum aliquis, putans occidere cervum, occidit hostem, quem etiam occidisset si vidisset. His positis, 1° : Ignorantia antecedens omninò tollit voluntarium; quia omninò tollit cognitionem, atque inducit ad opus voluntati repugnans. 2° : Ignorantia consequens non tollit voluntarium; cùm enim ipsa sit volita, sunt etiam volita, saltem in causâ, omnia quæ ex eâ fiunt. 3° : Ignorantia concomitans non facit involuntarium, quia nil causat repugnans voluntati; facit autem *non voluntarium*, quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est.

§ IV.

DE CIRCUMSTANTIIS HUMANORUM ACTUUM.

116 Prænotandum 1° ex D. Th. 1. 2. q. 7. a. 1. quòd sicut in localibus dicitur *circumstare* id quod est quidem extrinsecum à re, at ipsam attingit, vel ei appropinquat secundùm locum: ita quæcumque conditiones sunt extra substantiam actûs, et tamen attingunt aliquo modo actum humanum, eius *circumstantiæ* dicuntur; et etiam

accidentia, nam quod est extra substantiam rei ad rem ipsam pertinens, eius accidens dicitur. Nec obstat ipsum actum humanum esse accidens : nam unius accidentis potest esse aliud accidens, aut sicut color est in superficie, aut sicut dulcedo est in albo. Prænot^{m} 2° quòd ad philosophum moralem pertinet agere de circumstantiis humanorum actuum, quatenùs secundùm eas invenitur vel prætermittitur in humanis actibus et passionibus medium virtutis ad consequendam beatitudinem : ad politicum et rhetorem sub aliis titulis ; et ad theologum sub omnibus. Ita *D. Th. hìc a.* 2.

117 Conclusio: *Tullius optimè assignat septem circumstantias, hoc versu contentas* :

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodó, Quando.

Considerandum est enim in actibus quis fecerit, quid fecerit, ubi fecerit, quibus auxiliis vel instrumentis fecerit, cur fecerit, quomodò fecerit, at quando fecerit. Sed Arist. III. *Ethic.* addit aliam, scilicet *circa quid*, quæ à Tullio comprehenditur sub *quid*.

118 Et ratio huius annumerationis sic accipi potest : Circumstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens, ita tamen quòd aliquo modo attingat ipsum. Id quod tripliciter fit. 1° in quantùm attingit ipsum actum : 2° causam actûs : 3° effectum. Actum verò attingit, vel per modum mensuræ, ut tempus seu *quando*, et locus seu *ubi* : vel per modum qualitatis actûs, ut modus agendi, seu *quomodò*. Si effectum attingit, est circumstantia *quid* : si causam, aut finalem seu *propter quid*, aut materialem sive obiectum seu *circa quid*, aut agentem principalem seu *quis*, aut agentem instrumentalem seu *quibus auxiliis*. Ita *D. Th. hìc a.* 3.

119 Obi. : Circumstantiæ non sunt substantia actûs ; sed ipsius causæ sæpè sunt eius substantia : ergo ex causis sumi non debent circumstantiæ. ℟. quòd illa conditio causæ, ex qua substantia actûs dependet, non dicitur circumstantia, sed aliqua conditio adiuncta : sicut in obiecto non dicitur circumstantia furti, quòd sit alienum, hoc enim pertinet ad furti substantiam, sed quòd sit magnum vel parvum. Similiter in aliis causis, v. g. quòd per-

fundens aliquem aquâ abluat ipsum, non est circumstantia, sed solùm quòd abluendo infrigidet vel calefaciat, sanet vel noceat. *D. Th. ad* 3^m^. Nota quòd cùm actus sint humani prout voluntarii, et voluntatis motivum sit finis, ideò principalior circumstantiarum est quæ attingit actum ex parte finis *cuius gratiâ*, seu *cur*; deinde quæ attingit ipsam substantiam actûs, seu *quid* fecit; aliæ verò magis vel minùs principales sunt, prout ad istas magis vel minùs accedunt. Ita *D. Th. a.* 4.

ART. II.

DE ACTIBUS VOLUNTATIS CIRCA FINEM.

120 PRÆNOTANDUM 1° quòd *voluntas* quandoque dicitur ipsa potentia, qua volumus; quandoque autem simplex voluntatis actus. Iste actus non attingit media, sed solùm finem; sicut actus qui dicitur *intelligentia* non attingit conclusiones, sed solùm principia. Voluntas autem potentia attingit et finem et media, vel diversis actibus, vel etiam eodem actu, dum nempè vult media propter finem. Sicut etiam intellectus aut cognoscit sola principia, aut etiam conclusionibus assentitur propter principia. Ita *D. Th.* 1. 2. *q.* 8. =Prænot^m^ 2° quòd intellectus præsentans voluntati suum obiectum, eam movet quoad *specificationem* seu *determinationem actûs*; et vicissim voluntas movet intellectum, sicut alias potentias, quoad *exercitium*; utimur enim aliis potentiis cùm volumus. Ita *D. Th. hìc q.* 9. *a.* 1.

121 Prænot^m^ 3° quòd voluntas etiam movetur ab appetitu sensitivo ex parte obiecti; quatenùs passiones appetitûs faciunt quòd obiectum videatur voluntati conveniens aut disconveniens: sicut irato videtur bonum quod non videtur quieto. Unde voluntas *simpliciter* et *secundùm se* præstantior appetitu sensitivo, ipsi *secundùm quid* subiicitur in iis in quibus passiones dominantur. Itaque imperium intellectûs et voluntatis supra passiones non est despoticum, seu ut domini ad servum; sed regale seu politicum, ut hominum liberorum. Etenim ut nimis

experimur, si in aliquibus appetitus omninò obedit rationi, in pluribus contrà movetur, seu ipsam voluntatem movet. *D. Th. hìc a.* 2.

122 Prænot^{m} 4° *ex art.* 3, quòd voluntas, utpote domina sui actûs, etiam se ipsam movet quoad exercitium; quatenùs nempè per hoc quòd vult finem, movet se ipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem. Sed ad primum *velle*, seu primam volitionem finis, indiget moveri ab alio; tum quia voluntas se movet ad agendum præcedente consilio, et ad primum *velle* nequit consilium præsupponi; tum etiam quia voluntas incipit velle aliquid, cùm hoc priùs non vellet, seu quandoque est in potentiâ, et quandoque in actu volendi : unde opus est quòd ab alio reducatur in actum.

123 Sicque in primum motum procedit voluntas ex *instinctu* alicuius exterioris moventis. Hoc autem movens est ipse Deus, ut posteà dicemus; non autem corpora cœlestia, quæ nil directè imprimunt voluntati, sed eam solùm movere possunt ex parte obiecti, quod fit conveniens aut inconveniens ex influxu corporum cœlestium, variante dispositionem nostri corporis, aut appetitûs : sicut hyeme accedimus ad ignem et non æstate. Ita *D. Th. a.* 4. *et* 5.

124 Prænot^{m} 5° quòd voluntas plura obiecta naturaliter vult. At sicut in physicis *naturale* invenitur dupliciter, nempè *semper* ut ortus solis diurnus, et *frequenter* ut calor æstate : ita etiam voluntas ita naturaliter aliqua vult, ut nequeat nolle, scilicet bonum in communi, et finem ultimum; alia verò ita naturaliter vult, ut tamen per accidens possit aliquando nolle, ut esse, vivere, scire, videre, et omnia generatim, quæ aut ad totius hominis consistentiam, aut ad aliquam ex suis potentiis necessaria sunt. Ita *D. Th. q.* 10. *a.* 1. =Prænot^{m} 6° quòd voluntas nec movetur ex necessitate ab obiecto quod sit bonum determinatum, nec ab inferiori appetitu, nec à Deo ut exteriori principio, ut docet D. Th. hìc a. 2. 3. et 4; sed omninò libera est in omnibus actibus in quibus se movet ut probatur in Metaph. *lib. III. quæst.* 1. *art.* 5.

125 Prænot^{m} 7° ad opus morale duodecim plerumque

actus concurrere, sex intellectûs, et totidem voluntatis; quorum quatuor priores finem respiciunt, quatuor sequentes circa media assumenda negotiantur, et ultimi executionem perficiunt. Primò igitur chorum ducit ex parte intellectûs *simplex* boni *apprehensio*, qua aliquid ut bonum percipitur, et voluntati proponitur; cui statim 2° respondet ex parte voluntatis *simplex volitio*, id est complacentia in bono præsentato. Hæc si fortis sit, applicat intellectum ad examinandum, num illud bonum sit adeptu expediens et possibile; sicque 3° sequitur *iudicium*, quo intellectus bonum proponit ut expediens et possibile; et hinc in voluntate succedit 4° *intentio* boni per media assequendi.

126 Ergo de mediis incipitur agere. Unde vi intentionis 5° intellectus quærit media ad finem consequendum opportuna, et hic actus dicitur *consilium*, seu consultatio; cui ex parte voluntatis 6° correspondet *consensus*, quo voluntas approbat, seu potiùs appetit utilitatem illorum mediorum. Hinc 7° est in intellectu *iudicium discretivum mediorum*, et 8° in voluntate *electio*, seu acceptatio unius medii præ alio. Sic quæsitis et electis mediis, manus ut ita dicam operi admovetur. Unde nonus actus est *imperium*, quo intellectus intimat executionem mediorum electorum: decimus est *usus activus*, quo voluntas applicat potentias sibi subditas ad media exequenda; et undecimus ipsarum *usus passivus*, seu executio, qua tandem finis adquiritur et possidetur. Et hinc ultimus actus voluntatis seu *fruitio*, qua in boni possessione iucundè quiescit (1). His suppositis, de singulis voluntatis actibus circa finem pauca dicamus.

§ I.

DE SIMPLICI VOLITIONE.

127 *Simplex volitio* seu *voluntas*, aut propriè *velle*,

---

(1) *Caute tamen advertas in operationibus ex passio-*

est : *Simplex voluntatis complacentia in bono per intellectum præsentato.* Iste est primus actus seu motus voluntatis ; et potest esse primus tripliciter : nempè *simpliciter et in totâ vitâ*, qualis est primus ille affectus, quo puer rationis compos recenter factus, suam voluntatem, ut ita dicam, primò experitur. 2° *post omnis actûs interruptionem*, ut est illa volitio, quam evigilantes primò formamus. 3° *pro aliquo particulari negotio*, ut volitio quæ nobis aliud agentibus, primò incidit circa novum negotium cum iis, quæ gerimus, nullatenùs connexum : ut cùm venationem toto studio exercenti, subitò incidit et cogitatio et volitio religiosæ vitæ amplectendæ.

128 De his omnibus primis volitionibus perpetuò et constantissimè docet D. Th., quòd licèt vitaliter producantur à voluntate, attamen ad illas voluntas non se movet et applicat ; sed applicatur speciali quodam instinctu ab Auctore suo, scilicet Deo ; qui instinctus non est tantùm physica præmotio, de qua in *Physica Gen.* egimus, sed aliqua motio longè specialior, quæ sibi actum ita vindicat, ut nullum locum sese ad hunc applicandi relinquat voluntati.

129 Et quamquam hæc veritas præcipuè ad Theologos pertineat, probatur tamen ex D. Th. *hìc q. 9. a. 4 et 6* : Voluntas ad primum velle se movere non potest, sed ab alio moveri debet, ut diximus n. 122 ; sed moveri potest à solo Deo : ergo omnes primæ volitiones à solo Deo sunt. Min. pr. : Motus voluntatis solùm causari potest à causâ ipsius voluntatis ; sed hæc est solus Deus : ergo. Mai. patet : nam motus voluntatis est ab intrinseco et naturalis, ut patet ; motus autem naturalis solùm causari potest à causante naturam : unde motus lapidis sursùm causari quidem potest ab homine, at nequit esse naturalis, quia homo non causat naturam lapidis. Min. pr.

---

num aut imaginationis impetu provenientibus plures sæpè horum actuum deficere ; imò semper hos omnes actus ita subitò fieri, ut eorum ordo ac distinctio vix cognosci possit.

1° : Voluntas est potentia animæ rationalis quæ à solo Deo causatur per creationem. 2° : Voluntas habet ordinem ad bonum universale ; sed causa particularis nequit dare ordinem ad bonum universale : ergo solus Deus etc.

§ II.

DE FRUITIONE.

130 De hac agit D. Th. 1. 2. *q.* 11, ex qua nonnulla sumemus. Itaque *Fruitio* est : *Quies et delectatio in fine ut in bono præsenti. Fruitio* enim à *fructu* dici videtur, seu esse idem ac fructûs perceptio ; fructus verò duo dicit : suavitatem qua delectat, et rationem ultimi, in quantum finit et coronat labores agriculturæ. Hinc eius quod in se non est delectabile, sed tantùm appetitur propter aliud, ut potio amara ad sanitatem, nullo modo est fruitio : eius verò quod in se habet quamdam delectationem, etsi non sit ultimi finis, est saltem *impropriè* fruitio : quæ *propriè* solùm est ultimi finis, cùm in eo solo voluntas delectata ultimò quiescat. Iam verò finis dupliciter haberi potest ; vel secundùm *esse intentionale* per spem, vel secundùm *esse reale* per veram possessionem, et hinc duplex fruitio, *perfecta* scilicet, et *imperfecta*.

§ III.

DE INTENTIONE.

131 *Intentio*, de qua D. Th. *q.* 12, est propriè actus voluntatis, supponens tamen cognitionem, lumen et ordinem intellectûs, et definiri potest : *Efficax voluntatis tendentia in finem per media consequendum.* Quippe *simplex* boni *volitio,* accedente iudicio intellectûs de possibilitate consecutionis boni, crescit, roboratur ac firmatur in constantem appetitum finis per certa media consequendi ; sicque fit *intentio* : quæ quidem principaliter est de ultimo fine ; at esse quoque potest de finibus in-

termediis, qui et ipsi intendi possunt, quatenùs per quædam media obtinentur.

ART. III.

DE ACTIBUS VOLUNTATIS QUI VERSANTUR CIRCA MEDIA.

§ I.

DE ELECTIONE.

132 D. THOMAS *hìc q.* 13 *et* 14 agit de Electione, et de Consilio, quod electionem præcedit ac dirigit. *Electio* est : *Unius præ alio discretiva quædam acceptatio :* unde est actus voluntatis, præsupponens tamen in intellectu consilium cum iudicio circa medium accommodatius. Electio est mediorum ; sicque esse potest finium intermediorum, quatenùs ad ulteriorem finem ordinantur. Sicut in ordine ad bonum animæ sub electione cadit, quid magis expediat sanitas aut infirmitas corporis, licèt sanitas sit finis in operatione medici. Omnis electio, si attentè observetur, est circa actus à nobis factibiles, vel in quantum res aliqua nostris actibus facienda est, vel etiam quatenùs rem aliquam usu vel fruitione attingimus. Etiam dum eliguntur aliqui ad officia, electio est de actibus eligentis, qui eligit, an *nominet* istum vel illum. Unde electio semper est humanorum actuum.

133 Id quod est impossibile sub electione non cadit ; tum quia omnes nostri actus sunt possibiles, et electio solùm est humanorum actuum ; tum etiam quia ratio eligendi aliquid est, ut ex hoc possimus consequi finem ; per impossibile autem nullus finis consequi potest, ut patet. Denique omnis electio est homini libera, et quoad specificationem, et quoad exercitium : id est, eligens potest eligere aut non eligere, et eligere hoc vel illud. Nam quodcumque bonum particulare potest à ratione apprehendi, ut eligibile vel fugibile : cùm in quolibet particulari bono possit considerari et ratio boni, et defectus al-

terius boni, qui habet rationem mali. Itaque solum bonum perfectum, seu beatitudo, nequit apprehendi sub ratione defectûs seu mali; at istius non est electio, ut patet: unde homo non ex necessitate, sed liberè eligit.

134 *Consilium* est: *Inquisitio ac deliberatio de mediis eligendis.* Ut perfectum sit, tria importat. 1° inquisitionem mediorum. 2° examen utilitatis cuiuslibet. 3° iudicium dictans voluntati, quodnam ex mediis assumendum sit. Hinc consilium solùm est de mediis; quippe cùm finis sit basis et principium totius consultationis, sub eâ non cadit: sicut in speculabilibus principia discursûs non cadunt sub discursu. Patet etiam consilium solùm esse de iis quæ per nos fieri possunt; nam quæ non sunt in nostrâ potestate non possunt à nobis assumi ad consequendum finem. Nec esse de rebus iam determinatis, nam hæc inquisitione non indigent; nec de minimis, quæ inquisitionem non merentur.

§ II.

DE CONSENSU ET USU.

135 De *Consensu* agit D. Th. q. 15, et de *Usu* q. 16. Electionem præcedit consensus; nam priusquàm ex mediis quæ placent eligamus unum, plura media consilio inveniuntur, quorum dum quodlibet placet, in quodlibet eorum *consentitur*. Est autem propriè *consentire*, cum alio sentire, et quasi in alterius sententiam ire. Unde *Consensus* est: *Eorum, quibus intellectus ut utilibus assentitur, voluntatis approbatio.* Et ideò *consensus* est actus voluntatis, sicut *assensus* est intellectûs. Hinc patet consensum solùm esse de mediis, sicut consilium quo dirigitur, et electio quam præcedit.

136 Consensus in actum est finalis sententia circa ipsum actum; nam finalis sententia dicitur ea post quam ultra iudicandum non restat quod proponitur; et quando mens de agibilibus consulit, posteàquam et intellectus per consilium proposuit aliquem actum ut utilem, et voluntas ipsi actui consensit, iam de huius actûs absolutâ con-

venientiâ ultrà iudicandum non est, sed ad electionem et actionem procedendum. Unde si actus de quo consulitur est peccaminosus, ante consensum voluntatis non est peccatum; at in consensu consummatur peccatum, licèt posteà electio et actio non sequantur.

137 Et ex his colligit D. Th. *consensum* pertinere ad rationem superiorem (quatenùs nempè in ratione superiori etiam voluntas ab ipsâ directa includitur); nam finalis sententia pertinet ad eum qui superior est, et ad quem pertinet de aliis iudicare; sed superior ratio de omnibus iudicat: ergo ad ipsam pertinet consensus qui est finalis sententia. Ratio autem superior dicitur consentire nedum quando secundùm rationes æternas movet ad agendum; sed etiam quando secundùm eas dissentire deberet, et non dissentit. Et hinc colliges 1°, quòd dum intellectui occurrunt cogitationes malæ, ut vindictæ aut fornicationis, etsi pars animæ superior non consentiat operi, si tamen in ipsâ cogitatione delectatur ac detinetur, iam consentit in delectationem operis, quam impedire potest, debet, et non impedit: et hoc peccatum solet dici *delectatio morosa.*

138 Colliges 2° : Omnes motus iræ, concupiscentiæ, cæt., omnes cogitationes blasphemiæ, impudicitiæ, cæt., quæ frequenter miserum hominem invadunt, premunt, turbant, confundunt, non esse peccata, nisi accedat supremæ illius partis cæteras applicantis consensus, vel expressus in eis complacendo, vel tacitus ea ut debet non refutando. Quæ quidem refutatio perficitur, non anxiâ mentis contentione impediendo ne occurrant; hoc enim impossibile plerumque est, nam ut in hydræ capitibus, uno resecto aliud pullulat; sed generoso dissensu renuendo approbationem, tum in opus, tum in delectationem, et ad meliora mentem convertendo.

139 *Usus* est : *Applicatio rei ad operationem.* Unde cùm voluntas alias omnes potentias animæ moveat, ideò Usus primò et principaliter est voluntatis tamquam primi moventis, rationis autem tamquam dirigentis, sed aliarum potentiarum tamquam exequentium. Hinc solet distingui Usus in *activum* seu voluntatis, et *passivum* seu potentiarum exequentium. Usus solùm est eorum quæ sunt ad

finem : unde *utilia* dicuntur, quæ sunt ad finem accommodata. Usus propriè sumptus sequitur electionem ; nam est applicatio potentiarum executivarum, seu tendentium ad realem possessionem finis : hæc autem applicatio non incipit nisi post electionem, ut patet : si tamen dicatur etiam *usus* applicatio intellectûs ad inquisitionem mediorum, sic usus præcedet electionem.

ART. IV.

DE ACTIBUS IMPERATIS A VOLUNTATE.

140 Imperium est : *Intimatio ordinativa efficaciter movens ad agendum.* Explicatur definitio : Postquam finis intentus, mediaque electa sunt, oportet ut impetus fiat ad executionem et finis assecutionem. Hunc impetum executivum incipit imperium, quatenùs id quod ordinatum est à ratione, et approbatum à voluntate, promulgat, intimat, et distribuit potentiis executivis. Unde in imperio tria sunt : intimatio rei faciendæ, ordinatio subditorum in id quod faciendum est, et demum applicatio ad opus. Illa enim intimatio et ordinatio non debet esse purè instructiva et indicativa, qualem sonat modus indicativus, *hoc est faciendum ;* sed excitativa efficaciterque applicativa ad opus, qualem exprimit modus imperativus, *fac hoc.* Hæc autem tria explicat definitio tradita.

141 Quæres autem 1° : An *imperium* sit actus intellectûs vel voluntatis? ℟. cum D. Th. *hìc q.* 17. *a.* 1. esse actum intellectûs, præsupposito tamen actu voluntatis. Ratio est, quia *imperium* est essentialiter intimatio ordinativa applicans ad opus : *intimare* autem et *ordinare* pertinet ad intellectum ; *applicare* verò ad voluntatem. Unde substantia actûs imperii spectat ad intellectum ; efficacitas verò quam habet ad applicandum ad opus, derivatur à voluntate, nempè ab electione. Hæc enim, cùm præcedat imperium, ipsi suam efficaciam inspirat ; quia ut optimè dicit D. Th. in subordinatis *virtus prioris remanet in posteriori.*

142 Quæres 2° : An actus voluntatis cadant sub im-

perio? ℟. affirmativè cum D. Th. *hìc a.* 5; nam sunt maximè in potestate nostrâ, et à ratione ordinari possunt. Quæres 3°: An imperio subdantur actus ipsius rationis? ℟. cum D. Th. *a.* 6. quòd quantùm *ad exercitium,* actus rationis semper imperari possunt, ut cùm indicitur alicui quòd attendat et ratione utatur. Sed quantùm *ad obiectum,* imperari nequit eius prima apprehensio; nam hæc provenit à lumine vel naturali vel supernaturali, et à specierum infusione, quæ non sunt in potestate nostrâ. Assensus etiam veritatis apprehensæ imperari nequit in primis principiis, in quibus mens naturaliter et necessariò assentit; imperari autem potest in cæteris, in quibus potest mens assentire, dissentire, aut etiam assensum suspendere.

143 Quæres 4°: An actus appetitus sensitivi nostro imperio subiiciantur? ℟. cum D. Th. *a.* 7. quòd appetitus sensitivus est potentia animæ, at in organo corporali: unde quatenùs est potentia animæ, subiicitur imperio rationis; at ei non subiicitur qualitas et dispositio corporis. Et ideò ex hac parte impeditur quin motus sensitivi appetitûs totaliter subdantur imperio rationis. Isti motus quandoque subitò concitantur ex apprehensione imaginationis vel sensûs; et tunc sunt præter imperium rationis, quamvis potuissent impediri à ratione si prævidisset. Nota tamen quòd qualitas corporalis se habet ad appetitum sensitivum, vel ut *præcedens,* sicut quando ex dispositione corporis aliquis inclinatus est ad hanc vel illam passionem; vel ut *consequens,* sicut cùm ex irâ aliquis incalescit; et hac ratione etiam qualitas corporalis subiacet imperio rationis.

144 Quæres 5°: An actus animæ vegetativæ subdantur imperio rationis? ℟. cum D. Th. *a.* 8. hos actus, utpote naturales, non esse sub nostrâ potestate, sicque nec imperio. Cautè tamen adverte sub nostrâ potestate esse actus sensitivæ partis ordinatos ad actus vegetativæ. Unde virtus et vitium, laus et vituperium non debentur ipsi digestioni et formationi corporis humani, seu ipsis actibus nutritivæ et generativæ potentiæ; sed actibus sensitivæ partis, nempè in concupiscendo delectationem cibi et

venereorum, et iis rectè vel malè utendo. Quæres ultimò : An actus exteriorum membrorum obediant rationi? ℟. cum D. Th. *a.* 9. quòd membra corporis sunt organa potentiarum animæ ; et sicut ex istis sensitivæ rationi subduntur, non autem naturales : ita etiam motus membrorum facti à potentiis sensitivis rationi subduntur, non autem motus qui consequuntur vires naturales.

QUÆSTIO II.

DE BONITATE ET MALITIA ACTUUM HUMANORUM.

145 NEDUM quid sint bonitas et malitia actuum humanorum in hac quæstione explicandum est; sed etiam unde oriantur et à quibus pendeant : idque tum in actu interiori voluntatis, tum etiam in exteriori, imò in rebus quæ moraliter bonæ aut malæ homini nominari solent. Quia tamen bonitas ac malitia sub communi moralitatis nomine sæpè comprehenduntur, de ipsâ quoque aliquid præmittendum erit. Quapropter hæc quæstio septem articulos complectetur. 1° inquiremus, quid sit moralitas. 2° quid sint bonitas et malitia moralis, tum in actu humano, tum in eius obiecto. 3° unde sumantur bonitas ac malitia. 4° quomodò in actu interiori pendeant ab obiecto, à lege naturali et conscientiâ, atque à lege æternâ et voluntate Dei. 5° an quibusdam saltem actibus humanis insit bonitas aut malitia ex naturâ suâ : an verò omnibus solùm ex legis positione; ita ut ante omnem legem positivam actus omnes sint ex se moraliter indifferentes. 6° an aliquis actus humanus prout fit, seu in individuo, sit indifferens. Ultimò verò an actus exterior addat aliquid bonitati aut malitiæ interioris ipsum imperantis.

ART. I.

Quid sit moralitas?

146 Prænotandum 1° quòd actus humani dicuntur *morales*, quatenùs vel oriuntur ab iis inclinationibus, quæ dicuntur *mores*; vel etiam ex ipsorum repetitâ frequentiâ oriuntur consuetudines et habitus, qui quoque *mores* sunt (n. 1.). *Mores* verò hìc non appellamus naturales omnes inclinationes aut consuetudines hominis, sed eas tantùm ex quibus homo honestus aut turpis, laude aut vituperio dignus efficitur. Quærimus ergo quid sit hoc esse morale actûs humani, seu in quo formaliter consistat moralitas.

147 Ia conclusio: *Libertas requiritur ad moralitatem, non tamen in eâ formaliter consistit moralitas.* 1a pars constat; solùm enim actus liberi, hominis dominio subiacent: unde solùm ex iis laudis aut vituperii dignus est. Hinc actiones brutorum, infantium et hominum mente captorum morales non sunt. Est ergo libertas fundamentum, aut conditio *sine qua non* moralitatis. Pr. 2a pars: Impossibile est quòd multiplicetur et varietur moralitas, non multiplicato nec variato eo in quo formaliter consistit; sed non multiplicatâ nec variatâ libertate, moralitas potest multiplicari et variari in eodem actu: ergo. Min. patet; nam 1° in eo qui furatur in loco sacro, est duplex moralitas, iniustitia et sacrilegium; nec tamen est duplex libertas. 2° eâdem libertate comeditur caro circa dimidium noctis à 3a ad 4m feriam *Cinerum*, ac post dimidium; et tamen ante dimidium actio est bona, et post mala; sicque variatur moralitas, quin varietur libertas.

148 IIa conclusio: *Moralitas actûs humani formaliter est eius ordo ad finem rationis seu hominis.* Pr. ex D. Th. 1. 2. *q.* 1. *a.* 3, ubi ait: *Actus morales propriè speciem sortiuntur ex fine:* ergo forma constituens actum in esse moris, seu moralitas, est ordo ad finem. Addidi tamen *ut est finis hominis seu rationis;* nam mensura moralium est ratio, etenim moralia sunt hominis in quantùm est

homo, homo autem est homo per rationem: oportet igitur quòd in moralibus dicantur aliqua bona à fine *rationis*, id est à fine appetibili ex recto iudicio rationis, et mala à fine contrario fini rationis. Vid. *D. Th. III. contra Gent. c.* 9.

149 Pr. ratione: Ordo ad finem rationis est prima radix honestatis ac turpitudinis, qui sunt proprii effectus actus ut moralis: ergo est ipsa forma in qua consistit moralitas. Ant. patet; nam actus dicitur *honestus*, quatenùs, ut nostræ naturæ dignitati conveniens, hominum approbationem meretur, et inde auctori suo honorem acquirit. Actus verò omnis humanus ad finem aliquem ordinari debet (n. 17). Quòd si hic finis est bonum rationis, iam in eo operatur homo iuxta suam dignitatem seu ut homo, quærens nempè bonum homini proprium seu rationis; unde dignus est ut à sociis in dignitate, seu aliis hominibus, ob eum actum honoretur; sicque actus est *honestus*. Si autem finis actûs non sit bonum rationis, licèt sit bonum sensûs aut appetitûs, iam homo deficit à suâ dignitate; sicque indignus est ut ab aliis honoretur, adeòque actus est inhonestus seu *turpis* (1).

---

(1) *Hinc colliges quòd imputabilitas actionis non est ipsa moralitas, sed eam supponit; nam imputabilitas dicitur per ordinem ad præmium aut pœnam, quæ supponunt moralitatem actionis seu eius bonitatem aut malitiam. Hanc Puffendorffii opinationem impugnans P. Concina* de Iure Naturæ etc. lib. 1. Dis. I. cap. 8. *observat quàm immeritò Scholastici ob barbaras locutiones despiciantur; cùm apud sciolorum nostri temporis heroas magis barbaræ voces etiam usurpentur. Puffend. enim* lib. I. de Iure nat. et gent. c. 4. *constituens actionum moralitatem in* imputativitate, *hæc inter alia habet: «Unde in« telligitur causæ moralis... formalem rationem in impu« tatione sed* terminaliter *spectatâ consistere...* Imputati« vitas *habet rationem formæ positivæ ex qua* radicali« ter *etc.*

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

150 Obi. 1° contra I^{m} : Positâ libertate, et præscisso omni alio, iam est moralitas : ergo hæc formaliter est ipsa libertas. Ant. pr. : Positâ libertate, hoc ipso actus est dirigibilis per rationem seu per regulas morum ; sed hæc dirigibilitas est ipsa moralitas : ergo. ℟. nego ant. Ad prob. nego min. Hæc enim dirigibilitas est capacitas moralitatis, non ipsa moralitas. Moralitas enim est ipsa subiectio rationi, ut operanti propter finem, seu ut regulæ morum. = Contrà : Actus iam est imputabilis, dummodò sit liber seu sub dominio et potestate causæ potentis illum elicere vel omittere : ergo et moralis. ℟. nego ant. nisi aliquid addatur. Imputabilitas enim nedum supponit dominium, sed etiam obligationem ; obligatio autem non est ex libertate, sed ex ratione præscribente homini, quòd omnia ordinet ad suum finem.

151 Obi. 2° contra II^{m} : Moralitas actûs est mera denominatio extrinseca : ergo non est ordo etc. Ant. pr. 1° : Moralitas desumitur aut à fine aut à lege ; sed hæc sunt extrinseca actui : ergo. 2° : Plura entia moralia talia sunt ex solâ denominatione extrinsecâ, ut valor monetæ : ergo etiam etc. ℟. nego ant. Ad 1^{m} prob. respondet D. Th. 1. 2. *q.* 18. *a.* 4. *ad* 2^{m} his verbis : *Quamvis finis sit causa extrinseca, tamen debita proportio ad finem, et relatio in ipsum inhærent actioni.* Ad 2^{m} disparitas est, quia in monetâ nullus est ordo realis ad voluntatem Principis : unde valoris esse morale sumi debet à formâ extrinsecâ tantùm, nempè à voluntate Principis. At in actu humano est ordo realis ad finem ; sicque est forma intrinseca à qua sumatur denominatio moralitatis.

152 Obi. 3° : Idem numero actus sine ullâ reali mutatione fit de bono malus, ut comestio carnium ab ante ad post dimidiam noctem inter feriam 3^{m} et 4^{m} *Cinerum.* Item de non morali moralis, ut motus primò primus, si cum advertentiâ continuetur : ergo moralitas non est quid reale actui intrinsecum, sed aut respectus rationis, aut sola extrinseca denominatio. ℟. dist. ant. : idem actus *sine mutatione reali physicâ*, conc. ; *sine mutatione reali mo-*

rali, nego. Mutatur enim realiter actus in his casibus: non in esse physico, seu ut actio est, sed in esse moris, seu ut ad finem est, quatenùs ex mutatione termini seu finis, mutatur in actu relatio seu respectus ad ipsum. Unde 1° casu mutatur moralitas, quia mutatur finis; nam comestio carnium feriâ 4ª *Cinerum* iam non est bonum, seu finis rationis. 2° verò casu ponitur moralitas, quia ponitur ordo ad finem, qui non erat in motu indeliberato.

153 Obi. 4° : Ordo ad finem pertinet ad esse physicum actûs humani : ergo in ipso non consistit esse morale. Ant. pr. : Ordo ad finem est de naturâ actûs humani : nam actus ut liber essentialiter exigit ordinari ad finem; sed natura actûs pertinet ad esse physicum : ergo. ℟. dist. mai. : ordo ad finem est de naturâ actûs humani ut *physicus, voluntarius aut liber* est, nego; ut *moralis* est, conc. mai.; nam natura etiam sumitur pro essentiâ: essentia autem actûs moralis, ut moralis, est ordo ad finem. Itaque actus humanus idem numero est physicus seu naturalis, voluntarius, liber, et moralis. At hæc prædicata diverso modo conveniunt actibus voluntatis, et aliarum potentiarum; nam isti *per se* sunt naturales, ac voluntarii et morales *per accidens*, ratione actûs voluntatis à quo imperantur. Actui verò ipsius voluntatis essentialiter conveniunt omnia illa prædicata, ut posteà dicemus.

154 Quapropter esse physicum seu naturale est quoddam prædicatum generale actûs humani, quo constituitur in prædicamento actionis, et cum aliis entibus naturalibus comparari potest. Non enim hìc sumimus *physicum* prout idem est ac *reale*; nec *naturale* prout idem est ac *essentiale*; sed physicum et naturale prout distinguitur ab *artificiali, rationali et morali*; prout nempè hæc quatuor, ut exponit D. Th. *in Procem. Ethic.*, significant quatuor ordines quos ratio considerat. *Naturale* ordinem rerum, quem ratio considerat, et non facit : *Artificiale* ordinem, quem ratio facit in rebus exterioribus : *Rationale* ordinem, quem ratio facit in suis actibus; et *Morale* ordinem, quem ratio facit in actibus voluntatis.

155 Quia ergo voluntas et ratio etiam sunt naturæ, seu aliquid est in suis actibus in quo conveniant cum

actibus causarum naturalium non rationalium ; ideò etiam in actu voluntatis considerari potest *esse physicum* et *naturale*, v. g. quòd sit egressus ab agente, et quòd utpote motus feratur ad terminum. Si autem observemus hunc egressum fieri cum cognitione finis, iam habemus *esse voluntarium*. Si ultrà addimus quòd hæc cognitio est iudicium indifferens, tunc habemus *esse liberum ;* et hìc ferè egredimur ex genere physico, quia ut ait D. Th. *in II. D.* 24. *q.* 3. *a.* 2. *ibi incipit genus moris*, *ubi incipit dominium voluntatis*. Demum si attendamus in hoc actu liberum ordinem ad finem rationis, attendimus *esse morale*. Ex quibus patet, quòd ordo ad finem *rationis* nedum non est de naturâ actûs ut physici, sed omninò excedit esse physicum seu naturale. Dico autem *finem rationis*, nam etiam suos fines habent natura et ars.

156 Contrà : ergo actus eo ipso quòd est liber iam est extra genus physicum seu naturæ, et in genere moris : ergo libertas est ipsa moralitas. ℟. dist. cons. : si *eo ipso* denotet *essentialem exigentiam,* conc. ; si denotet *formalem denominationem*, nego. Itaque D. Th. in *II. D.* 40. *q.* 1. *a.* 1. et alibi sæpè ait, quòd *actus sunt in genere moris ex hoc quòd sint voluntarii* seu à voluntate liberâ ; quia à voluntate liberâ habent quòd sint ad finem, cùm forma seu obiectum voluntatis sit finis. Unde sicut actus liber voluntatis essentialiter exigit ordinem ad finem, ita essentialiter exigit esse in *genere moris :* quod proinde genus iam incipit in ipsâ libertate. Cæterùm quamvis libertas et moralitas in actu humano sint formæ essentialiter connexæ, non tamen sunt eadem forma, sed libertas est à iudicio indifferenti, moralitas à fine rationis.

157 Obi. ult. : Esse morale est ordo ad obiectum ut subditum regulis morum : ergo. Ant. pr. : Esse morale actûs est ordo ad obiectum; nam hoc est commune omni actui. Deinde est ordo ad regulas morum ; nam ab his tota pendet moralitas : ergo. ℟. nego ant. Ad prob. dic, nos etiam ponere moralitatem in ordine ad obiectum ; nam respectu actûs, ut moralis, finis et obiectum idem sunt. Etiam comprehendimus regulas morum ; nam morum regula proxima est ratio ut dirigens ad suum finem ; ratio

autem ut sic dirigens est essentialis participatio legis æternæ, ut posteà dicemus. Nihilominùs opportunius visum est, moralitatem exprimere per ordinem ad finem rationis, quàm ad *obiectum subditum regulis morum*: nedum ob dicta à n. 148, sed quia tò *subditum* obscurum quid importat in Deo, qui plurium nostrorum actuum est obiectum; et tò *morum* debet hìc æquivocè sumi pro ipso actu morali, qui tamen quandoque est sine more.

ART. II.

Quid sint bonitas et malitia moralis, tum in actu humano, tum in eius obiecto?

158 Prænotandum 1° quòd quamvis omnis actus à voluntate elicitus dici soleat *interior*, nihilominùs hìc inter actus *exteriores* computamus nedum actus intellectûs, appetitûs, et aliarum potentiarum, sed etiam eos actus ipsius voluntatis qui imperati sunt; quo sensu omnis electio est actus *exterior*, quatenùs ab intentione quasi imperatâ, et etiam amor Dei est actus exterior, quando est executio præcedentis actûs dicentis: *volo amare Deum.* Actus interior habere solet pro obiecto actum exteriorem, aut ipsius voluntatis, aut alterius potentiæ; ut dum volo eligere statum, intendo dare eleemosynam: cupio lectionem intelligere etc. Potest tamen immediatè habere pro obiecto rem aliquam externam, ut amor Dei, odium furti, et desiderium honoris.

159 Prænot^m 2° quòd *bonum et malum morale per se et essentialiter conveniunt actui interiori; per accidens verò actui exteriori ut tali.* Ita *D. Th. in II. D.* 40. *q.* 1. *a.* 1; et pr. eius ratione: Bonum et malum morale conveniunt actui eo modo quo est in genere moris; sed actus interior per se et essentialiter est in genere moris, exterior verò solùm per accidens: ergo. Min. pr.: Actus est in genere moris prout ordinatur ad finem, sicque prout est liber et voluntarius; sed actus interior essentialiter et per se est liber et voluntarius, exterior verò solùm per acci-

dens: ergo. Loquens de actu exteriori addidi *ut tali*; nam actus exterior, qui etiam est elicitus, ut elicitus potest esse per se et essentialiter bonus aut malus, sicut etiam liber.

160 I[a] conclusio: [1] *In obiecto actûs interioris sæpè inest aliqua bonitas aut malitia, quæ convenit obiecto ex se et non ex actu.* [2] *Hæc bonitas obiectiva consistit in convenientiâ, et malitia obiectiva in disconvenientiâ, quam obiectum per se ipsum habet cum fine rationis, seu hominis ut rationalis.* Prima pars constat; nam amor Dei rectus et bonus est, quia Deus in se ipso bonus est et amabilis; et non è converso. Dare eleemosynam non ideò bonum est, quia voluntas dandi sit bona; imò potiùs hæc voluntas est bona, quia ipsum obiectum, seu dare eleemosynam, est bonum. Et eâdem ratione desiderium amandi Deum est bonum, quia ipse amor bonus est.

161 2[a] pars est D. Th. qui bonitatem omnem et malitiam moralem semper definit à fine rationis. Pr.: Bonitas obiectiva non potest consistere in solâ perfectione rei secundùm se, sed debet addere convenientiam seu congruentiam cum eo cui obiicitur; sed bonitas obiectiva actuum humanorum obiicitur homini, cui solùm decens est ac congruum quod convenit cum fine rationis; quod verò huic fini est disconveniens, est homini indecens ac incongruum: ergo. Mai. patet; nam ipsum *esse Deum*, si obiiciatur homini ut sibi appetendum, non habet rationem obiecti boni; quia est quid homini improportionatum. Min. etiam patet; nam supremum hominis bonum est assecutio finis rationis, cùm ratio sit summum quod in homine est; unde ex convenientiâ vel disconvenientiâ cum hoc fine, dignoscendum est, quid homini sit verè congruum vel incongruum, decens aut indecens.

162 Obi. tamen: Convenientia obiecti cum fine rationis est bonitas formalis: ergo non est obiectiva. Ant. pr.: Hæc convenientia est forma, aut supponit formam intrinsecam in obiecto, quod facit bonum; sed bonitas intrinseca in obiecto quod bonum constituit, est bonitas formalis: ergo. ℟. dist. ant.: est bonitas formalis *obiecti*, transeat; *hominis seu actûs humani*, nego. Itaque hìc so-

lùm quærimus bonitatem actûs humani, cui potest aliquid esse conveniens et bonum, vel ut obiectum, et in hoc est *bonitas obiectiva*, vel ut ipsius forma, et hæc est *bonitas formalis*.

163 Concedimus autem bonitatem quæ est obiectiva respectu actûs esse formalem respectu ipsius obiecti. Est enim quidam transcendentalis ordo convenientiæ cum fine hominis. Hic autem ordo semper est quid intrinsecum obiecto: et fundatur quandoque in ipsâ physicâ rei perfectione, ut in Deo, Dei cognitione et amore: interdum etiam in solâ denominatione extrinsecâ, ut in obiecto quod solùm est bonum ex præcepto; et aliquando in qualitate morali ipsius obiecti, ut restituere alienum; nam esse proprium aut alienum non est quid physicum, sed morale.

164 II^{a} conclusio: *In solo actu appetitûs intrinsecè reperitur bonitas ac malitia formalis. Hæc bonitas est respectus ipse seu tendentia ad finem rationis; malitia verò formalis est tendentia ad finem contrarium fini rationis.* 1ª pars constat; nam bonitas ac malitia fundantur in libertate: ergo sicut libertas intrinsecè solùm est in actu voluntatis, non verò in actu alterius potentiæ; ita bonitas et malitia. 2ª pars est D. Th. qui in *II. D.* 40. *q. a.* 1. et alibi sæpè ait, quòd *bonum et malum sumuntur per ordinem ad finem*. Constat etiam ex dictis de moralitate à n. 148.

ART. III.

Unde generatìm sumantur bonitas aut malitia actûs humani?

165 Conclusio: *Bonitas aut malitia actûs humani sumitur ab obiecto, circumstantiis et fine.* Ita D. Th. 1. 2. q. 18. a. 2. 3. 4. Pr. eius ratione: Bonum et malum attenditur ex plenitudine essendi, vel defectu ipsius; sed hæc in actu humano sumitur ab obiecto, circumstantiis et fine: ergo. Min. patet; nam actus humanus ab obiecto habet speciem; circumstantiæ autem et finis sunt eius acci-

dentia ; plenitudo verò essendi ex essentiâ et accidentibus desumitur. Conf. exemplis, 1° : Ab obiecto bono, ut à Deo, eius amor est bonus : ab obiecto iniusto, quale est alienorum acceptio, huius voluntas est mala. 2° : Laborare est bonum die feriali, malum die festivo : multùm furari peius est quàm parùm. 3° Furari ad adulterandum peius est quàm ad dandam eleemosynam : hanc dare ad inanem gloriam est malum, et ad subveniendum pauperi bonum : ergo.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

166 Obi. 1° : Bonitas aut malitia à circumstantiis sumpta sæpè foret diversæ speciei, ac bonitas et malitia sumpta ab obiecto ; sed idem actus nequit ad plures species pertinere : ergo nec bonitatem aut malitiam sumere ab obiecto et circumstantiis. ℟. concessâ mai., dist. min. : ad plures species physicas, conc. ; morales, nego. Discrimen autem inter naturalia et moralia est quòd in naturalibus species desumitur à formâ intrinsecâ specificâ, quæ unius rei unica est, cùm natura sit determinata ad unum : moralia autem sumunt speciem à formis extrinsecis ratione acceptis ; et cùm rationis conceptus non sit determinatus ad unum, quàm optimè possunt multiplicari moralitatis species in eodem actu.

167 Observandum tamen quasdam circumstantias modificare actum intra eandem speciem, quasdam verò novam superaddere. Etenim *quando aliqua circumstantia adfert specialem ordinem rationis ad bonum vel malum dat speciem actui morali.* Sic cùm ratio ordinet iniuriam non esse faciendam loco sacro, ideò tollere aliquid alienum de loco sacro addit specialem repugnantiam ad ordinem rationis ; et ideò locus, qui aliunde consideratur ut circumstantia furti, iam consideratur ut principalis conditio obiecti rationi repugnans, sicut ipsum esse alienum ; et ideò dat quoque speciem moralem actui. Quandoque verò circumstantia nullum specialem ordinem rationis dicit ad bonum vel malum ; ut tollere aliquid in magnâ vel parvâ quantitate *ex se* non est malum, sed solùm supposito quòd sit alienum. Unde non diversificat speciem peccati, sed so-

lùm aggravat vel minuit. *D. Th. hìc q.* 8. *a.* 10 *et* 11 (1).

168 Obi. 2°: Finis semper est bonum; nam nemo intendens malum operatur: ergo saltem malitia actûs sumi nequit ex fine. Adde: Finis est circumstantia: ergo frustrà additur bonitas ex fine post bonitatem ex circumstantiis. ℟. ad 1ᵐ cum D. Th. *hìc art.* 4. *ad* 1ᵐ, quod bonum intentum ab operante non semper est verum bonum seu rationis, sed quandoque est tantùm bonum sensûs aut appetitûs, et respectu rationis est bonum apparens, et tunc actio est mala ex fine. ℟. ad 2ᵐ quòd de fine debuit specialis mentio fieri, tum quia in ordine moris est præcipua circumstantiarum; tum quia talis non est, sed potiùs obiectum cuiusdam actus interioris: hìc autem generatim de omni actu loquimur.

ART. IV.

A quibus pendeat bonitas aut malitia formalis actûs interioris?

169 Suppositâ divisione actûs humani in interiorem et exteriorem, quam suprà dedimus n. 158; planum est, actum interiorem illum esse, qui vult et imperat actum exteriorem cum omnibus illis circumstantiis, sub quibus perpetratur. Itaque actus iste interior v. g. Volo subvenire patri infirmitate laboranti, ut sic pro peccatis satisfaciam, hæc omnia respicit cum quibus exterior exercetur, scilicet *obiectum* subvenire, *circumstantias* patri

---

(1) *Quando actus ex obiecto indifferens determinatur ex circumstantiis, aut ex istis fit malus cùm esset bonus ex obiecto; tunc species quam actus inducit ex circumstantiis dicitur* essentialis, *quia est prima in esse moris. Quando verò actus habens et retinens speciem moris ex obiecto, novam speciem inducit ex circumstantiis, ista dicitur* accidentalis, *quia advenit actui iam in specie morali constituto.*

infirmitate laboranti, et *finem* ut pro peccatis satisfaciam. Iam verò hæc omnia dant speciem actui, ut subsunt regulis morum, quarum una est remota nempè *lex æterna*, altera proxima nempè *ratio*, cuius dictamen circa actionis honestatem vel turpitudinem dicitur *conscientia*. Inquirimus ergo, an ab his pendeat bonitas aut malitia actûs interioris? Et cùm *Divina voluntas* semper recta sit; an ei debeat nostra voluntas semper conformari?

§ I.

AN PENDEAT AB OBIECTO, ET CIRCUMSTANTIIS?

170 Conclusio : [1] *Bonitas aut malitia actûs interioris pendet ab obiecto*, [2] *et ab ipso solo*. 1ª pars est D. Th. 1. 2. q. 19. a. 1. Pr. eius ratione : Bonum et malum sunt differentiæ essentiales actûs interioris (n. 159); sed differentiæ essentiales actûs, utpote specificæ, pendent ab obiecto à quo actus habet speciem : ergo. 2ª pars est ipsius *art.* 2. et pr. eius ratione in *Sed contrà* : Ex circumstantiis in quantum huiusmodi, seu ut talibus, actus non habent speciem; sed bonum et malum sunt differentiæ specificæ actûs voluntatis : ergo bonum et malum in actu voluntatis non pendent à circumstantiis. Aliundè finis est ipsum obiectum actûs voluntatis : ergo à solo obiecto pendet eius bonitas.

171 Obi. tamen : Etiam circumstantiæ dant speciem actui bono aut malo, ut diximus (n. 167) : ergo ab illis pendet bonitas actûs. ℟. dist. ant. : circumstantiæ quæ sint tales respectu actûs exterioris, concedo; respectu actûs interioris, nego. Etenim illæ quæ sunt circumstantiæ actûs exterioris, non sunt circumstantiæ, sed obiectum actûs interioris. V. g. dum agricola mittit falcem, quòd sit in messe alienâ, aut die festivo, circumstantiæ sunt respectu actûs exterioris manûs laborantis; at non sunt circumstantiæ, sed obiectum respectu actûs interioris quo vult laborem; nam voluntati obiicitur labor suis affectus circumstantiis. Unde licèt utriusque actûs bonitas pendeat ab alieno et à tempore; tamen *alienum* et *tempus* sunt obiec-

tum actûs interioris, sicque eius bonitas solùm pendet à suo obiecto.

172 Contrà : Præter has circumstantias obiectivas sunt aliæ circumstantiæ immediatè afficientes actum interiorem, ut eius intensio et duratio : ergo saltem ab his pendet eius bonitas. Cons^a pr. : Etiam actus interior eò est melior quò intensior est et magis durat : ergo. ℟. 1° etiam has circumstantias ut influunt in bonitatem transire ad conditionem obiecti : non enim augent vel minuunt bonitatem nisi *ut volitæ*, saltem exercitè ; omne autem volitum est obiectum voluntatis. ℟. 2° concesso utroque antecedenti, nego semper cons^m ; nam licèt ab his circumstantiis sumatur, aut pendeat bonitatis aut malitiæ augmentum, non tamen ipsa bonitas seu malitia. Nam nullæ ex his circumstantiis possunt aut actum bonum facere malum, aut indifferentem facere bonum vel malum, seu non possunt dare speciem bonitatis aut malitiæ, sicut possunt circumstantiæ obiectivæ. Quia actus interior sive intensus sit sive remissus, sive multùm sive parùm duret, sive hoc tempore aut loco, sive illo fiat, bonus erit, modò sit *boni*, hoc est obiecti boni et debitè circumstantiati.

§ II.

An bonitas actûs interioris pendeat à ratione et conscientiâ?

173 I^a conclusio : *Bonitas actûs interioris pendet à ratione.* Ita D. Th. 1. 2. q. 19. a. 3. Pr. 1° : Bonitas actûs interioris pendet ab obiecto (n. 170) ; sed obiectum voluntati proponi debet à ratione : ergo. 2° : Ratio est regula voluntatis humanæ ; sed bonitas omnis actûs pendet à conformitate cum suâ regulâ : ergo bonitas actûs voluntatis pendet à conformitate cum ratione, sicque etc. Mai. patet 1° ex D. Th. 1. 2. *q.* 71. *a.* 6. ubi ait : *Regula voluntatis humanæ est duplex, una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio ; alia verò est prima regula, scilicet Lex æterna, quæ est quasi ratio*

Dei. Pr. 2° mai.: Voluntas humana debet habere regulam qua dirigatur; sed dirigitur à ratione ut patet: ergo. Mai. pr.: Voluntas utpote libera habet ius regendi ac ordinandi suos actus; sed omnis ordo supponit regulam in mente ordinantis existentem: ergo. Min. patet; nam ordo artificialis fit secundùm regulas artis, quæ sunt in intellectu artificis: ordo politicus secundùm regulas in mente Principis conceptas etc.

174 II^a conclusio: *Bonitas actûs interioris pendet à conscientiâ.* Patet; nam conscientia est quodammodò dictamen rationis, ut regulæ voluntatis humanæ. Duo enim in ratione considerari possunt. 1° universalis notitia principiorum practicorum, et hæc dicitur *Synderesis;* quæ est habitus quidam qui se habet in practicis, sicut *Intelligentia* seu *intellectus principiorum* in speculativis. 2° applicatio illius generalis notitiæ, et hæc dicitur *Conscientia:* quæ proindè est dictamen quoddam rationis, et propriè actus quidam, non habitus nec potentia. Quia tamen habitus est principium actûs; quandoque nomen conscientiæ attribuitur primo habitui naturali, scilicet synderesi, ut observat D. Th. 1. *p. q.* 79. *a.* 13. Ex quo sic *Conscientia* definiri potest: *Iudicium intellectûs, quo quis applicat suam scientiam practicam ad actum particularem.* Unde conscientia dicitur quasi *cum alio scientia.*

175 Hæc autem applicatio scientiæ vel cognitionis nostræ ad ea quæ agimus, tripliciter fit. 1° in quantum interiùs recognoscimus nos aliquid fecisse vel non fecisse, et sic conscientia dicitur *testificari* vel *convincere.* 2° dum iudicamus aliquid agendum vel non agendum esse, quo modo solet dici conscientia *antecedens,* et sic dicitur *instigare,* dum dictat quid agere deceat, et *ligare,* dum proponit nos ad aliquid teneri seu obligari. 3° conscientia iudicat de iam factis, an bona vel mala fuerint; et sic solet dici *consequens,* et dicitur *excusare,* si id quod factum est, benè factum interiùs iudicemus; *accusare* verò et *remordere,* si dissonum lumini rationis deprehendatur. Conscientia antecedens aut consequens, ut etiam observat Burlamaquius de *Princ. Iur. Nat. P. II. c.* 9. est conclusio syllogismi practici, in quo ex comparatione

cuiusdam principii synderesis, aut legis naturalis, cum actione faciendâ aut factâ, concluditur eam esse bonam vel malam.

176 Conscientiæ sic explicatæ septem status distingui solent, scilicet Conscientia *recta*, *prava*, *probabilis*, *dubia*, *certa*, *scrupulosa*, et *erronea*. Conscientia *recta* est, quæ debitè iudicat de honestate actionum secundùm rationis incorruptum lumen et principia; et hæc est semper principium boni actûs. Conscientia *prava* est, quæ iudicat de agendis secundùm passionis aut voluntatis malæ affectæ, aut per malitiam corruptæ, libitum et gustum, et ista semper est principium mali actûs. Conscientia recta, seu rectè iudicans, potest esse *speculativè falsa*, errore nempè invincibili, ut conscientia secundùm quam Iacob accessit ad Liam. Similiter conscientia prava potest esse *speculativè vera;* ut conscientia dictans hodiè non esse audiendum sacrum ei, qui putat diem esse festivum, cùm tamen non sit.

177 *Probabilis* est, quæ iudicat de agendis secundùm principia verisimilia, ut sunt auctoritas aliquorum Doctorum, exempla virorum timoratorum, et rationes quadantenùs suadentes; retinendo tamen formidinem partis oppositæ. *Dubia* est, quæ inter duo iudicia opposita fluctuat, nec habet quo se determinet. *Certa*, quæ ita adhæret iudicio, ut nullam habeat formidinem de opposito. *Scrupulosa,* quæ levibus fundamentis, ut magni momenti rationibus, morosiùs adhærens, iis in iudicio agendorum ac præcipuè fugiendorum nititur. Demum *erronea,* quæ ex falsis principiis procedit, et falsum dictamen tamquam certissimam agendi regulam proponit.

178 Ex his variis actibus et divisionibus conscientiæ regulas quasdam ad praxim accommodatas colligit Burlamaquius. Nos ex ipso et aliundè sequentes statuimus. Regula I[a]: *Ante omnia curandum est, ne pravi affectus in conscientiæ dictamina influant.* II[a]: *Nil decernendum donec circa principia ex quibus hauriendum, et circa actiones de quibus formandum dictamen, mens fuerit accuratè instructa, remque seriò perpenderit.* Inobservantia harum regularum origo est ferè omnium erroneorum dic-

taminum conscientiæ, tuncque copiosior ac noxior, quando de Religione, Moribus, aut Politicâ agitur. III^a^: *Sapientis est, et antequam agat, et postquam egit, conscientiam audire.*

179 IV^a^: *Quando conscientia certa aut decisiva est, ipsi quamquam erroneæ parendum.* Namque voluntas nostra solùm amat aut odit rem prout à mente ipsi proponitur, non ut in se est: ergo licèt res indifferens aut bona in se sit, si tamen à ratione proponitur ut mala, voluntas quæ non parens rationi rem amat, amat malum sibi propositum: voluntas autem amans malum mala est. Adde quòd dictamen rationis, seu conscientia, est applicatio legis præcipuè naturalis ad actum. Quemadmodum ergo qui credit Proconsulem iubere nomine Imperatoris, etsi falsò credat, nihilominùs respectu ipsius idem est contemnere præceptum Proconsulis, ac præceptum Imperatoris: ita etiam quando ratio proponit aliquid ut præceptum legis naturalis seu Dei, licèt ratio erret, tunc contemnere dictamen rationis est legis naturalis seu Dei præceptum contemnere.

180 Itaque *actus voluntatis discordans à ratione seu conscientiâ, sive rectâ sive errante, semper est malus; ipsi erranti concordans excusatur si error est invincibilis, secùs si sit vincibilis.* Namque error invincibilis reddit involuntarium actum qui ex ipso fit: actus autem involuntarius moraliter malus esse nequit, sicut nec bonus, ut patet. Error autem vincibilis iam est voluntarius sive directè, sive indirectè, sicut de ignorantiâ dictum est (n. 115). At inquies: Homo qui est in conscientiâ erroneâ vincibili, si contra illam agat, peccat: ergo si etiam peccat agens iuxta illam, necessitatus erit ad peccandum. ℟. quòd non est necessitatus, nisi ex suppositione sibi liberâ; nam potest ab errore recedere, cùm ignorantia supponatur vincibilis. *Vid. D. Th.* 1. 2. *q.* 19. *a.* 5 *et* 6.

181 Regula V^o^ est: *Quando conscientia solùm est probabilis, si maior verisimilitudo sit de honestate actûs quàm de pravitate, ad actum procedi potest: si verisimilior sit pravitas, ab illo abstinendum.* 1° pars constat; nam in agendis raró ad certitudinem pervenimus: sa-

tis est ut verisimiliora sectemur. 2° pars etiam constat; nam menti, si accuratè loquamur, iam non est *probabilis* actûs honestas, quando iudicium de eius pravitate est ipsi menti probabilius. Mens namque, utpote verum naturâ inquirens, probare seu approbare non potest, nisi quod omninò verum aut verisimilius ipsi est. Sanè non videtur sincerè bonus ac rectus, qui actum non prætermittit, quem gravissimæ rationes condemnant; etsi non ita evidentes sint, quin aliquem excusationis locum relinquant. At hæc fusiùs Theologi.

182 VI^a^: *Conscientiâ manente dubiâ circa honestatem aut pravitatem actûs, ab ipso abstinendum.* Legem namque contemnit, qui manifesto ipsius violandæ periculo sese exponit. Imò ab actu periculoso recedere prudentia iubet. VII^a^: *Conscientia ex scrupulis non formanda: mensque scrupulosa, ipsam alieno prudentis viri dictamini subiiciendo, et ita contra dictamina propria frequenter operando, à scrupulis purganda, seu potiùs contra ipsos roboranda ac illustranda est.*

§ III.

An bonitas actûs interioris pendeat à lege æternâ et voluntate Dei?

183 I^a^ conclusio: *Bonitas actûs interioris pendet à lege æternâ.* Ita D. Th. 1. 2. q. 19. a. 4. Pr.: Bonitas actûs pendet à ratione ut regulâ voluntatis humanæ, sed talis est ratio solùm ut participatio legis æternæ: ergo. Min. pr. ex Ps. 4. ubi cùm Psalmista dixisset: *Sacrificate sacrificium iustitiæ*, id est bona opera, posteà quasi obiiciendo addit: *Multi dicunt quis ostendit nobis bona?* Cui quæstioni respondet: *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine: quasi diceret,* ait hìc D. Th. *lumen rationis quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona et nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultûs tui, id est, à vultu tuo derivatum.*

184 D. Th. *hìc art.* 9. statuit, quòd hominis voluntas ut recta sit conformari debet voluntati Divinæ, tamquam

fonti et mensuræ totius rectitudinis et bonitatis. Hæc autem conformatio, ut ait *in I. D.* 48. *q.* 1. *a.* 2, et innuit *hìc a.* 10., quadrupliciter potest considerari secundùm habitudinem quatuor causarum. Scilicet *secundùm causam materialem*, sicut quando est idem volitum, quod se habet ut materia circa quam est actus voluntatis, et ideò ista est *conformitas secundùm quid* tantùm, quia *esse simpliciter* non est à materiâ. Vel *secundùm causam efficientem*, sicut quando aliquis vult quod Deus vult eum velle: hunc enim ordinem voluntatis Deus in eâ fecit. Vel *secundùm causam finalem*, sicut quando aliquis in gloriam Dei facta sua ordinat; propter quam Deus omnia facit: et in his duobus *essentialiter conformitas* consistit. Vel *secundùm causam formalem*, ut si aliquis ex charitate velit, sicut Deus omnia ex charitate vult: ex habitu enim est forma actûs; et in hoc consistit *perfectio corformitatis*. 1ª conformitas appellatur conformitas in volito *materialiter*. 3ª in volito *formaliter*, ad quam 2ª et 4ª reducuntur.

185 IIª conclusio: *Voluntas humana ut honesta moraliter sit, conformari debet Divinæ in volito formaliter, non autem materialiter.* Ita D. Th. hìc art. 10. Pr. eius ratione 1ª pars: Voluntatem nostram conformari Divinæ in volito formaliter, nil est aliud quàm velle aliquid propter bonum divinum et commune, sub cuius ratione vult Deus quidquid vult; sed voluntas nostra recta esse non potest, nisi sic velit, seu nisi referat (saltem implicitè et virtualiter) bonum particulare volitum in bonum divinum et commune: ergo.

186 2ª pars pr. etiam ex D. Th.: Eadem res volita, quæ est obiectum materiale voluntatis, potest esse bona secundùm rationem universalem, et mala secundùm rationem particularem: ergo potest simul esse rectè volita à Deo ut auctore et provisore universali, et nolita ab homine ut causâ particulari. Consª tenet: quia voluntas æquè bona est, si velit rem prout habet rationem boni, ac si nolit illam prout habet rationem mali. Ant. pr.; nam voluntas fertur in suum obiectum, secundùm quod à ratione proponitur: contingit autem aliquid à ratione con-

siderari diversimodè, ita quòd sub una ratione est bonum, et secundùm aliam rationem non bonum : ergo.

187 Hinc Deus vult bella, pestes, mortem parentum, et alia quæ relata ad communem ordinem Universi, vel ad ostensionem divinæ Iustitiæ sunt bona; sed quia ad nos non pertinet Universi, aut Divinæ Iustitiæ ordo, ideò nos ea velle non debemus, utpote nobis nociva et molesta, sicque mala. Similiter iudex rectè vult occisionem latronis, ut bonum commune; quam huius uxor aut filii rectè nolunt, ut malum familiæ.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

188 Obi. 1° contra utramque : Legem æternam ignoramus, ac sæpè etiam Dei voluntatem; sed nequit actûs bonitas pendere ab eo quod ignoratur : ergo. ℟. quòd Legem æternam noscimus, aut ratione naturali, quæ ab eâ derivatur ut propria eius imago, aut per aliquam revelationem superadditam. Ita *D. Th. hìc a.* 4 *ad* 3m. Volitum divinum etiam scimus quale sit secundùm rationem communem; nempè scimus Deum omnia velle sub ratione veri boni; et id est ad quod tenemur. In particulari autem nescimus sæpè quid Deus velit; nec in hoc tenemur nostram voluntatem conformare Divinæ. *D. Th. hìc art.* 10 *ad* 1m.

189 Obi. 2° : Scientia nostra conformari nequit scientiæ Dei, et actiones nostræ actionibus Dei, utpote infinitè distantes à Dei scientiâ et actionibus; sed etiam voluntas nostra infinitè distat à Dei voluntate : ergo huic conformari nequit. ℟. quòd voluntas hominis non potest conformari voluntati Divinæ *per æquiparantiam*, sed per *imitationem*; et hoc ultimo modo conformatur etiam scientia hominis scientiæ Divinæ, in quantum cognoscit verum, et actio hominis actioni Divinæ, in quantum est agenti conveniens. *D. Th. hìc a.* 9. *ad* 1m.

190 Obi. 3° : Voluntas Dei in omni suo volito materiali iustissima est : ergo si voluntas nostra ipsi non conformatur, non erit iusta. Conf. : Repugnantia voluntatum est velle diversa; sed repugnare voluntati Dei semper est malum : ergo et velle diversum ab eo quod Deus

vult ; sicque etc. ℟. ad 1^m^ concesso ant. nego cons^m^. Non enim omne quod iustum est respectu voluntatis Divinæ, est etiam iustum respectu nostræ, ob diversitatem motivi, ut patet in damnatione multorum. Ad 3^m^ dist. mai. : velle diversa sub diversâ ratione, nego ; sub eâdem, conc. Si enim sub eâdem ratione esset aliquid ab uno volitum, quod alius nollet, hoc induceret repugnantiam voluntatum. Hoc autem non contingit in voluntate Dei, et bonâ voluntate nostrâ. *D. Th. hìc a. 10. ad ult.*

191 Pro coronide advertas laudabilissimum esse conformari volito materiali Divino, quotiescumque nobis licitum est. Sed inquies : Quibus regulis dignoscemus quando liceat nobis velle aut nolle illud, quod scimus Deum determinatè velle? ℟. his tribus, I^a^ : *Non licet nobis velle, quæ Deus solùm permissivè vult,* et non positivè, ut peccatum ; *neque illa quæ Deus prohibet ne velimus,* ut damnationem aut aliud damnum proximi, à quibus volendis prohibemur per charitatem. II^a^ : *Non licet nobis nolle, quæ Deus præcipit ut velimus,* v. g. salutem æternam ; nam ut ait D. Th. 2. 2. q. 104. a. 4 : *Etsi non teneatur homo velle quod Deus vult, semper tamen tenetur velle quod Deus vult eum velle, et hoc homini præcipuè innotescit per præceptum divinum.* III^a^ : *Extra hos casus licitum est velle volitum materiale Divinum, et consequenter honestissimum illi confirmari.*

ART. V.

An actibus humanis insit bonitas aut malitia ex naturâ suâ, an verò solum ex legis positione ; ita ut ante omnem legem positivam actus omnes humani sint ex se moraliter indifferentes ?

192 Prænotandum 1° non defuisse hoc sæculo et immediatè elapso impios quosdam, qui totam moralitatis, seu honesti ac inhonesti ideam, ab hominum opinionibus tantùm pendere audacter assererent ; seu homicidium ac

eleemosynam, blasphemiam et Dei amorem, heroicas virtutes ac effreniora vitia solùm esse bona aut mala, quia homines ita arbitrantur. At ut præclarè ait Cicero lib. I. de Leg.: *Hæc in hominum opinione existimare, non in naturâ posita, verè dementis est.* Sanè sunt in rebus practicis quædam ita evidentia ac in speculativis. Unde non minùs insaniat opus est, qui iudicet impietatem in Deum et parricidium esse posse opera honesta, quàm qui neget totum suâ parte maius. Tam impius ac stultus error ex sæpè dicendis facilè confutatur; et clarè constat nihil in Dei Providentiam, Sapientiam ac Bonitatem insolentius, nihil ipsi societati civili perniciosius, et ad homines in seipsos armandos accommodatius excogitari posse.

193 Alii ab hisce prioribus forsan magis verbis quàm sensu distincti, Dei, quasi non esset aut nostra non curaret, legem nullam agnoscunt, vel ab hominibus agnosci posse inficiantur: à convenientiâ autem cum naturâ nostrâ moralitatem omnem unicè repetendam iudicant. Contra verò Pufendorffius, aliique, naturæ nostræ etsi rationali omnia moraliter indifferentia ponunt, totamque bonitatem aut malitiam moralem à Dei voluntate pro arbitrio præcipiente et prohibente tantùm pendere asseverant; et in hoc sensu ante leges naturales et independenter ab ideâ Legislatoris, moralitatem nullam, nec obligationem aut debitum in humanis actibus agnoscunt; et hi sunt contra quos præsens quæstio instituitur.

194 At prænotandum 2° et præ oculis semper habendum, longè aliter à nobis ac ab ipsis accipi legis ideam. Nos etenim, sicut ius, etiam legem dividimus in naturalem et positivam. Supponimus enim ex solo naturali ordine, à Deo in rebus constituto, iam quædam esse moraliter bona aut mala, et quod horum est *lex naturalis;* alia verò ex vi ordinis vel legis naturalis manere indifferentia, et fieri bona vel mala ex liberâ institutione Dei ac hominum, et quod horum est *lex positiva,* divina aut humana. Hinc lex divina, seu divinitùs per revelationem promulgata, quædam præcepta continet, quæ sunt iuris aut legis naturalis, ut amorem Dei et cultum parentum; alia verò quæ solùm sunt iuris positivi, ut observantiam

sabbati aut dominicæ. Idem contingit in lege humanâ *Vid. D. Th.* 2. 2. *q.* 57. *a.* 2.

195 Pufendorffius verò (1) hanc distinctionem legis naturalis ac positivæ respuit, legemque omnem liberam præsupponit : sive quòd existimet ordinem naturalem non sufficere ad rationem legis et moralitatem , nisi ipsi superaddatur lex divina seu divinitùs promulgata; sive quòd putet naturalem ordinem nil continere necessarium, sed in ipso omnia esse à Dei liberâ institutione. Etiam plures ex Pufendorffii impugnatoribus in Deo ideam Legislatoris cum ideâ liberè decernentis coniungunt. Prænot^{m} 3^{o}, quòd si lex naturalis accipiatur ut à nobis, sic ante legem naturalem in actibus humanis bonitas ac malitia formaliter inveniri nequit. Etenim moralitas omnis actûs humani est tendentia ad finem, aut convenientia vel disconvenientia cum fine hominis, sicque essentialiter supponit finem ad quem homo ordinatus sit; or-

---

(1) Pufend. lib. I. de Iur. nat. et gent. *cap. XI.* § 6. *hæc habet : « Haudquaquam necessarium arbitramur cum « nonnullis statuere, quædam per se citra omnem impo- « sitionem esse honesta aut turpia ; et hæc facere obiectum « iuris naturalis ac perpetui : cùm illa quæ ideò hones- « ta aut turpia sunt quia Legislator voluit, sub legum po- « sitivarum sensum veniant ». Adde quòd hominis sociabilitatem ponit à Dei liberâ determinatione pendere ; hoc est, hominem creari potuisse* non socialem, *et aliunde sociabilitatem constituit quasi unicam moralitatis originem ac regulam. Ex his autem duobus principiis dubitari non potest, quin apud ipsum moralitas omnis à Dei liberâ positione unicè oriatur ac pendeat. Ut autem omittamus priùs principium, profectò in secundo turpissimè fallitur. Nedum quòd sociabilitas non tam moralitatis regula dicenda est, quàm materia circa quam morales actiones versantur ; sed præcipuè, quoniam innumera ac digniora hominis officia, quibus nempè erga Deum ac seipsum bonus aut malus est, à sociabilitate cum aliis hominibus minimè pendent.*

dinatio autem hominis ad finem iam est lex naturalis hominis (2).

196 Præsens igitur quæstio est de lege quæ sit verè positiva, quamvis ab aliquibus dicatur naturalis. Quærendum igitur, an ex solo naturali ordine, et absque lege ab hoc ordine distinctâ et ipsi superadditâ, iam intelligatur bonitas et malitia moralis: et rursùs, an hæc moralitas, quæ est ex rei naturâ, sit à liberâ Dei voluntate; ut hinc concludi possit, an actus omnes humani intelligantur indifferentes ante omnem legem verè positivam, imò ante omnem liberam Dei voluntatem.

197 I[a] conclusio: *Bonitas et malitia moralis inest pluribus humanis actibus ex solo naturali ordine.* Hanc conclusionem ex instituto probat D. Th. III. *contra Gent.* c. 129, cuius hic est titulus: *Quòd in actibus humanis sunt aliqua recta secundùm naturam, et non solùm quasi lege posita.* Pr: Quod est conveniens naturæ humanæ ut rationali, seu aptum aut necessarium ad finem hominis ut rationalis, est homini moraliter bonum; sed plures sunt actus humani, qui ex solo naturali ordine sunt convenientes naturæ humanæ ut rationali, seu apti aut necessarii ut homo suæ rationis finem consequatur: ergo plures sunt actus qui ex solo naturali ordine boni moraliter sunt.

---

(2) Imò ante legem naturalem nec actus humanus intelligi potest; nam etiam actus humanus, ut liber, essentialiter supponit rationem ut se determinantem, sicque ut respicientem finem, quo modo ratio est ipsa lex naturalis, vel eam supponit. Ex quibus patet, quòd inquirere an sit moralitas in actibus humanis ante legem verè naturalem, *esset quæstio ridicula et implicatoria. Ridicula; nam cùm moralitas sit ordo, et omnis ordo sit lex naturalis, vel eam supponat*, *esset idem ac quærere an sit ordo ante omnem ordinem. Implicatoria etiam; nam cùm ante legem naturalem nequeat intelligi actus humanus, esset quærere in illis moralitatem antequàm sint vel esse intelligantur.*

198 Mai. patet ex n. 160; imò eam, ut hìc advertit Ferrariensis, supponit D. Th. ut notam ex terminis. *Bonum* enim significatur per *esse naturæ conveniens*: unde quia natura non inclinat nisi ad id quod sibi convenit, dici solet naturam non inclinare ad malum, sed unicè ad bonum. Bonum autem naturæ ut rationalis, est quod dicitur bonum morale. Minorem probat D. Th. septem rationibus, quarum 1ª est: Ea quæ lex divina præcipit, sunt recta et ordinata in homine, nedum quia lege posita, sed ex solo naturali ordine; sed quæ in homine sunt recta et ordinata sunt convenientia ipsi ut rationali, nam rationis bonum est ordo: ergo. Mai. pr.: In omnibus quæ lex divina præcipit, aut mens hominis ordinatur sub Deo, aut alia quæ sunt in homine sub ratione, semper autem inferiora sub superioribus; sed naturalis ordo in homine, sicut ubique, requirit ut inferiora superioribus subdantur: ergo.

199 2ª sic habet: Iudicatorium rationis, seu facultas ad iudicandum de agendis, naturaliter homini concessum est ut principium propriarum operationum; sed principia naturalia non sunt nisi ad ea quæ sunt naturaliter, seu quæ naturaliter conveniunt: ergo sunt aliquæ operationes naturaliter homini convenientes. 3ª: Hominis natura, seu facultas operandi, ex solo naturali ordine determinata est: ergo sunt quoque actiones aliquæ determinatæ, quæ sint propriæ seu convenientes naturæ hominis, ut ab aliis differt. Consª patet; nam propria uniuscuiusque operatio ad propriam ipsius naturam necessariò consequetur.

200 4ª: Est homini naturale quod sit animal sociale (n. 11): ergo actus, sine quibus societas humana servari non potest, sunt homini naturaliter convenientes seu boni: natura enim non deficit in necessariis. Sic naturaliter bonum est, unicuique quod suum est servare, et ab iniuriis abstinere. 5ª: Est homini naturale uti rebus ad vitam servandam necessariis, et abstinere à mensurâ nocivâ: ergo ciborum sumptio moderata etiam ante omnem legem est homini naturaliter conveniens et bona; immoderata verò, ex se inconveniens et mala. 6ª: Secundùm naturalem ordinem corpus hominis est propter animam,

et inferiores virtutes animæ propter rationem: ergo est naturaliter homini conveniens, quòd sic curet corpus et inferiores vires animæ, ut ab iis ratio non impediatur, imò iuvetur: et si secùs fiat, erit naturaliter peccatum, ut vinolentiæ, comessationes, et inordinatus venereorum usus.

201 7ª: Quæ aliquem dirigunt in suum finem naturalem sunt ei naturaliter convenientia, inconvenientia verò quæ ab ipso removent; sed Deus est naturalis finis hominis: ergo ea quibus homo inducitur in cognitionem et amorem Dei, sunt naturaliter recta; quæ verò contrà dirigunt, sunt naturaliter homini mala. Patet igitur, *concludit D. Th.*, quòd bonum et malum in humanis actibus non solùm sunt secundùm legis positionem, sed etiam secundùm naturalem ordinem. Hinc est quod in Ps. XVIII. *v.* 10. dicitur: *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.* Per hoc autem excluditur positio dicentium quòd iusta et recta sunt secundùm legem posita. Hæc omnia D. Th. (3).

---

(3) *Ex his ultimis D. Th. verbis, P. Concina* lib. 1. de Iur. nat. et gent. Diss. 2. c. 10. n. 4. *colligit Pufendorffium et socios in iuris naturæ controversiis nec de novo invento errore gloriari posse. Videatur gravissimus hic auctor* Diss. citatâ cap. 9. 10. 11. *Has omnes septem D. Thomæ rationes adducere volui, tum quia omnes efficacissimæ sunt; tum etiam ut videatur quanto subtiliùs et efficaciùs hunc quorumdam Protestantium errorem sæculo XIII. D. Thomas, quàm in præsenti alii Protestantes, impugnaverit; tum demùm quoniam in ipsis copiosissimos septem fontes habemus, ex quibus omnia officia nostra, veluti à naturâ ipsâ, hauriamus. Quæcumque etenim ad vitam rectè instituendam necessaria sunt, eò tandem spectant, ut* 1 *affectus, passiones, nostraque omnia rationi, ratio verò Deo subiecta sit: ut ea lubenti ac prompto animo efficiamus, quæ aut* 2 *rationis iudicium præcipit, aut* 3 *ipsa natura rationalis,* 4 *aliorum hominum societas,* 5 *proprii corporis, ac* 6 *præcipuè men-*

202 II^{a} conclusio : [1] *Moralitas, quæ est in actibus humanis ex solo naturali ordine, antecedere intelligitur omnem liberam Dei voluntatem ac determinationem ;* [2] *unde non omnes actus humani ante ideam Dei, ut liberi Legislatoris, sunt indifferentes.* Pr. 1ª pars : Rerum prædicata essentialia antecedere intelliguntur omnem liberam Dei determinationem ; sed moralitas, quæ est in actibus humanis ex solo naturali ordine, est ipsis essentialis : ergo. Mai. patet ; nam rerum essentiæ omninò necessariæ ac invariabiles sunt. Min. etiam constat ; solùm enim actus, qui per se et ex naturâ suâ connexi aut pugnantes sunt, seu habent essentialem convenientiam aut repugnantiam cum hominis fine, dicuntur morales ex solo naturali ordine. Unde sicut creare vel non creare hominem est Deo liberum ; si tamen creatur homo, creari debet rationalis, quia hoc est de eius essentiâ : ita si homo creatur, debet ei esse bonus amor Dei, et malum ipsius odium, quia sunt essentialiter connexa cum fine hominis naturali seu Deo (4).

---

tis conservatio et perfectio exigunt ; [7] *aut ad Deum ut ultimum finem nos dirigunt ; quæ verò his omnibus contraria sint, sedulò avertamus.*

(4) *Atque hinc apparet ratio ob quam ea quæ à D. Th. in septem rationibus suprà adductis commemorantur, dicuntur esse bona vel mala secundùm naturam. Nam* 1°: *homo essentialiter est creatura Dei et rationalis : unde est ipsi essentialis ordo subiectionis ad Deum, et ordo dominii rationis supra cætera quæ in ipso sunt.* 2° : *Sicut essentiale ipsi est iudicatorium rationis ; ita essentialiter convenientes ipsi sunt operationes propriæ talis facultatis.* 3° : *Sicut quòd homo habeat hanc naturam et non aliam est ipsi essentiale ; ita quòd hæ operationes sint ipsi propriæ et convenientes.* 4° : *Quòd homo sit animal sociale, ex eius essentiâ seu rationalitate oritur : ergo etiam omninò necessarium est, quòd ei convenientia sint quæ ad sociabilitatem sunt necessaria.* 5° : *Est homini essentialis exigentia vitæ corporis : ergo et ordo*

203 2ª pars et est 1ᵃᵉ consectarium, et aliundè prob. 1°: Deus potuisset mendacium, fraudem, Dei odium ac blasphemias præcipere; contrà verò ipsius amorem et cultum prohibere, positione factâ, quòd ante liberam ipsius legem indifferentia omninò sint officia hæc; sed hoc est apertum delirium aut blasphemia: ergo. 2°: Mentiri, fidem datam fallere, et similia, si ex se indifferentia sunt, et solùm mala ex liberâ lege Dei, erunt indifferentia ei qui nulli legi subiicitur, sicque ipsi Deo; sed hoc est blasphemum: ergo ad blasphemiam ducit contrarius error.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

204 Obi. 1° contra Iᵐ: Omnis moralitas supponit obligationem; sed obligatio est à solâ lege: ergo ante legem, seu à naturâ, nulla est moralitas, sicque ect. Min. pr.: Nequit esse obligatio, nisi ille à quo est sit Superior obligans; sed Superior in moralibus solùm obligat per leges: ergo. Responderi posset, negando mai. et dicendo,

---

convenientiæ in necessariis ad vitam, et disconvenientiæ in noxiis. 6°: Hominis essentia petit, ut corpus sit propter animam, et vires inferiores propter rationem: ergo ipsa essentia petit, ut corpus et inferiores vires animæ ita dirigantur, ut iis ratio non impediatur, imò iuvetur. Demùm: Hominis finis Deus ipse essentialiter est: ergo est essentialis ordo hominis ad Deum ut ad finem, et sunt essentialiter homini bona, quæ ipsum ad Deum dirigunt, et essentialiter mala quæ ab ipso removent.

Hi ordines essentiales sunt, ac proindè Dei liberam legis impositionem antecedunt; at in pluribus potest Deus materiam ordinis homini subtrahere, ut materiam sociabilitatis, si creet hominem solum; et materiam curæ corporis, si hoc ab animâ separet. In aliis etiam materia est necessaria, ut in subiectione ad Deum, et respectu ad ipsum ut ultimum finem; nam licèt Deus hominem liberè creet, si tamen creat, omninò necessarium est quòd homo sit Deo subiectus, et quòd Deus sit eius ultimus finis.

actiones, quæ non sub præcepto sed sub consilio cadunt, morales esse et honestissimas, nec nos ad eas obligari. ℟. tamen permissâ mai. dist. min. : obligatio est à solâ lege *positivâ seu superadditâ ordini naturali*, nego ; *à solâ lege sive positivâ, sive naturali, id est indistinctâ ab ipso rerum ordine naturali*, conc. min. ; et sic iam apparet Superior obligans, nempè Deus ut Auctor naturæ, vel ut supremus naturæ Legislator.

205 Itaque obligatio moralis, sicut ipsa moralitas, sumitur à fine ; et est *agendi vel non agendi necessitas quædam*, non physica et absoluta, sed *ad finem*. Unde actio vel omissio actionis est maximè obligatoria seu *sub gravi*, quando est omninò seu absolutè necessaria ad finem, seu ut consequatur finis ; quando verò est necessaria secundùm quid, seu utilis ad finis consecutionem, tunc est leviter obligatoria, seu sub levi. Constat autem quòd nedum ex lege positivâ, sed etiam ex ipso ordine naturali, quædam actiones sunt omninò necessariæ, et aliæ utiles homini ut suum finem consequatur ; contrà verò aliæ actiones aut omninò pugnant cum fine hominis, aut ipsum à finis consecutione retardant, ut proindè earum omissio sit homini necessaria aut utilis ad finem. Unde ex solo naturali ordine, est in homine omnis generis obligatio et gravis et levis, tum ad aliquas actiones eliciendas, tum ad alias omittendas (5).

---

(5) *Burlamaquius* de Princ. Iur. Nat. *Part. I. c.* 6. § 9. *ait, quòd obligatio sic definiri potest :* Quædam naturalis libertatis restrictio, facta per rationem, quatenùs consilia, quæ nobis ratio præbet, sunt totidem motiva, quæ hominem determinant ad certum agendi modum præ omni alio. *Definitionem istam omninò probare non possum ; nam ut alia prætercam, in pluribus est obligatio ad aliquas actiones, de quibus ratio nil consulit, nec iubet ; aliàs iam non esset obligatio eorum quorum est ignorantia aut inadvertentia, sicque harum neutra esset unquam culpabilis, quod nec ipse Burlamaquius admittet. Unde adminùs dici debuisset : consilia, quæ nobis*

206 Obi. 2° : Omnis actio mala et inhonesta est offensa Dei et peccatum ; sed ante legem Dei nulla actio est eius offensa, nec peccatum : ergo nec mala, sicque etc. Min. patet ; nam si Deus nil hominibus præciperet aut prohiberet, quidquid homines agerent, in nullo offenderetur ; aliundè peccatum etiam à SS. Patribus definitur *transgressio legis.* ℟. nego min., si loquatur de lege positivâ et Deo liberâ ; nam ante hanc est lex æterna in Deo, et in nobis lex naturalis, quæ est æternæ participatio; ac proindè actiones iam intelliguntur malæ et offensæ Dei ut Legislatoris æterni. Peccatum autem à S. Aug. et aliis SS. Patribus definitur per transgressionem legis æternæ Dei, de qua posteà.

207 Obi. 3° : Quod est naturale est immutabile; sed in humanis actibus nec bonitas nec malitia est immutabilis : ergo nec neutralis. Min. pr. : *Reddere depositum,* quod videtur naturaliter iustum et bonum, est malum si reddatur furioso vel hosti reipublicæ arma deposita re-

---

ratio præbet, aut præberet si eam nosmetipsi liberè non impediremus ac obfuscaremus, etc. *Nihilominùs in dubium verti non posse videtur, rationis dictamine, præcipuè si certum aut decisivum sit, naturalem libertatem restringi, ideòque quamdam induci obligationem. Fatebuntur sanè Pufendorffius, Barbeyracus, et eorum socii, quòd dum ratio dictat actionem esse lege præceptam, obligat, ligat, seu constringit libertatem, quatenùs impellit ad actionem agendam. At nonne pari iure ligat, aut libertatem restringit ratio, dum dictat actionem esse naturæ consentaneam, propriæ perfectioni convenientissimam? Sanè utrobique actio proponitur ut approbabilis ac utilis, et ut laudabilem faciens auctorem, seu ut honesta ; sicque restringitur libertas, seu minùs expeditum manet arbitrium ad actionem omittendam : ergo utrobique vera est obligatio. Hæc ex Burlamaquio Part. II. c. 7. ubi ex instituto moralitatem in actionibus esse probat ex ipso naturali ordine, seu, ut ipse ait,* ante leges naturales, et independenter ab ideâ Legislatoris.

poscenti. Similiter furtum, quod est malum, esse potest bonum, ut quando Deus præcepit Iudæis ab Ægypto exeuntibus, ut mutuata Ægyptiorum vasa surriperent : ergo idem de aliis dicendum, sicque etc. ℟. nego min.; nam *reddere depositum* solùm est naturaliter æquum et bonum, si reddatur ei, qui rationabiliter petit. Furtum est acceptio rei alienæ: quidquid autem Deus præcipit alicui, ut accipiat, iam non est alienum, cùm Deus sit omnium Dominus, sicque nec ea acceptio est propriè furtum, nec mala.

208 Unde hæc moralia secundùm naturam semper immutata manent quoad *ordinem moralitatis*, et solùm mutantur quoad *materiam* seu *res subiectas* tali ordini. Hæc autem materiæ mutatio nedum causatur à Deo, sed etiam ab ipsâ mutabilitate voluntatis humanæ, ut in exemplo depositi, cuius redditio desinit esse iusta ob malam voluntatem eius cui facienda est. *Vid. D. Th.* 1. 2. *q.* 94. *a.* 5 *ad* 2^m^; *et* 2. 2. *q.* 57. *a.* 2. *ad* 1^m^.

209 Obi. 4° contra utramque : Si datur aliquid honestum in se antecedenter ad liberam Dei voluntatem, vel admittendum est factum stoicum, cui Deus ipse sit alligatus, vel principium Deo priùs formas rerum determinans; sed hoc nil stolidius : ergo tota honestas ac moralitas à liberâ Dei determinatione procedit. Conf. : Si honestatis prima ratio non est lex positiva, erit circulus vitiosus : ergo. Ant. pr. : Quæ sunt lege naturali disposita, talia sunt, quia ex naturâ suâ honesta; sed si non sunt honesta à lege positivâ, erunt etiam talia à lege naturali : ergo. ℟. nego mai.; imò stultè obtruditur fatum stoicum, cùm nos ab ipso Deo seu ab ipsâ Dei lege æternâ, cuius, ut postea clariùs apparebit, participatio quædam et impressio est lex naturalis, totam honestatem ac inhonestatem, seu moralitatem omnem repetamus.

210 Ad Conf. nego ant. et mai. prob^s^.; nam si accuratè loquamur, actus ex naturâ suâ honesti ac inhonesti tales sunt quia conformes vel difformes legi naturali, seu potiùs legi æternæ. Deinde sunt conformes vel difformes legi æternæ, non quia boni vel mali, sed quia in Dei essentiâ rerum omnium exemplari repræsentantur

ut ordinabiles vel non ordinabiles ad finem hominis. Hìc autem sistendum; quoniam creata omnia pendent à Divinâ essentiâ ut à primâ causâ exemplari, quam Deus contemplans omnia creat et ordinat.

211 Sicut autem Deus *creans* videt in Divinâ essentiâ plura rerum prædicata accidentalia, at quædam etiam essentialia, sine quibus res creari non potest; ita Deus *ordinans* videt in Divinâ essentiâ plura quæ liberum, at quædam etiam quæ necessarium ordinem ad hominis finem exprimunt. Et hæc necesssariò ordinata ad finem hominis sunt quæ ex consequenti dicuntur necessariò ac naturaliter bona vel mala. Itaque ratio Divinæ sapientiæ in Deo omnia ordinans dicitur *lex æternâ*: ipsius participatio in iis quæ necessarium ordinem habent, dicitur in nobis *lex naturalis* (6), et in iis quæ habent ordinem liberum, dicitur *lex positiva.*

212 Contrà: Ergo adhuc ante legem æternam iam actus intelliguntur boni vel mali. Cons[a]. pr.: Ante legem æternam iam in essentiâ divinâ, ut idea, intelliguntur or-

---

(6) Quòd si adversarii contendant, ordinem naturalem dici non posse legem, *quoniam ex Principis arbitrio non omninò pendet*: 1° *de nomine non concertabimus, dummodò concedant bonitatem et malitiam iam esse à Deo ut naturæ Auctore, seu à solo ordine naturali.* 2° *hic ordo est verè lex, nam huius essentia solùm exigit actum intellectûs ordinantis: arbitrium autem Principis solùm debet præcedere in iis quæ ex se ordinata non sunt, ut proindè liberâ legislatoris determinatione debeant ordinari. Leges naturales à liberâ seu arbitrariâ Dei institutione non pendere, statuit etiam ac probat Burlamaquius P.* 2. *cap.* 5. § 5. *Dum autem eiusdem capitis* § 8 *et* 9. *ius nullum positivum, etiam Divinum, universale esse posse contra Grotium negat, ea profert, quæ non nisi à revelatæ Divinæ legis seu religionis hoste proferri posse videntur: quamquam ipse, præcipuè in fine operis, revelatam doctrinam palàm profiteatur.*

dinabiles vel non ordinabiles ad finem : ergo. ℟. dist. cons^s. : boni vel mali *fundamentaliter*, conc. ; *formaliter*, nego. Actus enim humanus nequit intelligi adhuc obiectivè formaliter bonus, nisi in ipso intelligatur actualis seu formalis ordo convenientiæ ad hominis finem : hic autem ordo nequit intelligi, nisi intelligatur constitutus terminus seu finis. Hæc verò constitutio finis est à lege æternâ. Unde ante ipsam, si propriè loquamur, adhuc non est formalis ordo, nec moralitas formalis, sed solùm fundamentalis.

213 Obi. ult. : Moralitas actûs humani intelligi nequit nisi intelligatur eius libertas ; sed hæc intelligi nequit ante liberam Dei determinationem : ergo nec moralitas. ℟. dist. mai. : moralitas *formalis* actûs, transeat ; *obiectiva*, nego mai. et contrà dist^a. min. nego cons^m. Itaque nos in præsenti solùm loquimur de moralitate obiectivâ actûs humani, seu de illo transcendentali ordine convenientiæ vel desconvenientiæ cum fine hominis, quem ex naturâ suâ habent res plures, actus exteriores, et etiam actus ipsius voluntatis, quatenùs etiam obiectum esse possunt aliorum actuum. Iam verò moralitas obiectiva, sicut præsupponitur ad moralitatem formalem actûs, cuius est causa, ita intelligitur ante ipsius actûs libertatem.

ART. VI.

An actus aliquis humanus prout fit, seu in individuo, sit indifferens?

214 PRÆNOTANDUM est esse actus indifferentes secundùm suam speciem seu ex obiecto, nempè illos, quorum obiectum nil includit pertinens ad ordinem rationis, sed est indifferens ad bonum vel malum ; quales sunt ambulare, levare festucam, et ire ad campum. *Ita D. Th. hìc q.* 18. *a.* 8. Prænot^m 2° quòd actus indeliberatus, seu procedens non à ratione deliberante, sed ex quadam imaginatione, propriè loquendo non est actus moralis vel hu-

manus, cùm hoc habeat actus à ratione ut tali: et sic erit indifferens, quasi extra genus moralium actuum existens.

215 Conclusio: *Necesse est omnem actum hominis à deliberativâ ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse vel malum.* Ita D. Th. hìc a. 9. Pr. ex *Sed contrà*: Omnis actus deliberatus aut est otiosus, aut non; sed si est otiosus est malus, et si non est otiosus est bonus: ergo omnis actus deliberatus aut est malus aut bonus. Min. quoad 1^m est D. N. Jesuchristi (*Matth.* 12) dicentis, quòd de verbo otioso reddemus rationem: si autem de verbo, cur non etiam de aliis actibus otiosis? Quoad 2^m pr.: Ex D. Greg. Hom. 16. in Evang.: *Otiosum est quod utilitate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitatis aut piæ utilitatis caret;* sed actus qui non caret aut iustâ necessitate aut piâ utilitate iam est bonus, ut patet: ergo omnis actus non otiosus est bonus.

216 Pr. *ex corp. art.*: Necesse est omnem actum hominis vel ordinari vel non ordinari ad debitum finem; sed si ordinatur, iam est conformis ordini rationis, sicque bonus; et si non ordinatur, repugnat rationi, sicque est malus: ergo necesse est etc. Contrarii negare solent secundam partem minoris, asserentes, plures esse leviores actiones quibus ordo rationis non est debitus, quæque proindè non carent ordine *debito*, sicque non sunt malæ, licèt careant ordine rationis.

217 Sed contrà: Omni actui rationali debetur ordo rationis; sed omnis actus deliberatus est actus rationalis: ergo omni actui deliberato debetur ordo rationis. Mai. pr. 1°: Ad rationem pertinet ordinare etiam actus aliarum potentiarum: ergo potiori iure omnes suos actus. 2°: Unicuique debetur ordo proprius, à quo si deficiat, erit malum in suo genere, ut artificiale carens ordine artis, et naturale carens ordine naturæ censentur in suo genere mala: ergo omni actui rationali debetur ordo rationis.

218 Rt. alii rationem posse ordinare actum in finem indifferentem, proindèque illum in suâ indifferentiâ relinquere. Sed contrà 1°: Cùm nihil rationem finis habere

possit nisi sub ratione boni, necesse est finem ad quem refertur actus esse bonum, vel secundùm sensum vel secundùm rationem, seu vel apparenter vel verè. Si 1^{m}, redet actionem deordinatam et malam, quia dedecet creaturam rationalem quiescere in bono sensibili. Si 2^{m}, actio erit bona et honesta: ergo nullatenùs indifferens. Contrà 2°: Finis indifferens, si nullatenùs sit bonus, aut in bonum ordinatus, saltem erit otiosus: sicque etiam otiosus erit actus propter talem finem elicitus; sed actus otiosus est malus (215): ergo.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

219 Obi. 1°: Nulla species est quæ sub se non contineat vel continere possit aliquod individuum; sed aliquis actus est indifferens secundùm suam speciem: ergo talis esse potest in individuo. ℟. quòd aliquem actum esse indifferentem secundùm suam speciem potest esse multipliciter. Uno modo sic quòd *ex suâ specie debeatur ei quòd sit indifferens;* et sic procedit ratio. Sed tamen isto modo nullus actus ex suâ specie est indifferens; non enim est aliquod obiectum humani actûs, quod non possit ordinari vel ad malum vel ad bonum per finem vel circumstantiam. Alio modo potest dici indifferens ex suâ specie, *quia non habet ex suâ specie quòd sit bonus vel malus:* unde per aliquid aliud potest fieri bonus vel malus. Sicut homo non habet ex suâ specie quòd sit albus vel niger, nec tamen habet ex suâ specie quòd non sit albus nec niger. *Ita D. Th. hìc ad* 1^{m}.

220 Obi. 2°: Actus ex suâ specie indifferentes sæpè homo non ordinat nec in finem bonum seu virtutis, nec in malum seu vitii, sed vel ad naturæ commoditatem, ut dum cubito nitimur aut sedemus, vel ad solam corporis voluptatem, ut dum flores odoramus; sed omne bonum aut malum morale pertinet ad virtutem aut vitium: ergo non omnis actus est determinatè bonus vel malus. Conf.: D. Hier. Epist. 89. ait: *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare... hoc nec bonum est nec malum: sive enim feceris, sive non feceris, nec iustitiam habebis nec iniustitiam*: ergo.

℟. nego mai.; nam hoc ipsum, quòd aliquis agit ordinatè ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis, et in malum vitii in eo, qui suum corpus ad vitia ordinat. *D. Th. ad* 3^{m}.

221 Dum verò homo agit ad corporis voluptatem, si in hac sistit, nihil aliud intendens nisi sensibiliter delectari, actio est mala; nam rationalis natura non habet pro fine voluptatem quæ sensum delectat, ut belluæ, sed honestatem quæ rationi convenit: sicque dum agit propter solam voluptatem, eo ipso deficit à proprio fine, et ad finem belluarum inordinatè se deprimit, sicque peccat. Sin autem voluptates etiam sensibiles sumit homo, ut remedia et solatia necessaria ad vitam transigendam, actio est bona. Ad Conf. ℟. D. Hier^{m} loqui de indifferentiâ ex specie seu obiecto, quam retinent opera ex obiecto indifferentia etiam dum exercentur. Nisi velis apud D. Hier. ambulare propter bonam intentionem non esse bonum, et in loco prohibito non esse malum; quod ridiculum esset.

222 Obi. 3° : Nullum est præceptum referendi omnes actiones in finem honestum: quale enim erit? ergo licèt non referantur, non sunt malæ. Conf.: Nullus quamvis timoratæ conscientiæ se accusat, quòd non præfixerit finem in emittendo sputo, emungendis naribus, et id genus infinitis continuè occurrentibus. ℟. hominem adstringi præcepto naturali ad rationabiliter vivendum, et ad vitandam otiositatem; proindèque ad præstituendum bonum rationalemque finem actionibus quas agit deliberatè, et cum intentione finis. Ad Conf. ℟. quòd non oportet singulas istas actiones *actualiter* ordinare in bonum finem: sufficit enim *virtualiter* et *implicitè*; quatenùs aliquis per temperantiam, modestiam, aliasque virtutes ordinat de pertinentibus ad corpus suum, et ad eius sustentationem, commoditatem, quietem, aut ornatum.

ART. VII.

An actus exterior addat aliquid bonitati aut malitiæ interioris ipsum imperantis?

223 Prænotandum est quòd actus exterior potest considerari ut est in intentione agentis, et ut est in executione, seu ut intenditur, et ut fit. Priori modo est obiectum actûs interioris ipsum imperantis; et sic actus interior suam bonitatem aut malitiam habet ab exteriori, quatenùs ex suâ malitiâ et circumstantiis est obiectum conveniens aut disconveniens rationi (1). Secundo modo est effectus ipsius actûs interioris, et de ipso ita considerato sit

224 Conclusio: *Executio actûs exterioris occasio esse potest quòd voluntas fiat melior aut peior secundùm actuum numerum, extensionem, et intensionem*, quatenùs scilicet executio actûs exterioris occasio est quòd actus interior voluntatis iteretur seu multiplicetur: quòd ampliùs vel minùs duret; et quòd maiore vel minore intentione feratur ad finem. *Licèt autem sit complementum per-*

(1) *Nota verò quòd sæpè actus exterior ex se indifferens ordinatur ad finem* extrinsecum *bonum aut malum; ut deambulatio ad sacri auditionem, vel ad furtum. Sæpè item actus exterior ex se bonus ordinatur ad finem malum, ut eleemosyna ad inanem gloriam. In his casibus bonitas aut malitia non est in actu voluntatis ex ipso actu exteriori, sed ex fine* extrinseco, *qui præcipuum est actûs interioris obiectum; cùm ipsum actum exteriorem solùm ad illum finem velit. Vide D. Th. q.* 20. *a.* 1. *et* 2. *Hìc observa, quòd proprium cuiuslibet actûs tum interioris tum exterioris obiectum dicitur eius* finis intrinsecus. *Undè* extrinsecus *est ille finis ad quem actus non ex naturâ suâ, sed ex solâ voluntatis intentione ordinatur.*

fectionis actûs interioris, quatenùs omnis inclinatio perficitur in assecutione sui termini, actus verò exterior terminus est interioris ipsum imperantis: *Nihil tamen per se addit bonitatis moralis ipsi actui interiori, quandò iste iam ita perfectus est, ut operaretur si posset;* quia sicut totum voluntarium, ita tota moralitas formalis ab actu interiori est. *Unde defectus executionis, quando est involuntarius, nil tollit meriti aut demeriti, ac proindè nec præmii aut pœnæ debitorum ipsi voluntati.* D. Th. 1. 2. q. 20. a. 4.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

225 Obi. 1°: Martyrii aureolâ privatur qui martyr esse non potest, etsi perfectè velit; sed aureola est præmium: ergo involuntarius defectus actûs exterioris aliquid tollit de præmio. ℟. conc. mai., et dist. min.: *est præmium debitum voluntati*, nego: *debitum ipsi exteriori passioni*, concs. min. et nego cons. in sensu distinctionis. Non enim inconveniens est quòd aliquid involuntarium sit occasio quòd deficiat meritum, et ex consequenti quòd deficiat præmium: sicut involuntarius defectus visûs aut auditûs occasio est, quòd cæco ac surdo deficiant varia præmia quæ iis potentiis mereri possent. Quod rectæ rationi pugnat est defectus præmii posito merito, v. g. posito actu voluntatis deficere præmium ipsi correspondens, quod dici solet *essentiale*; et posito actu exteriori deficere suum præmium, quod dici solet *accidentale* (2).

226 Obi. 2°: Meliùs est quòd homo et velit bonum, et faciat exteriori actu, quàm quòd solùm velit: ergo actus exterior addit ad bonitatem actûs interioris. Ant. est D. Thomæ 1. 2. *q.* 24. *a.* 3.; imò evidentissimum est.

---

(2) Nota verò quòd bona virtutis in hoc differunt à bonis fortunæ, quòd hæc etiam habita possint violenter auferri, ut divitiæ; non autem bona virtutis, licèt eorum minùs principalia possint ex occasione violenter impediri, impeditâ occasione ipsa merendi.

℟. quòd velle et reipsâ facere bonum dicitur meliùs quàm solùm velle, tum quia ipse actus exterior est quoddam bonum hominis, ipsique varia præmia accidentalia adquirit; tum etiam quia ex actu exteriori ferè semper per accidens iteratur, continuatur, ac intenditur ipse interior actus voluntatis. Unde in formâ dist. ant.: meliùs est *homini* quòd et velit bonum *etc.* conc.; meliùs est *actui interiori*, subdist.: ferè semper *per accidens*, conc.; *per se*, nego.

227 Pro coronide adverte, quòd *ab actu exteriori derivatur bonitas aut malitia in actum interiorem; et rursùs ab actu interiori derivatur denominatio boni et mali in actum exteriorem.* 1ª pars constat; nam actus exterior est obiectum interioris; istius autem bonitas et malitia pendent ab obiecto (n. 170). Unde si actus exterior est bonus obiectivè, hoc est, ipse finis rationis, vel conveniens fini rationis; tunc actus interior illum imperans erit bonus formaliter. Sin autem actus exterior est malus obiectivè, seu disconveniens fini rationis; tunc actus interior ad illum ordinatus erit malus formaliter.

228 2ª pars etiam constat; nam actus exterior est executio et effectus actûs interioris: unde sicut hac ratione denominatur extrinsecè liber et voluntarius, ita etiam moraliter bonus aut malus. Utraque pars exemplo illustrari potest. Sicut enim à virtute, quæ est in medicinâ, causatur sanitas animalis, et ab hac rursùs denominatur sana ipsa medicina: ita à convenientiâ quam habet actus exterior cum fine rationis, seu à bonitate obiectivâ, causatur bonitas formalis ipsius voluntatis, et ab hac rursùs denominatur extrinsecè bonus actus exterior. *D. Th. hìc q.* 20. *a.* 3.

229 Ubi duo adverte: 1° quòd actus exterior est dupliciter bonus, nempè per se ante actum interiorem, seu bonitate obiectivâ, et per accidens ac extrinsecè ab actu interiori. 2° quòd in quantum ab actu interiori diffunditur hæc denominatio bonitatis ad actum exteriorem, bonitas actûs interioris ultimò compleri ac perfici intelligitur, quatenùs eo modo quo potest extenditur ad suum terminum. Unde per actum exteriorem fit complementum perfectio-

nis bonitatis in interiori : non per huius augmentum, sed per huius diffusionem ad actum exteriorem.

QUÆSTIO III.

DE PASSIONIBUS.

230 De passionibus agere aggredimur, seu de illis animi nostri impetibus ex appetitu sensitivo pullulantibus, à quorum deordinatione vitia ferè cuncta proveniunt, et in quibus regendis maxima virtutum pars occupatur. De iis plura D. Th. 1. 2. à q. 22 ad 48 : unde nos pauca sumemus tribus articulis comprehensa. 1^{s} erit de passionibus in communi. 2^{s} de passionibus partis concupiscibilis ; et 3^{s} de passionibus irascibilis.

ART. I.

DE PASSIONIBUS IN COMMUNI.

§ I.

Quid et quotuplex sit passio?

231 Dico 1° : Passio est : *Motus appetitivæ virtutis sensibilis ex imaginatione boni vel mali cum transmutatione corporali.* Explicatur : Passio dicitur *motus*, id est commotio et veluti quidam impetus. Additur *virtutis appetitivæ sensibilis ;* nam hìc non loquimur nec de passione generatim, prout *sentire* et *intelligere*, seu omne recipere dicitur *pati ;* quo modo etiam voluntatis affectus et sensuum actus dici possent motus et passiones : nec de cunctis motibus aut perturbationibus, quæ nostrum cor-

pus subit; sed de iis tantùm affectionibus, quæ quodammodò transmutant corpus; in quantum adminùs addunt vel diminuunt aliquid de motu cordis, seu efficiunt ut cor intensiùs aut remissiùs moveatur. Hoc autem, quod significant verba *cum transmutatione corporali*, nec competit voluntati, nec parti apprehensivæ, sed solùm virtuti appetitivæ sensibili. *D. Th.* 1. 2. *q.* 22. *a.* 1. 2 *et* 3. *et q.* 24. *a.* 2 *ad* 2^{m}.

232 Dum dicitur *ex imaginatione boni vel mali*, horum motuum propria causa assignatur; quippe proprium appetitûs sensitivi motivum est bonum et malum imaginatione apprehensum; sicut proprium voluntatis motivum est bonum vel malum intellectu apprehensum. Hinc patet diminutè ac obscurè ab aliquibus definiri passionem: *Vehementiorem appetitum. Demissionem aut elationem animi. Animi contractionem vel effusionem.* Stoici verò dicentes passionem esse: *Aversam à ratione contra naturam animi commotionem*, potiùs defectum passionis quàm naturam explicant.

233 Dico 2°: *Passiones aliæ sunt partis concupiscibilis, aliæ partis irascibilis.* Sunt enim in appetitu sensitivo; cuius dicitur pars *concupiscibilis*, quæ versatur circa bonum et malum sensibile præcisè sumptum; et pars *irascibilis*, quæ respicit bonum et malum, non præcisè, sed sub ratione ardui, ac proindè cum quadam pugnâ et conatu attingendi. Ut observat *D. Th. hìc q.* 23. *a.* 2. omnis passio concupiscibilis aut tendit in bonum, aut recedit à malo: unde contrariantur invicem ex parte obiecti, quia feruntur in contrarios terminos. Passiones autem irascibilis etiam ad eundem terminum contrariis motibus feruntur; ut spes tendit ad bonum arduum, à quo desperatio recedit: audacia insurgit in malum, cui timor succumbit. Unde contrariantur invicem et à parte termini, et ab accessu et recessu ab eodem termino.

234 Passiones concupiscibilis sunt sex: Amor et Odium, Desiderium et Fuga, Gaudium et Dolor. *Amor* est veluti pondus urgens in bonum: unde tritum illud ex S. Aug. *Amor meus pondus meum. Desiderium* est motus in bonum ex illo pondere procedens. *Gaudium* est quies in

bono. Contrà verò *Odium* est veluti pondus retrahens à malo. *Fuga* est motus ex illo pondere causatus. *Tristitia* est violenta quies in malo. Passiones irascibilis sunt quinque : Spes et Desperatio, Audacia et Metus, atque Ira, quæ caret contrario. *Spes* animum ad bonum in arduo situm erigit, *Desperatio* deprimit. *Audacia* insurgit in malum arduum, *Timor* seu metus succumbit. *Ira* verò in causam mali animum intendit, et ad vindictam acuit.

§ II.

An omnis animæ passio sit mala, aut saltem minuat bonitatem actûs?

235 Prænotandum est 1° passiones animæ prout subiacent imperio rationis, quo modo belluis non conveniunt, esse posse bonas aut malas. Nam possunt esse voluntariæ, vel quia à voluntate imperantur, vel quia à voluntate non prohibentur. *D. Th. hìc q.* 24. *a.* 1. Prænot^{m}. 2° passiones ut voluntarias posse esse bonas aut malas ex suâ specie, sicut etiam actus exteriores. Nam accipitur ut passionis obiectum aliquid de se conveniens rationi, vel dissonum à ratione; sicut verecundia, quæ est timor rei turpis, unde à Philosopho dicitur passio laudabilis; et invidia, quæ est tristitia de bono alterius, sicque mala.

236 I^{a} conclusio : *Non omnis animæ passio est mala.* Ita D. Aug. XIV. de *Civ. Dei,* cap. 9. ubi ait : *Quia rectus est amor* iustorum, *istas omnes affectiones rectas habent..... Metuunt peccare, cupiunt perseverare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis.* Pr. ratione : Passiones sunt motus appetitûs sensitivi ; sed isti motus sunt boni si ratione moderati, et mali si præter moderationem rationis : ergo passiones non semper malæ sunt, sed bonæ aut malæ prout ratione regulantur vel non.—Obi. tamen : Passiones inclinant ad peccatum : ergo sunt malæ. ℟. passiones animæ, in quantum sunt præter ordinem ra-

tionis, inclinare ad peccatum ; in quantum verò sunt ordinatæ à ratione, pertinere ad virtutem (1).

237 II^{a} conclusio : *Passiones animæ licèt aliquando minuant bonitatem actûs, aliquando tamen eam indicant maiorem ; imò aliquando addunt ad bonitatem actionis.* Explicatur et pr. : Passiones animæ dupliciter se habere possunt ad iudicium rationis. Uno modo *antecedenter ;* et sic cùm obnubilent iudicium rationis, diminuunt actûs bonitatem : laudabilius enim est quòd ex iudicio rationis detur eleemosyna, quàm ex solâ passione misericordiæ. Alio modo *consequenter*, et hoc dupliciter. 1° *per modum redundantiæ;* quia scilicet cùm superior pars animæ intensè movetur in aliquid, sequitur motum eius etiam pars inferior ; et sic passio existens consequenter in appetitu sensitivo est signum intensioris voluntatis ; et sic indicat bonitatem moralem maiorem.

238 2° *per modum electionis ;* quando scilicet homo ex iudicio rationis eligit affici aliquâ passione, ut promptiùs operetur cooperante appetitu sensitivo, et sic passio animæ addit ad bonitatem actionis. Cùm enim bonum hominis consistat in ratione sicut in radice, tantò istud bonum erit perfectius, quantò ad plura quæ homini conveniunt derivatur. Sicut igitur melius est, quòd homo et velit bonum et faciat exteriori actu ; ita etiam ad perfectionem boni moralis pertinet, quòd homo ad bonum mo-

---

(1) Ita D. Th. hìc q. 24. a. 2, ubi advertit hanc sententiam, quæ est Aristotelicorum, solâ voce et non re differre ab Stoicorum sententiâ. Hi enim passiones omnes malas asserebant, morbos vel perturbationes animi vocabant ; quoniam non discernebant inter sensum et intellectum, sicque nec inter appetitum intellectivum et sensitivum. Unde nec discernebant passiones animæ à motibus voluntatis, secundùm quod passiones animæ sunt in appetitu sensitivo, simplices autem motus voluntatis sunt in intellectivo ; sed omnem rationabilem motum appetitivæ partis vocabant voluntatem : passionem autem dicebant motum progredientem extra limites rationis.

veatur non solùm voluntate, sed etiam appetitu sensitivo. *D. Th. hìc a.* 3.

ART. II.

DE PASSIONIBUS CONCUPISCIBILIS.

§ I.

DE AMORE ET ODIO.

239 Dico 1°: *Verè est amor in appetitu concupiscibili.* Explicatur : Triplex est amor, sicut triplex est appetitus. Appetitus enim aut sequitur apprehensionem non ipsius appetentis, sed instituentis naturam, et dicitur *naturalis* : aut ipsius appetentis apprehensionem ex suo genere necessariam, et dicitur *sensitivus ;* qui tamen in hominibus aliquid libertatis participat prout obedit rationi : aut sequitur apprehensionem illius qui appetit libero iudicio, et dicitur appetitus *rationalis* seu *voluntas.*

240 In omni appetitu *amor* dicitur illud quod est principium motûs tendentis in finem : hoc autem principium in appetitu naturali est connaturalitas appetentis ad id in quod tendit, et hæc dicitur *amor naturalis.* Similiter coaptatio appetitûs sensitivi aut voluntatis ad aliquod bonum, id est ipsa complacentia boni seu in bono, dicitur *amor sensitivus* vel *intellectivus* seu *rationalis.* Nos hìc loquimur de amore sensitivo, qui proindè est in appetitu sensitivo ; et pertinet ad concupiscibilem, quia dicitur per respectum ad bonum absolutè, non per respectum ad arduum quod est obiectum irascibilis. *D. Th.* 1. 2. *q.* 26. *a.* 1.

241 Dico 2° : *Amor sensitivus est propriè passio*, et definiri potest : *Complacentia appetitûs sensitivi in appetibili seu bono.* Pr. : Passio est effectus agentis in patiente ; sed amor est complacentia quædam causata in appetitu ab ipso appetibili : ergo. Etenim sicut agens naturale primò dat formam, et deinde motum consequentem ad formam, ut generans corpus dat gravitatem, et hac me-

diante motum ad centrum: sic appetibile apprehensum dat appetitui, primò quidem quamdam coaptationem ad ipsum, quæ est quædam complacentia appetibilis; ex qua sequitur motus ad appetibile. Nam motus appetitivus circulo agitur, ut dicitur in 3° de *Animâ;* siquidem appetibile movet appetitum, faciens in eo quodammodò eius inclinationem, et appetitus tendit in appetibile realiter consequendum; ut sit ibi finis motûs ubi fuit principium.

242 Prima ergo immutatio appetitûs ab appetibili (id est illa coaptatio, qua bonum appetibile immutat appetitum, illum sibi appropriando, vendicando, et ad se inclinando per impressionem cuiusdam metaphorici ponderis ac gravitatis quæ sit principium tendendi in ipsum) vocatur *amor*, qui nil est aliud, quàm complacentia appetibilis seu boni; et ex hac complacentiâ sequitur motus in appetibile, qui est desiderium, et ultimò quies, quæ est gaudium. Sic ergo cùm amor consistat in quadam immutatione appetitûs ab appetibili, manifestum est quòd amor est passio: propriè quidem secundùm quod est in concupiscibili, communiter autem et extenso nomine secundùm quod est in voluntate. *D. Th.* 1. 2. *q.* 26. *a.* 2.

243 Obi. tamen: Amor definiri potest 1° cum Platone: *Desiderium pulchri;* seu *Animi nisus in pulchrum.* Deinde: *Motus appetitûs, quo animus bono adhæret:* ergo. ℟. ad 1^m. Platonem confundere amorem cum desiderio: item bonum cum pulchro; cùm tamen pulchrum solùm sit species boni. Non enim dicimus pulchros sapores, sed bonos; pulchrum enim addit supra bonum quemdam ordinem ad vim cognoscitivam, ita quòd bonum dicatur id quod simpliciter complaceat appetitui: pulchrum autem dicatur id cuius ipsa apprehensio placet. *D. Th. hìc q.* 27. *a.* 1 *ad* 3^m. Altera definitio secum pugnat; nam adhæsio non est motus ad bonum, sed quies in bono. Nota quòd complacentia recens ac tenera est amor infirmus ac debilis; complacentia constans et appetitûs domina, est amor perfectus.

244 Dico 3°: *Amor, Dilectio, Charitas, et Amicitia quodammodò differunt. Amicitia* est quasi habitus;

amor et *dilectio* significantur per modum actûs ; *charitas* autem utroque modo. Differenter tamen significatur actus per ista tria ; nam 1° amor communior est, omnis enim dilectio vel charitas amor est, sed non è converso. 2° dilectio suprà amorem addit electionem præcedentem ut ipsum nomen sonat : unde dilectio solùm est in voluntate. Charitas autem addit supra amorem perfectionem quamdam amoris, in quantum id quod amatur magni pretii æstimatur, ut ipsum nomen *charus* indicat. *D. Th. hìc q.* 26. *a.* 3.

245 *Differunt etiam amor amicitiæ et concupiscentiæ.* Etenim amare est velle alicui bonum : sic ergo amor in duo tendit, in bonum quod quis vult, et in illud cui vult bonum. Ad illud ergo bonum, quod quis vult sibi vel alteri, habetur amor *concupiscentiæ* : ad illud autem cui aliquis vult bonum, habetur amor *amicitiæ. D. Th. hìc a.* 4.

246 Dico 4° : *Præcipuæ amoris causæ sunt bonum, cognitio, et similitudo.* D. Th. hìc q. 27. Pr. 1ª pars : Amor enim est complacentia amantis ad rem amatam ; patet autem nullam rem placere, nisi quatenùs conveniens est appetitui, proindèque bona. Pr. 2ª pars : Bonum non est obiectum appetitûs nisi ut apprehensum : ergo apprehensio est causa amoris eâ ratione qua et bonum. Pr. 3ª pars : Ex illo Eccli. 13. *Omne animal diligit sibi simile.*

247 Explicatur : Duplex est duorum similitudo. 1ª ex hoc quòd utrumque habeat idem actu, ut duo habentes albedinem sunt similes. 2ª ex hoc quòd unum habeat in potentiâ et inclinatione id quod aliud habet actu ; vel etiam secundùm quod ipsa potentia est similis actui, tum quòd in ipsâ est quodammodò actus, tum etiam quia potentia est commensurata actui ; omnis autem commensuratio est quoddam similitudinis genus. Hæc 2ª similitudo causat amorem concupiscentiæ ; quia unicuique existenti in potentiâ inest appetitus sui actûs, et in eius consecutione delectatur si sit sentiens et cognoscens.

248 At 1ª similitudo causat amorem amicitiæ : nam similes in quadam formâ sunt quodammodò unum in illâ

formâ, et ideò affectus unius tendit in alterum ut unum sibi, et vult ei bonum ut sibi, in quo sita est ratio amicitiæ; sic homo homini amicus est ob naturalem similitudinem, cives civi ob politicam, cæt. Per accidens verò 1ª similitudo causat odium, quatenùs in consecutione boni unum simile impeditur aliquando à suo simili; quo fit ut ipsum odio habeat non ut simile, sed ut noxium sibi. Unde illud Arist.: *Figulus figulo invidet, et inter superbos sunt iurgia;* quia se impediunt in lucro aut in propriâ excellentia. Ad dictas amoris causas reduci videntur familiaritas, sympathia, societas, et alia huiusmodi.

249 Dico 5°: Præcipui amoris effectus sunt: *Unio, Mutua inhæsio, Ecstasis, Zelus, Læsio amantis*, et *Universalis influxus in omnia quæ ab ipso aguntur.* Ita D. Th. q. 28. Explicantur singula 1°: *Unio* tripliciter se habet ad amorem. Quædam enim unio est causa amoris: et hæc est substantialis in amore sui ipsius, et in amore quo quis amat alia est unio similitudinis. Quædam verò unio est essentialiter ipse amor, et hæc est unio secundùm coaptationem affectûs. Demum quædam unio est effectus amoris, et hæc est unio realis, quam amans quærit de re amatâ. Ut enim Aristophanes dixit, *amantes desiderarent ex ambobus fieri unum;* sed quia ex hoc accideret aut ambos aut alterum corrumpi, quærunt unionem quæ convenit et decet, ut scilicet simul conversentur, colloquantur, et in aliis huiusmodi coniungantur.

250 *Mutua inhæsio* dupliciter causatur ab amore. 1° secundùm vim apprehensivam; nam amatum fixum est in apprehensione amantis ut patet, et rursùs amans dicitur interiora amantis per cognitionem ingredi, quatenùs superficiali eius cognitione non quiescit. 2° penès vim appetitivam, per quam amatum per quamdam complacentiam est in affectu amantis, et rursùs amans est in amato, quatenùs in ipso habet omnes suos affectus; ut non immeritò Plato dixerit, *Animam magis esse ubi amat, quàm ubi animat.* Hæc autem mutua inhæsio perfectiùs est in amore amicitiæ per redamationem, in quantum mutuò se amant amici, et sibi invicem bona volunt et operantur. *Art.* 2.

251 *Ecstasim* pati quis dicitur, cùm extra se ponitur;

id quod ex amore contingit, et secundùm apprehensionem, et secundùm affectum. Nempè amans de amato dumtaxat cogitat, de solo ipso solicitudinem habet; sicque cogitationes suas omnes et affectus extra se habet seu in amato. *Art.* 5. *Zelus* causatur ab amore, quatenùs amor cùm intensus fuerit, non solùm fertur in amatum, sed etiam acriter repellit omne sibi contrarium et repugnans, in quo sita est ratio zeli. *Art.* 4.

252 Deinde amor cùm sit coaptatio appetitûs ad bonum, quando hoc est verè bonum, perficit amantem, ut amor Dei; et solùm *lædit*, quando bonum est apparens, ut amor peccati. At si amor est valdè intensus, accidit quod sit *læsivus* propter excessum immutationis, seu penès id quod est materiale in passione amoris. *Art.* 5. Demum amor dicitur *causa omnium quæ ab amante fiunt.* Omne enim agens agit propter finem; finis autem est bonum amatum: unde omnia fiunt ex aliquo amore, vel intellectuali seu rationali, vel animali seu sensitivo, vel etiam naturali. *Art.* 6.

253 Amori tribui possunt etiam quatuor effectus proximi, liquefactio, fruitio, languor, et fervor. *Liquefactio* enim importat quamdam mollificationem cordis, qua exhibet se cor habile, ut amatum in ipsum subintret, seu ipsi coaptetur: id quod est de ratione amoris. Unde cordis congelatio vel durities est dispositio repugnans amori. Si amatum est præsens seu habitum, causatur delectatio vel *fruitio*: si absens, consequitur aut tristitia de absentiâ, quæ significatur per *languorem;* aut intensum desiderium de consecutione amati, quod significatur per *fervorem.* *Art.* 5.

254 Præcipua inordinati amoris remedia sunt: 1° ut ab initio ipsi resistamus; nam ut aiebat Seneca (Epist. 116) *imbecillis est primò omnis affectus: deinde ipse se concitat, et vires dum procedit parat: excluditur faciliùs quàm expellitur.* Si autem in consuetudinem abeat, in alteram veluti naturam convertitur, vixque est spes ut evellatur. 2° evocanda est mens et cogitatio ab objecto alliciente, sensusque cohibendi, præsertim oculi et tactus. 3° otium fugiendum; nam ut Diogenes (ap. Laert.

lib. VI) dicere solebat, *amor est vacantium occupatio.*

255 4°: Cibo et potu parcè utendum, et caro mortificanda. 5° : Sedulò expendenda mala manantia ex amore perverso; omnia scilicet peccata ab illâ erroris et perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adæ nascitur, ut ait S. Aug. XXII. *de Civ. Dei c.* 22. 6°: Cum eodem S. Aug. enixè postulandus est amor sanctus, et sæpè repetendum : *Da quod iubes, et iube quod vis... ¡O amor qui semper ardes, et nunquam extingueris, charitas Deus meus, accende me!* (X. Conf.). Ita amor impurus et noxius à nobis recedet.

256 De odio agit D. Th. q. 29. et ostendit *art.* 1 quòd eius obiectum est malum, sicut obiectum amoris est bonum. *Art.* 2 quòd odium causatur ab amore. Amor enim quoddam pondus animi est. Unde sicut ab eodem pondere producitur et accessus ad centrum, et recessus à puncto quod centro opponitur; ita ab eodem amore fit, et quòd animus inclinetur ad bonum, ac in illo complaceat; et quòd ea quæ bono amato repugnent, repugnent quoque amanti, displiceant et ingrata sint, in quo sita est ratio odii. *Art.* 3 ostendit amorem fortiorem esse quàm odium. *Art.* 4 quòd nemo se ipsum *per se* odit, benè tamen *per accidens*, quatenùs amat ut sibi bonum id quod malum est; aut amat id quod est bonum corpori et malum animæ. *Art.* 5 declarat triplicem modum quo accidit odio haberi veritatem : nempè dum vellet quis non esse verum id quod est verum, aut non cognoscere veritatem, aut hanc non cognosci ab aliis. Demum *art.* 6 probat, quòd sicut visus attingit colorem in communi; ita odium sensitivum (ad differentiam iræ) attingit aliquid in universali, ut fures et calumniatores omnes generatim odio habemus.

257 Odio medendum est 1° perpendendo eius fœditatem, et mala quæ ex hac passione proveniunt. 2° meditando beneficia quibus nos Deus affecit, cùm essemus inimici eius, et exemplum quod nobis Christus præbuit, qui pro nobis crucem pertulit et pro suis crucifixoribus exoravit.

§ II.

DE DESIDERIO ET FUGA.

258 Cùm animalis bona plura extra ipsum sint, mala verò in ipsum incurrere possint; conveniens fuit, ut *Desiderio* et *Fugâ* veluti duabus pennis aut pedibus instrueretur animal, quibus et mala declinare, et bona prosequi valeret. Est enim desiderium: *Motus seu affectus appetitûs sensitivi, tendens in bonum absens,* seu *quo prosequimur possessionem boni.* Fuga verò: *Motus à malo absenti*, seu *quo à malo recedimus.* Desiderium vocari solet *Concupiscentia*, *Cupiditas*, et *Libido;* at hæc nomina aliquantulùm in significatione differunt.

259 Desiderium comprehendit etiam motus voluntatis erga bonum absens, cùm tamen cætera appetitûs sensitivi sint propria; præcipuè concupiscentia, quæ significat consociationem in cupiendo. *D. Th. q.* 30. *a.* 1. Item *Concupiscentia* passim contrahitur ad desiderium immoderatum, effrene, ac rationem turbans: *Cupiditas* ad desideria non naturalia, imò ad superflua: *Libido* ad appetitum delectationum tactûs: at *Desiderium* latiùs patet, ab ordinato et inordinato præscindit, et bonum sensibile appetit quolibet sensu possidendum.

260 Desiderium dividitur in *naturale*, et *non naturale. Naturale* oritur ex indigentiâ naturæ, ac tendit in bonum quo talis indigentia removetur; ut desiderium cibi et potûs. Desiderium *non naturale* oritur non ex naturæ necessitate, sed ex appetentis iudicio, et fertur in bonum quod appetens sibi iudicat convenire, præter id quod natura requirit, ut sunt lautiores cibi, pecuniæ et honores. Istud desiderium est hominis proprium; nam bruta nil excogitare possunt ut bonum et conveniens, præter id quod natura requirit. *Art.* 3. Desiderium *naturale* facilè expletur, natura enim paucis contenta est; at *non naturale* inexplebile est et infinitum, ut meritò vocetur *inane:* nedum quia tendit in res minimè necessarias, sed quia nullo modo satiari ac impleri potest. *Art.* 4.

261 Causa desiderii est *amor cum indigentiâ.* Amor quidem, à quo ut à suo principio dimanat desiderium, sicut motus deorsùm ex gravitate (n. 242). Indigentia verò, quia non omnis amor desiderium parit, sed indigus ac privatus bono amato. Effectus præcipui desiderii sunt *tædium* ex dilatione boni desiderati, et *fastidium* eorum quæ habentur: *importunitas* seu nimia sollicitatio rei desideratæ, *suspiria*, et *ecstasis.*

262 Addi potest, ut effectus seu proprietas desiderii, conatus ille quo in res prohibitas prorumpit, iuxta vulgatum illud Ovidii: *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.* Imò quod sæpè vires ex difficultate ac dilatione acquirat, sæpèque ex nimiâ rei facilitate moriatur. Cuius ratio reddi potest, quòd in prohibitis libertas, in arduis victoria desideratur; quæ duo optabiliores reddunt res quibus coniunguntur.

§ III.

DE DELECTATIONE SEU GAUDIO, ET TRISTITIA SEU DOLORE.

263 Delectationem exponit D. Th. 1. 2. *à q.* 31 *ad* 34. ex quo pauca sumemus. Dico ergo 1° : *Delectatio, Gaudium, Voluptas, Lætitia, Exultatio, et Iocunditas nonnihil differunt. Delectatio* utrique appetitui, *Gaudium* soli rationali convenit. *Voluptas*, etsi dicta à volendo, ad delectationes corporales restringi solet: cætera ab effectibus imponuntur. *Lætitia* à dilatatione cordis, ac si diceretur *latitia* : *Exultatio* ab exterioribus signis delectationis interioris, in quantum scilicet interius gaudium prosilit ad exteriora: *Iocunditas* à iocis, et aliis specialibus lætitiæ signis et effectibus.

264 Dico 2° : Delectatio generatim definiri potest: *Affectus causatus ex apprehensione boni possessi.* Dicitur aut *quies* aut *motio* animi. Non autem quies quæ sit omnis cessatio actûs, nec motio quæ sit tendentia ad ulteriorem terminum; sed cùm consistat in positivo affectu causato ab immutatione iam factâ in appetitu, ideò dicitur *quies,* quoniam immutatio iam facta est, et *motio,* quoniam

affectus est, sicque animi actus, adeòque motio. Hinc advertit D. Th. delectationem non fieri in tempore per se, sed solùm per accidens. Etenim boni adquisitio, quæ ad delectationem sufficit, in instanti fit ; boni autem possessio, seu continuata adquisitio, successionem quamdam, sicque tempus importat.

265 Dico 3° : *Delectatio dividi potest, sicut desiderium, in naturalem, et non naturalem. At rursùs dividitur in intelligibilem seu spiritualem, et sensibilem.* Illa mente et voluntate, ista sensu et appetitu sensitivo percipitur. Hinc delectatio, quæ habetur in contemplatione veritatis, est intelligibilis : quæ in cibo, potu et pulchrarum rerum aspectu, est sensibilis. Prima est perfectior, purior, et maior. 1° quia potentiâ nobiliori percipitur. 2° quia est de nobiliori bono. 3° quia bona spiritualia perfectiùs, intimiùs, ac firmiùs possidentur, quàm sensibilia.

266 Nihilominùs respectu nostri, seu quoad nos, delectationes corporales sunt magis vehementes propter tria. 1° quia sensibilia sunt magis nota quoad nos, quàm intelligibilia. 2° quia delectationes sensibiles, cùm sint passiones sensitivi appetitûs, fiunt cum transmutatione corporali : quod non contingit in delectationibus spiritualibus, nisi per quamdam redundantiam à superiori appetitu ad inferiorem. 3° quia delectationes corporales appetuntur, ut medicinæ quædam contra corporales defectus vel molestias, ex quibus tristitiæ sequuntur. Unde dupliciter delectant, et propter bonum quod afferunt, et maximè propter malum quod auferunt. Delectationes autem spirituales non habent tristitias contrarias, sicque minùs vehementer appetuntur ; nam, ut observat D. Aug. lib. 83. *QQ. q.* 36, nemo est qui non magis dolorem fugiat, quàm appetat voluptatem.

267 Dico 4° : Delectationis causæ præcipuæ sunt 1° *operatio ;* nam omnis delectatio ex operatione nascitur, nempè ex consecutione boni, et cognitione huius adeptionis. Deindè *alteratio* : natura enim nostra transmutabilis est, ideòque transmutatione ut re sibi connaturali gaudet. *Etiam spes futuri boni et memoria præteriti ;* nam

delectatio causatur ex præsentiâ boni, quod per spem et memoriam quoque præsens fit. Quia tamen eò maior est delectatio, quò perfectior est coniunctio seu præsentia boni; ideò minima delectatio est memoriæ, quæ habet solam coniunctionem apprehensionis. 2ª est delectatio spei, quæ apprehensioni addit possibilitatem adipiscendi reipsâ bonum quod delectat. At maxima delectatio est in reali possessione boni.

268 Causat item delectationem ipsa *Tristitia*. 1° prout est *in memoria*, seu prout recordamur à tristibus et dolorosis evasisse. 2° prout *tristitia est in actu;* actualis namque tristitia facit memoriam rei dilectæ, de cuius absentiâ licèt tristemur, in eius tamen apprehensione delectamur. Alia delectationis causa est beneficentia seu *alteri benefacere ;* ut enim præclarè ait Phil. *in* V. *Polit.* largiri et auxiliari amicis aut extraneis est delectabilissimum. Item *Similitudo*, sicut est causa amoris: *Admiratio*, quatenùs adiunctam habet spem nobilis cognitionis: *Ira*, quatenùs spem facit vindictæ: *Amari, laudari, suscipi*, quatenùs sunt signa boni existentis in nobis: demum *Vincere, redarguere, aliosque increpare*, non ut aliis malum inferunt, sed ut bonum proprium augent, aut significant.

269 Dico 5°: Præcipui delectationis effectus sunt. Primus: *dilatatio* seu *latitudo*: nedum *metaphorica* in animo qui boni possessione quasi dilatatur, sed etiam *propria* in corde, quod non raró nimis dilatatum, aut evadentibus spiritibus, aut nimio sanguine introducto, deliquium imò et mortem in summis gaudiis causat. Secundus delectationis effectus est *creare sitim et desiderium sui ;* non modò quando absens memoriâ recolitur, sed etiam quando incipit haberi. At postquam perfectè ad satietatem percipitur, si sit sensibilis, causat sui fastidium, ut patet in delectatione ciborum. Delectationes autem spirituales, quò pleniùs habentur, eò ardentiùs appetuntur.

270 Tertius: Delectatio sensibilis *impedit usum rationis*, seu ut ait Arist. 6. Ethic., *corrumpit existimationem prudentiæ*. 1° ob distractionem; nam ea in quibus delectamur multùm intendimus, sicque deficit aliis attentio. 2° ratione contrarietatis: nempè illæ delectationes, quæ

sunt superexcedentes seu contra ordinem rationis. 3° secundùm quamdam ligationem, quatenùs ad delectationem sequitur transmutatio corporalis maior quàm in aliis passionibus ; et ex hac transmutatione semper aliquantulùm impeditur, et quandoque omninò absorbetur usus rationis.

271 Quartus demum delectationis effectus est *perficere propriam operationem.* Agens enim, quod in suâ actione delectatur, vehementiùs attendit ad ipsam, et eam diligentiùs operatur. Unde prudens naturæ Auctor necessariis operationibus liberali manu voluptatem admiscuit, ut libentiùs, attentiùs, decentiùs, efficaciùsque peragerentur. Hìc observa *aliquas delectationes esse bonas, et aliquas esse malas :* nempè est delectatio bona, quando appetitus superior aut inferior requiescit in eo quod convenit rationi ; et est mala, quando quiescit in eo quod à ratione discordat, et à lege Dei.

272 S. Thomas (1. 2. q. 31. a. 5) infert cum Aristotele hominibus necessarias esse quasdam delectationes ; *quia eis indigent sicut medicinâ contra tristitias ;* et præcipuè iuvenes. Igitur delectationibus tamquam medicinis utendum. Præclarè S. Aug. ait, quòd ex omnibus quæ nos delectant in sensibus corporis, aliqua licita sunt. « Delectant enim, ut dixi, oculos spectacula ista magna naturæ, « sed delectant etiam spectacula theatrorum : hæc licita, « illa illicita. Psalmus sacer suaviter cantatus delectat auditum, sed delectant etiam cantica histrionum : hoc licitè, illud illicitè... Videtis ergo, charissimi, esse in istis « corporis sensibus licitas et illicitas delectationes ». *Qui enim* (ait de Utilit. Ieiun. c. 5) *à nullis refrænat licitis, vicinus est et illicitis.*

273 Remedia autem contra illicitas delectationes hæc sunto : 1° Sæpè à licitis abstinere. 2° Diligenter lustrare et expendere turpitudinem, anxietatem, crudelem servitutem et alia incommoda cùm huius, tum futuræ vitæ, quæ secum afferunt illicitæ delectationes. 3° Meditari verarum deliciarum sinceritatem atque præstantiam. *Si enim,* ut ait S. Greg. Magnus, Hom. 37. in Evang., *consideramus quæ et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnïa quæ habentur in terris.* Denique

monitum D. Aug. (tract. 7. in Ioan. n. 2) præ oculis habendum, qui loquens de mundi amatoribus ait: *Gaudium ipsorum quasi phreneticorum est. Quomodò autem phreneticus gaudet insaniâ plerumque, et ridet; et plangit illum qui sanus est: sic et nos, charissimi, si recepimus medicinam de cœlo venientem; quia et nos omnes phrenetici eramus, tamquàm salvi facti, quia ea quæ diligebamus non diligimus, gemamus ad Deum de iis qui adhuc insaniunt.*

274 Dico 6°: Tristitia est: *Affectus causatus ex apprehensione mali præsentis*: seu *Appetitui repugnans et disconveniens quies in malo.* A dolore nonnihil differt; contrariatur enim gaudio, sicut dolor delectationi. Tristitia infertur à contrariis eorum, quæ sunt causa delectationis; et generaliter ab omni malo coniuncto et apprehenso ut tali. Præcipui *tristitiæ* effectus sunt, mentem arctare ne aliis attendat, animum seu appetitum aggravare ne ad magna surgat, operationem debilitare, præ cæteris passionibus corpori vitæque nocere. De naturâ, causis et effectibus Doloris seu Tristitiæ agit D. Th. *quæst.* 35. 36 et 37.

275 De remediis *q.* 38. Præcipua sunt 1° *quælibet delectatio*, quæ suavitate suâ veluti balsamo quodam vulnus à dolore inflictum consolidat, aut certè demulcet; reficitque fatigatum animum, ut quies membra labore soluta. *Art.* 1.-2° *lachrymæ, gemitus, et omnia exteriora tristitiæ signa.* His enim exoneratur animus, ac veluti evacuatur, et extrà effunditur quædam acerbitatis tristitiæ pars; intentioque animæ ab interiori doloris sensu ad exteriora illa signa divertitur. Adde satisfactionem quæ capitur in hoc opere connaturalissimo: ¿quid enim tam naturale dolenti, quàm flere? Omne autem connaturale opus delectat, sicque lenit dolorem. *Art.* 2.

276 3° *amicorum compassio*, ex qua noscimus ab iis intensè amari; signa verò amoris cùm semper delectent, tum maximè dum affligimur, quia tunc magis alienâ ope indigemus. *Art.* 3. - 4° *contemplatio veritatis*: est enim summè delectabilis, plura apprehensa ut mala talia non esse ostendit, dolorum suaves fructus sæpè declarat, cæt.

Hinc lætitia martyrum, et plurium christianorum mediis in afflictionibus. *Art.* 4. Demum doloris lenimenta sunt quædam remedia corporalia, quibus, dum debitus corporis status dolore turbatus restituitur, animus simul cum corpore reficitur. Inter ea verò sunt *balnea*, de quibus Aug. IX. Conf. c. 12. ait: *Audieram balnei nomen inde dictum, quod anxietatem pellat ex animo.* Item *somnus, qui,* ut dicitur in hymno Ambr. *mentes fessas allevat, luctusque solvit anxios. Art.* 5. Nota quòd sicut non omnis delectatio (n. 271), ita non omnis tristitia est mala, sed aliqua est honesta, aut utilis. *Q.* 39.

ART. III.

DE PASSIONIBUS IRASCIBILIS.

§ I.

DE SPE ET DESPERATIONE.

277 Dico 1° : Spes est: *Passio, qua appetitus tendit in bonum, futurum, arduum, adeptu tamen possibile.* Hinc differt à timore qui non tendit in *bonum*, à gaudio quod non est de *futuro*, à desiderio quod non est de *arduo*, et à desperatione quæ non est de *possibili.* Ex his colliges 1° quòd spes supponit desiderium, ât ab illo differt. Est enim desiderium simplex anhelatio in bonum absens; spes verò est animi conatus adversùs difficultates, quibus bonum obsidetur, sese obfirmantis. *Q.* 40. *a.* 1.

278 Colliges 2° quòd Spei contrariatur *Desperatio;* non quidem penes obiecti contrarietatem secundùm bonum et malum, utraque enim est de bono; sed penes accessum et recessum, quatenùs spes est accessus ad bonum, desperatio verò recessus ab illo. Contingit enim bonum desideratum tot difficultatibus circumvallari, ut animus succumbat, et ab eius prosecutione recedat; et hic affectus est *Desperatio*, seu *Passio qua appetitus recedit à bono arduo adeptu impossibili*, saltem moraliter. *Art.* 4.

279 Dico 2° : Præcipuæ causæ *spei* sunt : 1° ea quæ adaugent potestatem hominis, ut divitiæ et fortitudo. 2° *experientiâ* ; hac enim erudimur tum de modo tendendi in bonum, tum de eius possibilitate. Sed quia etiam experientiâ quandoque noscimus difficultates aut impossibilitatem assequendi bonum ; ideò etiam quandoque experientia minuit spem ; et eius causa 3° est *inconsideratio*, et *inexperientia*, ob quas difficultates non reputantur, aut non advertuntur. 4° *calor cordis*, quo spiritus roborantur.

280 Ob has ultimas spei causas sæpè sunt bonæ spei *Iuvenes* ; tum quia in eis est parùm de præterito et multùm de futuro, et ideò spe magis quàm memoriâ vivunt ; tum quia suas vires magni habent, difficultates verò parvipendent, quia eas non satis penetrant nec experti sunt ; tum denique quia abundant calore cor dilatante et spirituum motum obfirmante. *Stulti* sunt magnæ spei ob inconsiderationem, et *Ebrii* propter hanc et calorem. *Art.* 5 *et* 6.

281 Dico 3° : Effectus spei sunt, 1° *delectatio*, quatenùs per spem desiderati boni quamdam prælibationem degustamus. 2° *amor personæ à quo bonum speramus* : in quantum enim spes respicit bonum speratum, spes ex amore causatur ; in quantum verò spes respicit illum per quem fit nobis possibile bonum, sic amor causatur à spe. 3° *operationem perficere*, nedum delectatione quam causat, sed etiam quia existimatio ardui excitat attentionem, existimatio verò possibilis non retardat conatum. *Art.* 7 *et* 8.

§ II.

DE TIMORE ET AUDACIA.

282 Dico 1° : Timor est : *Passio qua appetitus succumbit ingruenti malo terribili, ac vix evitabili* : seu *Deiectio animi victi à gravitate periculi.* Etenim dum malum imminens est in apprehensione, fit quædam lucta inter appetitum et malum ; nam appetitus nititur fugare ma-

lum, et malum natum est vincere appetitum. Si ergo in hoc veluti conflictu animal sentiat vires suas esse superiores malo, insurgit in eo impetus ad aggrediendum malum, qui est *Audacia.* Si autem sentiat vires suas esse minores, et malum gravius, succumbit appetitus; fitque tunc aut *Timor* aut *Desperatio*: Timor si aliqua sit incertitudo mali eventûs, quod non necessariò sed contingenter immineat: Desperatio verò, si nulla sit spes evadendi.

283 Timoris causæ sunt. 1° amor boni, cuius est privatio malum imminens. 2° defectus ex parte appetitûs et appetentis, qui non sentit in se satis virium ad expugnandum malum. Eius verò effectus sunt, 1° *contractio*, tum *metaphorica* appetitûs à malo victi, in se ipso sese colligentis; tum *propria* corporis, in quo calor et spiritus ad interiora recedunt. Contractio autem propria non fit nisi ubi imminet malum naturæ: et ideò licèt timentes mortem pallescant, verecundati tamen rubescunt. Quia verecundia non causatur à malo destruente naturam, sed solùm à quadam turpitudinis apparentiâ, animum confundente ac turbante; et ideò sanguis, calor et spiritus non fugiunt ad arcem vitæ, sed potiùs turbulentè ascendunt ad superiora, præcipuè ad faciem: tum quòd anima quasi in se contracta magis vacat ad eorum motionem, tum ut quasi velo quodam tegant confusionem in facie relucentem.

284 Timor etiam dicitur *facere consiliativos*, et *fovere operationem*: quatenùs enim causat solicitudinem, facit attentiùs consiliari et operari; quamvis ut mentem turbans consultationem et operationem impediat. Similiter ad propriam contractionem quam timor causat, consequitur extrema et exteriora corporis frigida manere; et hinc tremor, interclusio vocis, solutio alvi, et alia similia. *Vid. D. Th. hìc à q.* 41 *ad* 44. Timori opponitur audacia: sicut enim timor deiicit animum ob difficultatem evadendi; ita audacia eum erigit contra mala ex spe superandi. Etenim timor refugit nocumentum futurum propter eius victoriam super ipsum timentem; sed audacia aggreditur

periculum imminens propter victoriam sui supra ipsum periculum. *Quæst.* 45. *art.* 1. Itaque

285 Dico 2° : Audacia est : *Passio qua appetitus insurgit in malum terribile ad ipsum fugandum et superandum.* Etenim licèt appetitus per se tendat in bonum ut in spe, et recedat à malo ut in timore ; per accidens tamen et recedit à bono, cùm tot difficultatibus vallatur ut non possit obtineri, sicque fit desperatio ; et è contrario tendit in malum, non obtinendum sed vincendum, quando spes ipsius superandi affulget, et hic motus dicitur *Audacia.* Ubi obiter observa audaciam consequi ad spem, sicut desperatio ad timorem. *Art.* 2. Diximus autem *in malum terribile,* quia mala levia contemptum potiùs quàm audaciam inducunt.

286 Causæ audaciæ sunt 1° *spes* : unde, ut ait Arist. III. *Ethic.* c. 8, qui sunt bonæ spei sunt audaces, ut iuvenes, ebrii, stulti. 2° omnia quæ spem fovent et augent, de quibus n. 279. 3° ea quæ timorem excludunt, ut non habere inimicos, nulli nocuisse, et cætera quæ inspirant *securitatem,* quæ est *privatio timoris.* 4° et præcipuè legitimam audaciam facit confidentia Divini auxilii : *unde illi qui benè se habent ad Divina, audaciores sunt,* ut ait Arist. II. Rhet. c. 5. *Vide art.* 3.

287 *Audaces,* ait Arist. III. Ethic. c. 7, *prævolantes sunt, seu volantes ante pericula, in ipsis autem discedunt.* Audacia enim oritur ex levi ac subitâ apprehensione periculi ; et hinc posteà invenitur difficultas maior quàm æstimabatur, et ideò deficitur. Contrà verò cùm ratio sit discursiva omnium quæ afferunt difficultatem negotio ; ideò *fortes,* qui ex iudicio rationis aggrediuntur pericula, in principio videntur remissi, quia non ex passione sed ex debitâ deliberatione aggrediuntur ; at quando sunt in ipsis periculis, non experiuntur aliquid improvisum, sed quandoque minora illis quæ præcogitaverant ; et ideò magis persistunt. *Art.* 4.

§ III.

DE IRA.

288 Dico 1° : Ira est : *Appetitus ultionis apertæ, cum fervore sanguinis circa cor.* Proprium enim iræ obiectum est vindicta, quam appetit et sperat ut quoddam bonum ; sicut illum, de quo quærit vindictam, respicit ut contrarium et nocivum, sicque malum ; ut hinc ira dicatur quasi ex contrariis passionibus composita. *Quæst.* 46. *art.*2. Dicitur *ultionis apertæ :* iratus enim vult innotescere ei, qui intulit iniuriam, se esse qui noceat, et quòd ob illatam iniuriam noceat, ut sic eum illatæ iniuriæ pœniteat.

289 Additur *cum fervore sanguinis circa cor*, ad significandum materiale Iræ, quæ sanguinis fervorem excitat, non lenem et dulcem ut amor, sed agitatum, amarulentum, quique non solius sanguinis sit, sed flavam etiam bilem commoveat. Nota quòd ira, licèt sit quædam passio specialis, dici potest generalis, quatenùs ex plurium passionum concursu causatur : ex dolore iniuriæ acceptæ, odio in eum qui intulit, desiderio ac spe ulciscendi, cæt. Ab irâ tamen appetitus dicitur *irascibilis*, quia huius partis motus omnes ad iram terminantur. *Art.* 1.

290 Dico 2°: Prima inter causas iræ est *parvipensio, seu iniustus contemptus.* Etenim ira est appetitus nocendi alteri sub ratione iusti vindicativi ; et ideò quærit vindictam solùm ut apparet iusta : iusta autem vindicta non fit nisi de eo quod est iniustè factum. Unde qui credunt iustè pati, non irascuntur ; et magis irascimur contra eos qui nos lædunt ex electione, quàm ex ignorantiâ aut passione. Hinc quæ augent parvipensionem, augent et iram : et ideò quia tantò parvipensio est gravior, quantò excellentior est persona quæ contemnitur ; excellentia offensi auget iram, offendentis verò minuit. Iram quoque auget *defectus irascentis ;* qui enim alicui defectui obnoxius est, faciliùs putat se contemni, ideòque ad iram pronior efficitur. *Quæst.* 47.

291 Dico 3° : Præcipui effectus iræ sunt 1° *quædam*

delectatio ad spem vindictæ consecuta. 2° *vehemens sanguinis ac bilis fervor circa cor;* ex qua in iratis indicia quædam in exterioribus membris apparent, quæ Gregorius *Moral.* V. c. 31. sic describit: *Iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam se cognoscunt noti: os quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur ignorat.* Unde non immeritò aptissimum sedandæ iræ remedium habetur, ut iratus se in speculo inspiciat, ex illâ exteriori turbatione vultûs dimotum suâ sede animum deprehensurus. 3s iræ effectus est *rationis turbatio,* et 4s *taciturnitas;* quatenùs turbata ratio vel digna passione verba non reperit, vel impedito organo satis ea nequit exprimere. *Quæst.* 48.

292 Ad mitigandam aliorum iram adversùs nos, hæc adhiberi possunt remedia: 1° fateri errorem nostrum, veniamque rogare, et iratis minimè contradicere. 2° declinare ab irato, et silentium servare, nec ullo pacto resistere. 3° removere suspicionem contemptûs. Ut verò in nobis sedemus iræ motus, 1° curandum est primum irritamentum iræ protinùs spernere, ut Seneca monet *de irâ* c. 7. 2° volvendumque animo maximum remedium iræ esse *dilationem* (c. 24). 3° expendantur iniuriæ iram commoventes; sunt enim leviores quàm videntur. 4° ponderanda etiam voluntas et conditio inferentium iniuriam; *fiet enim,* ait ipse Seneca, *ut prudentiori cedamus, stultiori remittamus.* 5° Vitandum iracundorum consortium. 6° Pensanda mala quæ iram sequuntur.

LIBER III.

DE PRINCIPIIS ACTUUM HUMANORUM.

293 Humanorum actuum principia aut intrinseca sunt aut extrinseca. Intrinseca sunt potentiæ, præcipuè intellectus ac voluntas, et habitus, scilicet virtutes ac vitia. Extrinseca sunt Deus, qui nos ad bonum instruit per legem et iuvat per gratiam; ac diabolus, qui ad malum nos tentat. De potentiis agitur in *Metaph.*: de gratiâ Dei ac tentationibus diaboli tractant Theologi. Adeòque duplex tantùm esse debet præcipua huius libri inquisitio. 1ª de virtutibus ac vitiis. 2ª de legibus, etiam humanis, nam hæ quoque à Dei lege vim obligandi sumunt. 3ª verò quæstio appendicis loco subnectetur, de variis hominum officiis; ut sic quasi ictu oculi videatur, quid in singulis præcipuorum statuum humanæ vitæ ab homine leges expostulent.

QUÆSTIO I.

DE VIRTUTIBUS ET VITIIS.

294 De virtutibus agit *D. Th. in hac* 1. 2. *à q.* 55 *ad* 67, et de peccatis et vitiis *à q.* 71 *ad* 89. Unde nos pauca sumemus ex iis quæ naturæ lumine innotescere possunt. Quæremus ergo 1º: Quid sit virtus moralis, et quod

eius subiectum? 2°: Qua ratione differant virtutes morales ab intellectualibus, et inter se? 3° Quot sint virtutes cardinales? 4°: An virtus omnis moralis sit à naturâ, et in medio posita? 5° An virtutes omnes sint connexæ et æquales? 6°: Quid et quotuplex sint vitium et peccatum?

ART. I.

Quid sit virtus, et quod eius subiectum?

295 Prænotandum quòd *virtus humana* est *habitus operativus et bonus*. Est *habitus;* nam determinat potentiam ex se indifferentem ad plures actus. Potentiæ enim naturales, quia determinatæ sunt ad suos actus, ipsæ dicuntur virtutes; at potentiæ rationales, ex se indifferentes ad plura, indigent habitibus, quibus ad hos præ aliis actibus determinentur; et hi habitus sunt virtutes humanæ, seu propriæ hominis. *D. Th. q.* 55. *a.* 1. Est *habitus operativus*, non enim ordinatur ad esse, sed ad agere. *Art.* 2. Demum virtus est *habitus bonus;* tum quia ab Arist. II. Ethic. definitur: *Habitus qui bonum facit habentem, et opus eius bonum efficit;* tum etiam quia importat perfectionem potentiæ, et cùm omne malum importet defectum et infirmitatem, opus est quòd virtus humana non sit malus habitus, sed bonus, et boni operativus. *Art.* 3.

296 I^a^ conclusio: Virtus est: *Bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, et nemo malè utitur.* Ita ex D. Aug. lib. II. de lib. arb. c. 18. Explicatur ex D. Th. hìc *art.* 4. *Qualitas* est genus, quamquam propinquius est *habitus. Bonum* incipit discernere virtutem à vitiis. *Mentis* explicat subiectum virtutis, et sumitur paulò latiùs pro omni eo quod est rationis particeps, ut posteà dicemus. *Qua rectè vivitur* explicat finem virtutis, qui est vitam hominis optimam efficere. *Qua nullus malè utitur* distinguit virtutem ab iis habitibus quibus interdum benè, interdum malè utimur, sicut opinio se habet ad verum et falsum. Definitur etiam virtus ab Arist. III. Phys. c. 3. *Dispositio perfecti ad optimum;* quia virtus disponit potentiam, quæ dum habet virtutem est perfecta, et eam disponit

ad optimum, id est ad actus optimo modo efficiendos.

297 II^a conclusio : Virtutis humanæ triplex est subiectum, *Intellectus*, *Appetitus sensitivus*, et *Voluntas*. Ita D. Th. quæst. 56. Ante prob^m nota quòd virtus humana, cùm sit perfectio potentiæ et habitus operativus, in aliquâ hominis potentiâ tamquam in subiecto recipi debet. *Art.* 1. Non autem una virtus in pluribus potentiis : virtus enim est accidens, quod esse nequit in pluribus subiectis. *Art.* 2.

298 Pr. nunc 1ª pars concl^s. : In intellectu est virtus simpliciter talis, et virtus secundùm quid : ergo. Pr. 1^a pars : Virtus simpliciter talis dicitur ea quæ facit simpliciter bonum habentem, et opus simpliciter bonum, et nedum dat facultatem benè operandi, sed etiam rectum usum illius ; sed hæc est in intellectu : ergo. Min. pr. : In intellectu speculativo est fides, et in practico est prudentia ; sed istæ ex imperio voluntatis faciunt esse simpliciter bonum opus et habentem, nec solùm dant facultatem benè credendi et operandi, sed etiam influunt ut voluntas hac facultate benè utatur : ergo.

299 Pr. 2^a pars ant. : Habitus qui reddit habentem secundùm quid bonum, et opus etiam bonum secundùm quid, neque dat bonum usum, sed dumtaxat facultatem benè agendi, est virtus secundùm quid talis ; sed huiusmodi sunt plures in intellectu : ergo. Min. patet in scientiis et artibus ; nam Grammaticus v. g. non dicitur bonus simpliciter, sed cum addito, nempè bonus Grammaticus ; et Grammatica solùm dat facultatem benè loquendi, non tamen facit, ut homo semper rectè loquatur ; et generatim scientiæ omnes et artes, licèt dent facultatem benè agendi, non tamen faciunt quòd aliquis rectè facultate utatur, unde solùm sunt virtutes secundùm quid. *Art.* 3.

300 Pr. 2ª pars conclusionis. 1°: Appetitus sensitivus in homine, in quantum participat rationem, est principium actûs humani ; sed ut iste sit rectus, omne eius principium debet esse benè dispositum : ergo cùm hæc dispositio sit virtus, etc. 2° : Ubi morbus, ibi remedium apponi debet ; sed deordinatio passionum, proindèque mo-

rum, inest appetitui sensitivo: ergo ordo virtutis, ut remedium, ei apponi debet. 3° : Igniculi et semina virtutum insunt appetitui sensitivo; nam in pueris sese exerunt ante usum rationis: ergo et virtutes ipsæ post usum rationis. *Art.* 4. Pr. 3ª pars conclusionis: Licèt voluntas non indigeat virtute perficiente ad amandum bonum sibi proprium, indiget tamen ad bonum, quod aut transcendat limites humanæ naturæ, ut bonum Divinum, aut sit extra individuum, ut bonum proximi: ergo ad hæc debent poni in voluntate virtutes, ut charitas et iustitia. *Art.* 6.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

301 Obi. 1° contra id quod prænotatur: Virtus dicitur ab Arist. *ultimum potentiæ*, et à D. Aug. *bonus usus liberi arbitrii, et ordo amoris*; sed hæc significant actum: ergo virtus non est habitus. ℟. quòd sicut fides dicitur quandoque id quod creditur, quandoque verò ipsum credere, quandoque autem ipse habitus quo creditur; ita virtus quandoque sumitur pro suo obiecto, ut quando dicitur *ultimum potentiæ*, id est, id ad quod maximus potentiæ conatus assurgere potest; et quandoque pro actibus sibi propriis, quales sunt et benè uti libero arbitrio, et rectè ordinare amorem. Propriè tamen loquendo virtus est habitus.

302 Obi. 2° contra Iᵐ: Virtute aliquis malè utitur, dum de suâ virtute superbit: ergo. ℟. dist. ant.: malè utitur, *ut agendi principio*, nego; *ut actionis obiecto*, conc. Unde non est boni habitûs malus usus, sed malus actus occasione bonæ rei elicitus; aut etiam, actus ille superbiæ non est actus *virtutis*, sed *de virtute*. Contrà: Potest aliquis habitu virtutis operari ob malum finem, v. g. ob vanam gloriam eleemosynam elargiri: ergo et virtute abuti. ℟. eum qui agit propter malum finem iam non agere ex habitu virtutis, sed potiùs eum corrumpere. Nam virtus inclinat ad agendum rectâ ratione; et ideò qui à rectâ ratione recedit, ab ipsâ virtute recedit.

303 Obi. 3° contra IIᵐ: Virtus est bona qualitas mentis; sed appetitus sensitivus non pertinet ad mentem: er-

go. Conf. 1° : Virtus est habitus electivus ; sed electio non est appetitûs sensitivi : ergo nec virtus. Confirmatur 2° : Virtutis humanæ obiectum est bonum rationis ; sed appetitus solùm tendit in bonum sensibile : ergo. ℟. ad 1m, mentem latiùs hìc sumi pro eâ omni facultate quæ mente regitur, ac rationis impressionem *stabilem* accipere potest.

304 Ad 1m Conf. ℟. appetitum, licèt in brutis à ratione separatus non sit electivus, esse tamen participativè in homine, utpote rationi coniunctum. Nam electio est appetitûs præconsiliati, appetitus autem sensitivus hominis fertur in bonum præconsiliatum, v. g. ad cibum iuxta consilium à prudentiâ præscriptum. Ad 2m similiter dic appetitum sensitivum in homine ex coniunctione cum ratione habere, ut etiam bonum sensibile iuxta rationis præscriptum appetere possit ; sicque habitu quodam seu virtute ad id inclinari.

305 Contrà : Membra exteriora etiam ut rationi coniuncta in homine non sunt capacia virtutis : ergo nec appetitus sensitivus. ℟. nego paritatem ; nam aliter regitur corpus ab animâ, et appetitus sensitivus à ratione. Corpus enim obedit animæ absque contradictione, in his in quibus natum est ab animâ moveri. Unde Phil. ait quòd anima regit corpus *despotico principatu*, id est sicut dominus servum. Et ideò motus corporis refertur ad animam, et propter hoc in corpore non est virtus, sed solùm in animâ. Sed appetitus non obedit ad nutum rationi, sed habet proprios motus suos, quibus interdum rationi repugnat ; seu ut ait Phil. ratio regit irascibilem, et concupiscibilem *principatu politico*. Et ideò oportet in irascibili et concupiscibili esse alias virtutes, quibus benè disponantur ad actum. *Ita D. Th. hìc q.* 56. *art.* 4 *ad* 3m.

306 Obi. 4° : In viribus sensitivis apprehensivis hominis non ponuntur virtutes speculativæ, seu quæ tendant ad cognitionem veri : ergo neque in appetitu sensitivo poni debet virtus practica, seu quæ tendat ad amorem boni. ℟. nego consm. Nam sensus hominis aut sumuntur secundùm suam naturam, et sic non à virtute aut habitu, sed à naturâ determinantur ; aut sumuntur ut ra-

tioni coniuncti, et sic speculatio non in ipsis consummatur sed in intellectu: virtus autem debet esse in illâ potentiâ, quæ est consummativa operis. Etenim virtus est habitus perfectus, quo non contingit nisi bonum operari; si autem in unâ potentiâ esset virtus et alia consummaret opus, posset opus evadere malum etiam existente perfectâ virtute ordinatâ ad opus: sicut re ipsâ, sensitivâ cognitione existente perfectâ, potest intellectiva cognitio esse defectuosa. Unde in viribus sensitivis apprehensivis nequit esse virtus, licèt sint quidam imperfecti habitus, quasi præparatorii ad actum intellectûs. Contrà verò in appetitu sensitivo consummatur opus morale, unde in ipso est virtus moralis.

307 Contrà: Actus temperantiæ consummatur in voluntate, et similiter deordinatio appetitûs in materiâ temperantiæ est à malâ voluntate: ergo in hac debet esse virtus temperantiæ. ℟. nego ant. Nam 1° ad temperantiam parùm est quòd voluntas rectè se habeat ad delectationem, sed maximè requiritur appetitûs rectitudo. Unde temperans adhuc non dicitur qui appetitum, erga cibum v. g. deordinatè se habentem, voluntatis imperio violenter retinet; sed ille cuius appetitus ex consuetudine ad cibum temperatè se habet.

308 Similiter, quòd quis inordinatè velit delectationem sensibilem, non ex ipsâ voluntate, sed ex effreni concupiscentiâ provenit. Adeòque virtus temperantiæ, sive ut benè consummetur actus, sive ut denominans temperantem, sive ut emendans deordinationem intemperantiæ, semper debet in appetitu sensitivo et non in voluntate residere. Nota igitur virtutes non esse debere in potentiâ perfectiore aut primo movente, nam sic omnes essent in intellectu; sed in eâ potentiâ in qua opus consummatur, etsi mota ab illâ perfectiore, dummodò etiam se quodammodò moveat.

ART. II.

Qua ratione differant virtutes morales ab intellectualibus, et inter se?

309 Dico 1° : *Virtus sufficienter dividitur in moralem et intellectualem.* Pr. : Omnis virtus aut perficit intellectum speculativum vel practicum ad bonum hominis actum, aut perficit partem appetitivam ; sed prima dicitur intellectualis, et secunda moralis : ergo. Mai. patet ; nam omnis virtus perficit hominem ad benè agendum, sicque principia suorum actuum ; principia verò actuum humanorum sunt tantùm duo, ratio nempè et appetitus. *D. Th. hìc q.* 58. *a.* 3. Conf. : Non omnis virtus est moralis, sed ea quæ est inclinatio quædam ; moralis enim dicitur à *more*, et mos significat aut inclinationem naturalem, seu quasi naturalem, aut consuetudinem quæ facit quoque inclinationem similem naturali. Aliundè non omnis virtus est intellectualis ; nam ad benè operandum requiritur etiam recta dispositio appetitûs : ergo. *Art.* 1 *et* 2.

310 Dico 2° : *Non omnis virtus moralis est circa passiones, sed quædam circa passiones, quædam circa operationes.* Pr. : Virtus moralis perficit appetitivam partem animæ, ordinando ipsam in bonum rationis ; sed in parte appetitivâ nedum debent à ratione ordinari passiones appetitûs sensitivi, sed etiam operationes appetitûs intellectivi : ergo etc. *Quæst.* 59. *art.* 4. Itaque licèt omnis virtus producat operationes bonas, tamen dicuntur *Virtutes operationum*, seu *circa operationes*, illæ quæ respiciunt operationes ut materiam circa quam, seu quæ dirigunt operationes in quibus bonum et malum attenditur secundùm se ipsas, seu absque ullo respectu ad affectum operantis ; ut in emptione et venditione bonum et malum minimè pendet ab affectu vendentis et ementis.

311 Dicuntur verò virtutes *passionum*, seu *circa passiones*, eæ quæ versantur circa passiones animi ut benè se habeat in iis operationibus in quibus bonum et malum

attenditur ex affectu operantis, ut actus temperantiæ et fortitudinis. In virtutibus *operationum* attenditur ratio debiti, et ideò generaliter conveniunt in ratione iustitiæ, et inter se differunt ex diversâ ratione debiti. Virtutes verò passionum differunt 1° à *subiecto*, nam aliæ sunt in irascibili, et aliæ in concupiscibili. 2° *ex obiecto passionum*, non secundùm quod attingitur ab appetitu, sed prout dicit ordinem ad ordinem.

ART. III.

Quot sint virtutes cardinales?

312 Conclusio: [1] *Virtus moralis rectè dividitur in quatuor generales species, prudentiam, iustitiam, temperantiam, et fortitudinem:* [2] *et hæ meritò dicuntur virtutes cardinales.* Pr. 1ª pars, 1°: Obiectum virtutis moralis est bonum rationis, seu conforme ordini rationis: tale autem bonum 1° est in suo fonte seu in ipsâ ratione, et sic spectat ad *prudentiam*. 2° est in iis circa quæ ratio versatur, id est vel in operationibus, et sic est *iustitia:* vel in passionibus ut inclinant ad malum, et sic est *temperantia*, quæ reprimit: vel in passionibus ut retrahunt à bono, et sic est *fortitudo*, quæ firmat hominem ne recedat ab eo quod ratio dictat: ergo.

313 Pr. 2°: Subiectum virtutis moralis est quadruplex, nempè intellectus, voluntas, et appetitus irascibilis ac concupiscibilis: ergo sunt quatuor principes virtutes iis correspondentes. Itaque *Prudentia* mentem erga agenda rectam efficit. *Iustitia* voluntatem erga bonum alienum; nam circa proprium non eget virtute qua ad illud feratur, cùm illud ex se satis appetat, nec in eius amore excedat, nisi quatenùs propter ipsum turbat alienum. *Temperantia* perficit partem concupiscibilem, ut moderatè se habeat ad bonum sensibile. *Fortitudo* demum partem irascibilem circa bonum et malum arduum, ne aut ignaviâ succumbat, aut temeritate inordinatè insurgat.

314 2ª pars conclusionis patet, tum ex communi omnium Philosophorum et SS. Patrum sententiâ, qui has

virtutes *cardinales* vocant, et ad ipsas cæteras omnes reducunt; tum etiam quia secundùm communes ipsarum rationes cæteras omnes includunt, et ut speciales virtutes ratione materiæ cæteris principaliores sunt. *Quæst.* 61. *art.* 2. *et* 3. Nota virtutes cardinales non incongruè à Platone dividi in *politicas*, seu quibus homo benè se habet in rebus humanis gerendis: *purgatorias*, quæ animum purgant et ordinant ad Divinorum contemplationem: *purgati animi*, quibus anima sola Divina intuetur: *et exemplares*, seu illas Dei perfectiones, quarum imitatione virtuosi evadimus. *Art.* 5. Similiter dividi possunt virtutes in *heroicas* seu valdè excellentes, et *communes* seu vulgares. At hæc non species, sed status virtutis distinguunt.

ART. IV.

An virtus omnis moralis sit à naturâ, et in medio posita?

315 Prænotandum quòd aliquæ virtutes sunt à Deo supernaturaliter infusæ. 1° virtutes theologicæ, seu quæ Deum pro obiecto habent, nempè fides, spes, et charitas. 2° plures virtutes morales, quæ à Deo quibusdam Sanctis infusæ sunt. 3° virtutes morales quibus homines ordinantur, ut sint *cives Sanctorum et domestici Dei*; seu quæ sic se habent ad virtutes theologicas, sicut virtutes morales naturales, quibus homo disponitur ut sit bonus civis hominum, ad principia naturalia virtutum. Opus est enim eas virtutes esse longè superioris rationis quàm naturales; et esse quoque infusas à Deo, ut ipsæ virtutes theologicæ, à quibus dimanant. *Quæst.* 63. *art.* 3 *et* 4. De his fusiùs Theologi. Nos virtutum naturalium originem quærimus, an nempè sit à naturâ, an verò à nostris actibus.

316 1ª conclusio: [1] *Virtutum semina insunt nobis à naturâ;* [2] *sed habitus ipsi actibus iteratis producuntur.* Ita D. Th. *hìc q.* 63. *art.* 1 *et* 2. Pars 1ª constat; nam insunt intellectui naturaliter quædam principia naturalia honesti et recti, ex quibus omnis virtus manat. Voluntati etiam

inest propensio quædam ad bonum honestum ; imò ipsi appetitui sensitivo insita est propensio quædam ad aliquas virtutes, quæ *bona indoles* dicitur. Sic videmus aliquos ex suâ complexione ferri ad misericordiam, alios ad temperantiam, alios ad fortitudinem, cæt. 2ª quoque pars ipsâ experientiâ constat : nam ut fabricando fabri, ita iustas et temperatas actiones exercendo iusti et temperantes fiunt, inquit Arist. *II. Ethic.* Itaque virtus assuetudine formatur, cuius tanta vis est sive ad bonum, sive ad malum, ut in alteram naturam transeat.

317 IIª conclusio : *Omnis virtus moralis in medio consistit.* Pr. : Bonum virtutis moralis consistit in adæquatione ad mensuram rationis, quæ est eius regula ; sed adæquatio est media inter excessum et defectum, ut per se notum est : ergo virtus omnis moralis est in medio quodam posita. Hinc colliges virtutem moralem esse positam inter duo extrema vitia. Sic prudentia inter stultitiam et calliditatem : iustitia vindex inter crudelitatem et nimiam indulgentiam : fortitudo inter temeritatem et ignaviam : temperantia inter intemperantiam et insensibilitatem : magnificentia inter luxum et sorditiem : magnanimitas inter fastum et pusillanimitatem, cæt.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

318 Obi. 1° contra Iᵐ : Actus qui sunt sine virtute deficiunt à perfectione virtutis ; sed effectus non potest esse perfectior causâ : ergo virtus non potest causari ex actibus præcedentibus virtutem. ℟. quòd, sicut dictum est, virtutum acquisitarum præexistunt in nobis quædam semina sive principia secundùm naturam. Hæc autem principia sunt nobiliora virtutibus eorum vi acquisitis ; sicut intellectus principiorum speculabilium est nobilior scientiâ conclusionum, et naturalis rectitudo rationis est nobilior rectificatione appetitûs, quæ fit per participationem rationis : quæ quidem rectificatio pertinet ad virtutem moralem. Sic igitur actus humani, in quantum procedunt ex altioribus principiis, possunt causare virtutes acquisitas humanas. *Quæst.* 63. *art.* 2 *et* 3.

319 Obi. 2° contra IIᵐ : Pleræque virtutes tendunt ad

extremum suæ materiæ, ut magnanimitas respicit maximos honores : virginitas abstinet ab omni venereâ delectatione : ergo non consistunt in medio. ℞. dist. ant. : ad extremum materiæ *absolutè consideratæ*, conc.; *comparatæ ad circumstantias*, nego. Magnanimus enim tendit ad summos honores, sed ubi oportet, et quando, et propter quod oportet : quod medium est inter excessum, nempè tendere quando, ubi, et propter quod non oportet ; et defectum, scilicet non tendere, etiam quando, ubi, et propter quod oportet. Idem de virginitate et similibus dicendum. Nota quòd si quis plus alteri de suo tribuat quàm debet, excessus iste, etsi culpabilis non sit, nisi fortè ex prodigalitate, tamen iustitiæ quodammodò contrarius est ; si nempè potiùs eligitur plus dare, quàm æqualitatem servare.

ART. V.

An virtutes morales sint connexæ et æquales?

320 Prænotandum 1° virtutes morales infusas non posse esse sine charitate, nec charitatem sine illis. Sunt enim proprietates gratiæ cum qua infunduntur, et qua pereunte pereunt; charitas autem est indissolubilis gratiæ comes. *Quæst.* 65. *a.* 2 *et* 3. Prænotm 2° fidem et spem sine charitate aliqualiter esse, non tamen esse perfectas virtutes; nam ad rationem virtutis pertinet, ut per ipsam nedum bonum operemur, sed etiam benè : sine charitate autem nec benè creditur nec benè speratur. Similiter in hac vitâ charitas esse nequit sine fide ac spe. *Art.* 4 *et* 5. Quærimus ergo, an sicut theologicæ et morales infusæ, etiam morales naturales sint inter se connexæ? At prænotm est 3° virtutem dici *imperfectam* dum adhuc non est habitus, vel saltem induit modum dispositionis, quia nec firmiter inhæret, nec obstaculis sufficienter occurrit; *perfectam* verò, dum est *habitus constanter inclinans in bonum opus benè agendum.*

321 Ia conclusio : [1] *Virtutes morales imperfectæ non connectuntur invicem ;* [2] *benè tamen perfectæ.* 1a pars manifestè patet ; nam etiam in perditissimis hominibus ali-

quod imperfectæ virtutis vestigium sæpè relucet, et virum iniustum in periculis fortem, ac voluptuosum in contractibus iustum non rarò videmus. 2ª et præcipua pars receptissima fuit apud Ecclesiæ Patres et antiquos Philosophos. Pr. ex D. Th. hìc q. 65. a. 1; et 1° auctoritate ex *Sed contrà* : D. Ambr. super Lucam cap. 6. ait : *Connexæ sibi sunt, concatenatæque virtutes, ut qui unam habet plures habere videatur.* Aug. VI. de Trinit. c. 4 : *Virtutes quæ sunt in animo humano nullo modo separantur ab invicem.* Greg. lib. 13 (aut 21) Moral.: *Una virtus sine aliis aut omninò nulla est, aut imperfecta.* Et Tullius II. Tuscul. : *Si unam virtutem confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum.*

322 Pr. 2° ratione *ex corp. art.* : Non est perfecta virtus sine perfectâ prudentiâ; sed non est perfecta prudentia sine comitatu aliarum virtutum : ergo virtutes morales perfectæ sunt connexæ. Mai. est certa; quia prudentia quoad electiones est regula virtutis moralis, unde definitur virtus : *Habitus electivus prout prudens determinaverit.* Patet etiam, quia ad rectam electionem non sufficit inclinatio ad debitum finem, quæ habetur per virtutem; sed etiam requiritur quòd quis rectè eligat ea quæ sunt ad finem, quod habetur per prudentiam, quæ est consiliativa, iudicativa, et præceptiva eorum quæ sunt ad finem. Hinc multoties videmus eos qui aliquâ virtute videntur pollere, ut fortes, magnanimos, liberales, pœnitentes aut devotos, defectu prudentiæ malè eligere in ordine ad finem virtutis.

323 Pr. itaque min. : Non est perfecta prudentia, si appetitus non sit perfectè rectificatus circa fines particulares, et materias omnium virtutum; sed ista rectitudo appetitûs circa fines et materias virtutum habetur per ipsas virtutes : proprium enim cuiuscumque virtutis est rectificare appetitum circa finem et materiam propriam, v. g. iustitiæ est rectificare voluntatem circa debitum alteri; temperantiæ rectificare appetitum circa delectabilia tactûs; fortitudinis circa audacias et timores : ergo.

324 Pr. mai. : Prudentia est recta ratio agibilium, seu electionis mediorum; sed ratio agibilium non potest esse

perfecta et recta, nisi appetitus sit recte affectus circa fines: pendent enim agibilia, seu eligibilia, ex rectâ intentione finium, sicut conclusiones in speculativis pendent ex principiis: ergo sicut non potest ratio rectè se habere circa conclusiones, nisi rectè se habeat circa principia; sic in practicis eadem ratio non potest se habere rectè circa agibilia, seu eligibilia, nisi appetitus rectè se habeat circa fines: quæ rectitudo, ut dictum est, habetur per ipsas virtutes.

325 II^a^ conclusio: *Inter virtutes morales Prudentia est nobilior, sequitur Iustitia, deinde Fortitudo, et ultimò Temperantia.* Nam causa et radix humani boni est ratio: unde ea virtus est nobilior, quæ est propinquior rationi. Sicque omnium nobilior est *Prudentia,* quæ subiectatur in ipsâ ratione. Deinde *Iustitia*, quæ residet in voluntate. *Fortitudo* verò, quæ est in irascibili, præfertur *Temperantiæ*, quæ est in concupiscibili, quæque minùs participat rationem. *Fortitudo* enim perficit appetitum in his quæ immediatè ad vitam et mortem pertinent: *Temperantia* in his quæ mediatè tantùm, scilicet in cibis et venereis. Maius est autem bonum rationis in his quæ pertinent ad vitam, à qua cætera in homine dependent, quàm in cibis et venereis. *Art.* 1. *et* 4.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

326 Obi. 1° contra I^m^: Impossibile est quòd homini occurrant obiecta omnium virtutum, ut pauperi obiectum liberalitatis, et innocenti obiectum pœnitentiæ; sed isti possunt alias virtutes acquirere: ergo non sunt omnes connexæ. ℟. dist. mai.: obiecta virtutum *præcipuarum, et omni statui communium*, nego; nam istarum materia facilè occurrit, imò in unico negotio plurium virtutum obiecta sæpè conglobantur: virtutum, *quarum materia non nisi in certo statu occurrit,* conc. At quoque concedimus, quòd ut aliæ virtutes sint perfectæ, non opus est actu habere habitus istarum virtutum, sed sufficit eas habere in potentiâ propinquâ. Quatenùs nempè aliquis in omni materiâ virtutum proprio statui congruentium versatus, modico exercitio alias excellentiori statui convenientes ad-

quireret, si ad illum transferretur. Illud autem habere dicimur, quod in promptu est ut habeamus. *Quæst.* 65 *a.* 1 *ad* 1m.

327 Obi. 2°: Potest homo unam virtutem studiosè colere, v. g. castitatem: ergo eam perfectè adquiret sine aliis. ℟. nego consm. Nam virtus quamdiu deerunt aliæ, tamdiu erit imperfecta et debilis: facilè namque corrumpetur per tentationes aliorum vitiorum. Sic mulier casta, sed avara, pecuniæ cupiditate à castitatis bono retrahitur: iudex iustus, sed pecuniarum avidus, à recto iudicio muneribus deturbatur. David mitissimus ex libidine factus est in Uriam crudelis, Lucrecia pudica ex metu infamiæ facta est adultera, fortis Hercules ex amore factus est mulierculæ formidolosus, cæt. cæt. Contrà: Ergo virtutes debent simul adquiri. ℟. nego consm. Solùm enim debent simul ad statum perfectionis pervenire, quatenùs appetitus circa cæteras benè affectus, dum circa ultimam rectè disponitur, in aliis quoque perficitur: sicut ultima gutta cavat lapidem priùs dispositum per plures alias guttas.

328 Obi. 3°: Castitas v. g. prudentiæ coniuncta, est perfecta; sed sine aliis virtutibus potest esse prudentiæ coniuncta: ergo et perfecta, sicque etc. Min. pr.: Potest esse prudentia particularis circa castitatem sine prudentiâ circa iustitiam v. g.; nam, ut sæpè videmus, aliquis prudenter se gerit in materiâ castitatis, et imprudenter in materiâ iustitiæ: ergo. ℟. 1° nego ant.; nam hæc, quæ dicitur prudentia particularis, habitus virtutis non est, sed levis quædam dispositio ad prudentiam, seu ipsius inchoatio.

329 ℟. 2° dist. ant.: potest esse prudentia *perfecta,* et circa castitatem *perfectam,* sine prudentiâ circa iustitiam nego; prudentia *imperfecta,* et circa castitatem *imperfectam,* conc. Nam ut iudicium prudentiale sit perfectum, virtusque per ipsum regulata censeatur perfecta, debet supponere appetitum omni ex parte rectum; nam iudicium in materiâ cuiuscumque virtutis potest corrumpi à quocumque pravo affectu, ut patet et exemplis *n. præc.*, et etiam ratione; nam materiæ morales sunt adeò inter se

connexæ, ut frequentissimè invicem concurrant, et defectus unius redundet in aliam.

ART. VI.

Quid et quotuplex sit vitium et peccatum?

330 De vitiis et peccatis agit D. Th. à *quæst.* 71 *ad* 89, ex quibus nos pauca, et quæ Philosophorum sint, accipiemus. Dico ergo 1°: Vitium est: *Mala qualitas mentis, qua malè vivitur, et nemo benè utitur.* Est enim virtutis contrarium, et eius natura est inclinare ad malè utendum facultatibus nostris. Definiri etiam potest: *Dispositio imperfecti ad pessimum*; nam vitium significat dispositionem potentiæ malè se habentis, inclinatque ad actum peccaminosum, qui est pessimus. Hinc colliges, omne vitium esse contra naturam hominis, nedum quia est corruptio quædam, ægritudoque animi, cuius potentias à debito statu dimovet; sed etiam quia est contra rationem, qua homines sumus, et à brutis distinguimur.

331 Dico 2°: *Vitia non secùs ac virtutes, dividi possunt in quatuor generalia, Imprudentiam scilicet, Iniustitiam, Intemperantiam, et vitium contra fortitudinem, quod generico nomine carere videtur.* Divisio patet, tum quia contrariorum, sicut est eadem ratio, ita et idem proportionaliter divisionis modus: tum quia etiam vitii est quadruplex subiectum, intellectus scilicet, voluntas, et uterque appetitus. Rursùs dividitur vitium in illud quod consistit in defectu, et illud quod consistit in excessu. Est enim virtus in medio; sicque vitium perinde est, si quis v. g. plùs comedat quàm oporteat, ac si minùs de cibo sumat quàm exigat recta ratio.

332 3° dividitur vitium in *spirituale* et *corporale.* Obiectum enim vitii est bonum deordinatum, quod aut spiritu possidetur, ut fama, honor et scientia; aut corpore seu corporeo contactu, ut voluptas gulæ et tactûs. 4° ex vitiis quædam dicuntur *radices aliorum*, ut cupiditas, quam D. Paulus vocat *radicem omnium malorum*, eò

quòd sicut radix suggerit alimentum toti arbori, sic cupiditas colligendo divitias præbet nutrimentum toti arbori iniquitatis. Quædam etiam dicuntur *capitalia*, eò quòd sicut caput influit vitam, motum, vigoremque aliis membris; ita quoque ista vitia influunt in alia, et ipsa veluti ducunt. Sic superbia, avaritia, luxuria, gula, ira, invidia, et pigritia septem vitia capitalia vocantur.

333 Dico 3° : *Causæ vitiorum, aut extrinsecæ sunt, aut intrinsecæ.* Extrinsecæ sunt 1° malignus quidam genius tentans, instigans, et concupiscentiam inflammans. 2° occasiones et obiecta sollicitantia. 3° pravi homines, qui verbis, factis, exemplisque alios ad iniquitatem trahunt. Interiores vitiorum causæ sunt 1° ignorantia, quæ extinguens lumen rationis dirigentis, nos innumeris offendiculis exponit: non secùs ac si quis lucernam extingueret homini in obscuro, lubrico periculosoque tramite gradienti. 2° malitia ipsius voluntatis, quæ habens intentionem corruptam circa finem, facilè peccat circa media. 3° passio quæ excæcat rationem, et sollicitat voluntatem. 4° demum præcedens peccatum quod suo pondere ad alia trahit.

334 Dico 4° : Peccatum, quod est actus à vitioso habitu passim elicitus, cum D. Aug. definiri solet : *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Dividi potest sicut vitium; et præterea 1° in *mortale* et *veniale.* Mortale corrumpit vitæ spiritualis primum principium, scilicet ordinem in finem ultimum: Veniale verò dumtaxat peccat contra media, retinendo tamen intentionem, et ordinem finis ultimi. Siquidem in peccato mortali homo præfert creaturam Deo; in veniali verò licèt Deum omnibus præferat, attamen aliis non ita omninò utitur, sicut ordo finis ultimi exigeret; in quantum vel illis morosiùs adhæret, vel negligentiùs incumbit, vel aliquo modo minùs ordinatè ad illa se habet.

335 2° dividitur *in peccatum cordis, oris, et operis;* non quidem ut in distinctas species, sed ut in tres veluti gradus, quibus acceditur ad consummationem actûs vitiosi, qui 1° corde concipitur, 2° ore exprimitur, 3° perficitur opere: sic ira [1] corde concepta, [2] contumeliosis verbis se

prodit, 3 atque ad facta iniuriosa procedit. Annotat verò D. Aug. *lib. XII. de Trin.* peccatum in corde tribus quoque gradibus perfici; nam *cogitatione inchoatur, delectatione nutritur, consensu completur.*

336 3° dividi potest in peccatum *contra Deum, contra proximum*, et *contra se ipsum*. Peccatum enim turbat ordinem rationis: triplex autem est ordo in homine, ad Deum, ad se ipsum, et ad proximum. Peccata quæ lædunt ordinem, quo homo immediatè respicit Deum, ut blasphemia et sacrilegium, dicuntur esse *contra Deum.* Peccata quæ turbant ordinem, quem homo tenere debet in propriis bonis, dicuntur peccata hominis *in seipsum*, ut gula et luxuria. Peccata demum quæ lædunt ordinem erga proximum observandum, dicuntur esse *in proximum*, ut homicidium et furtum. Attamen, quia ordo, quem homo habet ad se ipsum et ad proximum, continetur sub ordine ad Deum; ideò omne peccatum est contra Deum (1).

---

(1) *Pro coronide autem non incongruum erit annotare octo præcipuos modos quibus peccatum est contra Deum.* 1° *Deum offendit ut* supremum Legislatorem, *eius præcepta contemnendo, et ipsi debitam obedientiam denegando.* 2° *ut* iustissimum Iudicem, *cuius iudicium non formidat, et indignationem audacissimè provocat.* 3° *ut* Testem fidelissimum, *non reverendo eius præsentiam, et in oculis ipsius malè agendo.* 4° *ut* summum Bonum, *et vilem satisfactionem præponendo.* 5° *ut* Amicum *et* Benefactorem, *ipsi odium pro amore, iniurias pro beneficiis repetendo, imò eius beneficia convertendo in instrumenta iniuriæ, quod est ingratitudinis culmen.* 6° *ut* supremum Dominum, *contra eius legitimum dominium protervè rebellando.* 7° *ut* primum Principium, *à quo deficit, et sese subtrahit.* 8° *demum ut* ultimum Finem, *ab eo aberrando, ac sponte recedendo, sibique cum insigni eius contumeliâ finem ultimum in creaturâ præstituendo.*

QUÆSTIO II.

DE LEGIBUS.

337 Lex dicitur aut à *ligando*, quia obligat ad agendum, aut à *legendo*, quia scribi solet et populo legi; aut ab *eligendo*, quia convenientiora eligit. Quamquam verò Lex latè sumatur pro quacumque regulâ præscribente aliquid faciendum, quo sensu dicimus *Leges Grammaticæ*, aut cuiuslibet artis; hìc tamen lex strictè sumitur pro eâ quæ ordinat ad bonum rationis. Sed quia lex propriè sumpta dividi solet in Æternam, Naturalem, Divinam, et Humanam; ideò in varios articulos quæstionem hanc distribuemus, in quorum primo Legem in communi, in cæteris Leges singulas considerabimus; præter Divinam, cuius expositionem Theologis relinquemus.

ART. I.

Quid et quotuplex sit lex, quique ipsius effectus et actus?

338 I^a^ CONCLUSIO: Lex est: *Quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata.* Ita communiter cum D. Th. in hac 1. 2. q. 90. a. 4. Explicatur: Dicitur *ordinatio rationis*, et quidem *practicæ*; nam rationis practicæ est imperare et ordinare. Ad legem autem pertinet imperare agenda vel omittenda, sicut etiam ordinare humanos actus ad finem; cùm sit regula et mensura humanorum actuum. *Art.* 1. Additur *ad bonum commune*, quia ordo agendorum sumitur à fine ultimo: ultimus autem finis est bonum commune, cui particularia subduntur. Unde lex bonum com-

mune spectat, ac particularia in illud dirigit. *Art.* 2.

339 Dicitur *ab eo qui curam communitatis habet*, quia dirigere subditos in bonum commune ad eum qui præest communitati spectat; proindeque ius legis statuendæ ad illud procurandum. Hinc lex differt à *præcepto*, quod à quolibet superiori etiam domûs vel familiæ imponi potest. Communitas autem hìc intelligitur perfecta, prout est multitudo hominum sub gubernatione Præsidis politicam iurisdictionem habentis. Unde paterfamilias præcepta vel statuta facere potest, leges non potest. *Art.* 3. Demum additur *promulgata*, quia lex habet rationem regulæ et mensuræ. Porrò mensura et regula imponitur cùm mensuratis applicatur: lex autem applicatur, cùm subditis promulgatur seu intimatur. Unde promulgatio necessaria est ut lex virtutem obligandi habeat. *Art.* 4.

340 II^a conclusio: [1] *In Supremo mundi Provisore lex æterna est,* [2] *cuius participatio in nobis iam est lex naturalis.* [3] *Præter hanc necessaria est lex humana,* [4] *et præter utramque lex divina.* Pr. 1^a pars: Tota communitas Universi gubernatur ratione Divinâ: ergo in Deo est ratio gubernationis rerum, sicut in principe universitatis; sed hæc ratio est lex; nam lex nil est aliud quàm dictamen rationis practicæ in principe qui gubernat communitatem perfectam: ergo in Deo est *lex*, sicque *æterna;* nam Divina ratio nil concipit ex tempore. *Q.* 91. *a.* 1.

341 Pr. 2ª pars: Lex, cùm sit regula et mensura, in Legislatore est ut in regulante, in aliis ut in regulatis. Hinc cùm omnia regulata sint lege æternâ, quatenùs ex eius impressione habent inclinationes ad suos actus et fines; ideò omnia aliqualiter participant legem æternam. Speciali tamen modo creatura rationalis, quatenùs suâ ratione fit providentiæ particeps, sibi ipsi et aliis providens. Hæc autem specialis participatio legis æternæ in creaturâ rationali est quæ vocatur *lex naturalis.* *Art.* 2.

342 Pr. 3ª pars 1°: Nam sicut ex principiis speculabilibus naturaliter notis non subitò cognoscimus omnem veritatem: ita ex principiis practicis naturaliter notis non statim innotescit in pluribus quid agendum sit. Un-

de sicut ex principiis indemonstrabilibus paulatim procedit ratio ad conclusiones particularium scientiarum : ita ex præceptis legis naturalis ratio humana procedere debet ad particulares quasdam sanctiones, quæ dicuntur *leges humanæ*, si observentur cætera ad rationem legis necessaria. *Art.* 3.

343 Pr. 2° : Homo, ut ad virtutis perfectionem deveniat, indiget disciplinâ seu aliorum directione. Iam verò licèt iis, qui ad virtutem naturâ proniores sunt, sufficiat disciplina paterna, quæ est per monitiones ; protervis autem seu ad vitia pronis, opus est quòd per vim et metum à malo cohibeantur ; ut saltem sic malè facere desistentes, et alios non perturbent, et ipsi sensim perducantur ut voluntariè faciant, quæ priùs metu implebant, et sic tandem fiant virtuosi. Disciplina verò cogens metu pœnæ est disciplina legum. *Q.* 95. *a.* 1.

344 Pr. 4ª pars 1° : Per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad ultimum finem ; sed homo ordinatur ad finem, quem naturæ viribus consequi nequit : ergo necessarium est, ut supra legem naturalem et humanam dirigatur etiam ad suum finem lege divinitùs datâ. 2° : De actibus humanis sæpè diversorum diversa sunt iudicia, imò leges oppositæ : ergo ut homo absque dubitatione scire posset, quid agere et vitare teneretur, necessarium fuit ut in actibus propriis dirigeretur etiam lege divinâ, de qua constat quòd non potest errare. 3° : Lex humana non potuit cohibere et ordinare actus interiores : ergo ad hoc opus fuit lege divinâ. 4° : Lex humana nequit omnia quæ malè fiunt punire vel prohibere ; nam inde peiora mala sequerentur : ergo ut nullum malum improhibitum et impunitum remaneat, necessaria est lex divina (1). *Ita D. Th. Q.* 91. *a.* 4.

---

(1) *D. Th. ibid. observat, quòd istæ quatuor causæ tanguntur in Ps.* 18. *ubi dicitur :* « Lex Domini immacu-« lata, *id est nullam peccati turpitudinem permittens :* « Convertens animas, *quia non solùm exteriores actus* « *sed etiam interiores dirigit* : Testimonium Domini fi-

345 IIIª conclusio : *Effectus legis est facere homines bonos.* 1° : Quia lex inducit ad virtutem propriam subditis, nempè ut benè subdantur, et obediant superioribus suis; virtus autem facit bonum habentem. 2° : Quia opus ad quod lex inducit est bonum, sive ex obiecto, sive ex fine, sive ex circumstantiis; alioquin non foret iusta, nec proindè lex. Sic ergo lex naturalis tendit ut homines fiant boni virtutibus moralibus naturæ proportionatis : lex civilis, ut fiant boni cives terreni : et lex Divina supernaturalis, ut fiant boni per virtutes supernaturales, et cives cœlestes; quamvis per accidens ex hominum malitiâ effectus iste frequenter impediatur. *Q.* 92. *a.* 1.

346 IVª conclusio : *Convenienter numerantur quatuor actus legis, scilicet præcipere, prohibere, permittere, et*

« dele, *propter certitudinem veritatis et rectitudinis* : Sa-
« pientiam præstans parvulis, *in quantum ordinat homi-*
« *nem ad finem supernaturalem et Divinum* ».

Ex his rationibus, et aliis quas D. Th. tangit 1. *p. q.* 1. *a.* 1. *et fusiùs exponit I. contra Gent. c.* 4, *demonstrari solet Divinæ revelationis necessitas, tum ad veritates speculativas, tum etiam ad practicas, sive naturales sive supernaturales. Ipsa stultissimis erroribus fœdata illustriorum Philosophorum Religio : evidens Divini cultûs necessitas, et ignorantia eius qui Deo placeat : necessitas, qua urgetur peccator cognoscendi modum se cum Deo reconciliandi : evidentia demum qua noscimus hominis naturam corruptam esse, huiusce corruptionis sine revelatione causam ignorantes ; etiam adduci solent, ut Divinæ revelationis necessitas ac proinde existentia demonstretur.*

Rursùs verò ipsius revelationis existentia ex veritate ac puritate doctrinæ revelatæ, ex integritate morum per Evangelium in orbem introductâ, ex promptâ latâque ipsius propagatione, ex martyribus, miraculis ac prophetiis non minùs solidè quàm evidenter convincitur. Videatur peregregium opus Antonini Valsechi Ord. Præd. de Fundam. Relig. et Fontibus impietatis *Lib. II.*

et punire. Pr.: Lex instituitur ad dirigendos actus humanos; ex istis autem quidam sunt boni ex genere, et respectu horum lex habet *præcipere*: non quòd omnes omninò actus bonos præcipiat, sed quòd possit præcipere. Quidam sunt ex genere mali, et respectu illorum habet *prohibere.* Quidam sunt indifferentes, seu parùm boni aut parùm mali, et respectu illorum habet *permittere.* Et quia officium legis non solùm est ordinare quid sit faciendum aut vitandum, sed etiam efficaciter inducere ut sibi obediatur; hoc præstat per timorem pœnæ; et quantum ad hoc ponitur legis actus *punire.* Itaque lex omnis aut præcipit, aut prohibet, aut permittit, aut punit. *Q.* 92. *a.* 2.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

347 Obi. 1° contra I^m: Lex non est rationis, nec ad bonum commune: ergo malè definitur. Pr. 1ª pars: Legis est movere; sed movere est voluntatis et non rationis: ergo. Conf.: Voluntas Principis solet dici lex: ergo hæc non est rationis. Pr. 2ª pars: Sunt plures leges ad bonum particulare, v. g. pupillorum, militum, et pauperum: ergo non est de ratione legis, quòd sit ad bonum commune. ℟. nego ant. Ad prob. dist. mai.: legis est movere *dirigendo* et *regulando*, conc.; hoc autem est proprium intellectûs: *simpliciter applicando*, nego. Ad Conf. dic, quòd in legibus positivis præsupponitur actus voluntatis in Principe; et ideò lex potest dici voluntas saltem *præsuppositivè.* Ad prob. 2^æ partis dic, eas omnes leges mediatè et ultimè referri ad bonum commune, quod exigit ut pupilli, milites et alii specialiter protegantur.

348 Obi. 2°: Lex fomitis inclinat ad malum; sed est vera lex: ergo non omnis lex inclinat ad bonum. ℟. dist. min.: Fomes est lex *secundùm se consideratus*, nego; *ut sequitur ex divinæ legis iustitiâ*, conc.; ut si diceretur esse legem, quòd nobilis ob suam culpam ad opera servilia induceretur. Itaque inclinationes naturales, quæ sunt in rebus à Deo legislatore et provisore impressæ, sunt participativè lex seu participationes legis æternæ: sic

quodammodò lex canis est ut sit furibundus, et lex ovis ut sit mansueta. Sic etiam est lex hominis ut secundùm rationem operetur: sed ab hominis peccato est, quòd adversùs hanc legem insurgat sensualitatis inclinatio, quæ fomes dicitur. Unde fomes in homine non est lex, sed potiùs deviatio à lege rationis. Dicitur tamen lex in homine, in quantum est pœnalis, et ex lege Dei consequens hominem destitutum propriâ dignitate. *Q.* 91. *a.* 6.

349 Obj. 3° contra II^{m}: Lex æterna non est promulgata saltem ab æterno: ergo non est propria lex. ℟. cum D. Th. *hìc q.* 91. *a.* 1, quòd lex æterna ab æterno promulgata est, non quidem ex parte creaturæ audientis aut inspicientis, sed ex parte Dei promulgantis, non tantùm per verbum æternum, sed etiam per librum vitæ ab æterno scriptum. Ad legem autem sufficit promulgatio qua cognosci possit, cùm creatura existet; ut patet in legibus humanis, quæ promulgantur non solùm præsentibus, sed etiam futuris. Si de lege naturali instruatur argumentum, respondet idem S. Doctor q. 90. a. 4., quòd promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso quòd Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.

350 Obj. 4°: Ut ait Phil. *V. Ethic.* Iudex est iustitia animata; sed hæc est melior quàm inanimata, quæ legibus continetur: ergo meliùs esset arbitrio iudicum committere quæ legibus humanis continentur; sicque etc. ℟. quòd ut ait Phil. *I. Rhet.* c. 1. Meliùs est omnia ordinari lege, quàm dimittere iudicum arbitrio; et hoc propter tria. 1°, quia faciliùs est invenire paucos sapientes qui sufficient ad rectas leges ponendas, quàm multos qui requirerentur ad rectè iudicandum de singulis.

351 2°, quia illi qui leges ponunt, ex multo tempore considerant quid lege ferendum sit: sed iudicia de singularibus factis sunt ex casibus subitò exortis. Faciliùs autem ex pluribus consideratis potest homo videre quid rectum sit, quàm solùm ex aliquo uno facto. 3°, quia legislatores iudicant in universali et de futuris; sed homines iudiciis præsidentes iudicant de præsentibus, ad quæ afficiuntur amore vel odio, vel aliquâ cupiditate; et

sic eorum depravatur iudicium. Quia ergo iustitia animata iudicis non invenitur in multis, et quia flexibilis est; ideò necessarium fuit in quibuscumque est possibile legem determinare quid iudicandum sit, et paucissima arbitrio hominum committere. Q. 95. *a.* 1. *ad* 2^m.

352 Obi. 5° : Lege naturali iam participamus legem Dei æternam : ergo superflua est nova lex Dei, seu divinitùs promulgata. Conf. : Homo gubernari debet suâ ratione, nam relictus est in manu consilii sui, ut ait Scriptura ; consilium autem est actus propriæ rationis : ergo superflua est lex quæ rationem excedat, seu Divina. ℟. dist. ant. : participamus *ad finem ultimum supernaturalem*, nego ; *in iis quæ naturaliter possibilia sunt*, conc. Itaque dupliciter participamus legem æternam. 1° lege naturali ad ea ad quæ natura humana capax est. 2° lege divinitùs datâ, adminùs ut dirigatur homo ad finem supernaturalem. Ad Conf. dic, quòd hominis consilium est inquisitio quædam : unde supponit principia. Hæc autem debent esse nedum naturalia seu legis naturalis et humanæ, sed etiam supernaturalia seu legis Divinæ, saltem ratione finis supernaturalis. D. Th. *hìc q.* 91. *a.* 4. *ad* 1^m *et* 2^m.

353 Obi. ultimò contra ultimam : Homo inducitur ad bonum etiam per præmium : ergo præmiare est actus legis. Adde quòd etiam *obligare* est abs dubio legis actus. Conf. : Permissio est defectus præcepti aut prohibitionis : ergo potiùs est negatio actûs, quàm actus. ℟. arg. quòd *præmiare* non exigit auctoritatem publicam, sicut punire, quod est solius ministri legis. *Obligare* est certò actus legis, at inseparabilis à quatuor enumeratis : unde non debuit distinctè numerari. Ad Conf. dic, quòd *permissio*, quæ est actus legis, non est mera negatio, sed actus positivus, quo lex statuit ut aliquid non impediatur, vel ut aliquis actus etsi malus non puniatur. Ubi observa quòd lex permissiva etiam obligat : non ad faciendum opus quod permittit, sed ne illud impediatur vel puniatur.

ART. II.

DE LEGE ÆTERNA ET NATURALI.

354 I[a] conclusio : *Lex æterna nil est aliud, quàm ratio Divinæ sapientiæ, secundùm quod est directiva actionum et motionum creaturarum in ordine ad bonum commune totius universi.* Ita D. Th. q. 93. a. 1. Pr. : Deus gubernator est omnium actuum et motionum quæ inveniuntur in creaturis, omniaque ad suos fines ordinat : ergo sicut ratio Divinæ sapientiæ, in quantum per eam cuncta sunt creata, habet rationem artis aut ideæ ; ita ratio Divinæ sapientiæ moventis et dirigentis omnia ad debitum finem obtinet rationem legis. Itaque lex æterna differt ab ideâ Divinâ, quia ista est exemplar rerum faciendarum, illa ordo gubernandarum. Differt quoque à providentiâ ; quia lex respicit bonum commune universi, providentia particulare cuiusque. Hinc lex æterna tradit regulas in generali pro gubernatione mundi ; providentia disponit in particulari iuxta eas leges.

355 II[a] conclusio : *A lege æternâ quodammodò derivantur omnes aliæ leges.* Pr. : In moventibus subordinatis virtus secundi derivatur à primo ; sed gubernare est quoddam movere : ergo in gubernantibus ratio gubernationis à primo ad secundos derivatur. Sic ratio agendorum in civitate derivatur à Principe ad inferiores administratores, et ratio artificialium actuum derivatur ab architecto ad inferiores artifices ; sed lex æterna est ratio gubernationis in primo et supremo gubernante : ergo omnes rationes gubernationis, sicque omnes leges, quæ sunt in inferioribus gubernantibus, à lege æternâ derivantur. *Q.* 93. *a.* 3. Hinc cæteræ leges, etiam Divina, sunt effectus et participationes legis æternæ. Nam hæc est in ipso Deo ut primo omnium gubernatore ; cæteræ sunt in hominibus et ut gubernatis à Deo, et ut Dei auctoritate alios homines gubernantibus.

356 III[a] conclusio : *Lex naturalis non est ipsa synderesis, nec propriè habitus ; sed est quoddam opus, ter-*

minus, seu participatio Rationis æternæ nobis indita seu impressa. Pr. : Omnis lex propriè nec actus est, nec habitus, nec potentia, sed aliquod opus ipsius rationis practicæ; ad modum quo in ratione speculativâ definitio, enuntiatio et syllogismus nec sunt potentia, nec habitus, nec actus, sed aliquid ab actu constitutum, quod manet deficiente actu. Unde sicut principia in speculativis non sunt habitus, sed continentur habitu qui dicitur intelligentia principiorum; ita in practicis præcepta, quorum collectio dicitur lex naturalis, non sunt habitus seu ipsa *synderesis*, sed synderesis est habitus ea continens. Et hinc lex naturalis dici potest habitus impropriè, quatenùs habitualiter habetur, seu in habitu continetur. *D. Th. q.* 94. *a.* 1. *et* 90. *a.* 1 *ad* 2^{m}.

357 IV^{a} conclusio : *Lex naturalis absolutè loquendo immutabilis est.* Prob. : Lex naturæ ea præcipit aut prohibet, quæ naturâ suâ bona aut mala sunt; sed lex quæ talia præcipit aut prohibet mutari non potest; sicut mutari non potest rerum natura : ergo. Dixi *absolutè loquendo.* Nam duplex mutatio circa legem evenire potest. Altera *propria,* qua lex mutatur in seipsâ, ita ut desinat aliquid esse de lege, quod priùs secundùm legem erat. Altera *impropria :* et hæc dupliciter, vel ratione *additionis;* cum legi quidpiam additur, quod absolutè ab eâ minimè requiritur, sicut per legem divinam et humanam plura sunt instituta, ad quæ lex naturæ non obligabat; vel per *subtractionem materiæ,* quæ ob occurrentes circumstantias desinit esse sub lege. Sola mutatio *propria* vera mutatio est, quæ locum non habet in lege naturæ.

358 Unde cùm Deus præcepit Abrahæ, ut occideret filium innocentem; aut Iudæis, ut mutuata Ægyptiorum vasa subriperent; aut etiam Oseæ, ut uxorem acciperet fornicariam, non est mutata lex naturæ, quæ occisionem prohibet innocentis, furtum et fornicationem; sed accedente iussione Dei, qui ob supremum dominium quod habet in omnium vitâ et bonis potest de omnibus liberè disponere, subtracta materia illa est à lege naturæ : et sic non solùm fuit illud licitum et minimè contra legem na-

turalem ; sed etiam debitum, quia à Deo imperatum. *D. Th. q.* 94. *a.* 5.

359 V[a] conclusio : *Lex naturalis continet plura præcepta, quæ tamen fundantur in uno, nempè : Bonum est faciendum et prosequendum, et malum vitandum.* Pr. : Præcepta legis naturæ se habent ad rationem practicam, sicut prima principia demonstrationum ad rationem speculativam ; sed in speculativis sunt plura principia, et omnia fundata in uno, nempè : *Impossibile est idem simul esse et non esse :* ergo. Pr. cons[a] ; quia sicut ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter : ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni ; ut proinde lex naturæ nil præcipiat aut prohibeat, nisi sub ratione boni vel mali.

360 Præcepta verò legis naturæ distinguuntur secundùm triplicem gradum inclinationis naturalis in homine. Nam 1° inest homini inclinatio ad bonum secundùm naturam, quam habet communem cum omnibus entibus, prout omnia appetunt sui esse conservationem ; et sic pertinent ad legem naturæ ea per quæ vita hominis conservatur, et contrarium impeditur. 2° : Prout habet naturam communem cum aliis animalibus inest ipsi inclinatio ad aliqua magis specialia ; et sic sunt de lege naturali ea quæ natura omnia animalia docuit, ut commixtio maris et feminæ, et educatio liberorum. 3° : Inest homini inclinatio ad bonum secundùm naturam rationis, quæ est sibi propria, sicut inclinatio ut veritatem cognoscat de Deo, et in societate vivat ; et sic ad legem naturalem pertinent quæ huic inclinationi respondent, ut vitare ignorantiam, et nemini nocere. *Q.* 94. *a.* 2.

361 Nota verò quòd sicut in speculativis etiam dicuntur prima principia ea quæ in singulis scientiis supponuntur, licèt ab illo *Impossibile est etc.* etiam pendeant : ita in practicis præter illud communissimum principium *Bonum est etc.* etiam sunt plura principia per se nota in singulis inclinationibus naturalibus ; sicut in 1[a] inclinatione principium per se notum est, quòd sit comeden-

dum : hoc tamen vel illud, magis vel minùs, iam sunt conclusiones. Quantò autem istæ conclusiones à primis principiis remotiores sunt, tantò faciliùs in illis errare solent homines. Unde in primis principiis communibus lex naturæ apud omnes est æquè recta ac nota. Sed quantum ad conclusiones immediatas ex principiis communibus, iam in paucioribus potest deficere, et ab hominis corde deleri, in iis qui habent depravatam rationem ex passione, seu ex malâ consuetudine, seu ex malâ habitudine naturæ. Sicut latrocinium, et simplex fornicatio in quibusdam populis licita habita sunt. *D. Th. hìc q.* 94. *a.* 4. *et.* 6.

362 Hìc non abs re foret hæc principia practica per se nota, atque ipsis immediatiores conclusiones, nempè præcipua iuris naturalis præcepta, summatim proponere, quo naturalis Iurisprudentiæ veluti compendium haberetur. Sed quoniam de his rursùs agendum, dum hominis erga Deum, seipsum, ac proximum officia explicabimus, nunc solùm aliqua addemus, ut illud omninò primum principium *Bonum est etc.* clariùs intelligatur, ac utiliùs ad praxim accommodetur.

363 Ante omnia præ oculis habendum est 1° id quod sæpè monuimus, bonum et malum in præsenti solùm accipi per ordinem ad finem seu felicitatem hominis. Unde Bonum est, *aut ipse hominis finis seu felicitas, aut id quod hominem ducit ad suum finem*. Malum verò est *quidquid hominem à suo fine removet.* 2° : Bona et mala aut sunt *spiritualia* seu animæ, aut *corporalia* seu corporis. Felicitas enim hominis utriusque bonum statum exigit. Rursùs aut sunt *æterna* aut *temporalia* ; et ista aut *constantia* seu longæ durationis, aut brevis seu *inconstantia.* Item aut *præsentia,* aut *futura : communia* , aut *privata,* cæt. Unde generatim bona inter se inæqualia sunt, et similiter mala.

364 3° : Bona cum malis sæpè miscentur, et ex bonis mala, sicut ex malis bona consequi possunt ; et hinc alia est eorum divisio in *vera* et *apparentia.* Nam bonum, quod nec habet admixtum, nec ex ipso consequitur malum ipso bono maius, dicitur bonum *verum,* quia est or-

dinabile ad principale bonum, seu ad ultimum finem. Bonum tamen, quod aut habet admixtum, aut ex ipso consequitur malum ipso bono maius, est bonum *apparens* et falsum, quia reipsâ abducit à finali bono. Inde quoque patet quid sit malum verum et apparens.

365 Demum diligenter observandum est, quòd *Ratio* essentialiter respicit finem hominis seu eius felicitatem: et hinc voluntas nunquam fertur nisi ad bonum aliquod. Quod autem hoc bonum sit verum bonum, et non apparens, non præcisè rationis est sed *rectæ rationis;* rationis inquam, ut conformis primæ mensuræ totius *rectitudinis* seu legi æternæ; sicque dirigentis non ex principiis ex passione aut pravâ consuetudine suggestis, sed ex inditis aut naturaliter impressis à Deo. Horum primum est ut diximus: *Bonum est faciendum et prosequendum, et malum vitandum.* Cui hæc alia suffragantur.

366 I: *Bona et mala particularia, et ea quæ ex ipsis consequi possunt, sedulò consideranda; ut tandem innotescat quodnam sit verum bonum, seu verè hominem ad suum finem perducat, et quodnam verum malum, seu hominem à suo fine avertat.* II: *Recta ratio prohibet bonum amplecti, ex quo maius malum consequitur*: non etenim est bonum nisi apparens. III: *Recta ratio iubet malum sustinere ex quo certò consequitur maius bonum*: non enim est malum nisi apparens. IV: *Summo studio curandum est, ut noster animus in vera bona propendeat: ea ardenter concupiscat, atque ad eorum possessionem omnes suos conatus dirigat.* Hinc V. cùm à bonis æternis caduca omnia in immensum exsuperentur; *Si qua temporalia bona ab æternis nos removent, summo horrore fugienda*, ut vitiosæ delectationes, divitiæ iniustè possessæ, cæt: *Si qua temporalia mala nos ad æterna bona ducunt, constanti imò et alacri animo toleranda;* ut à martyribus exilium, eculeus, ignis, cæt: *Æterna felicitas esse debet scopus, ad quem cogitationes, affectus, verba, actiones, omnia nostra collineent.*

ART. III.

DE LEGE HUMANA.

§ I.

Quid, qualis, et quotuplex sit lex humana?

367 I[a] CONCLUSIO : Lex humana definiri potest : *Ordinatio rationis humanæ, legi naturali conveniens, ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata.* Dicitur *legi naturali conveniens ;* nam lex humana debet quodammodò à lege naturali derivari. A lege autem naturæ dupliciter aliquid derivatur. 1° ut conclusio ex principiis, ut fit in scientiis. 2° ut determinatio quædam aliquorum communium, ut fit in artibus ; in quibus formæ communes determinantur ad aliquid speciale, sicut cùm artifex formam communem domûs ad hanc vel illam domûs figuram determinat.

368 Quæ derivantur à lege naturali 1° modo, sic pertinent ad legem humanam ut etiam pertineant ad legem naturæ, ut hæc conclusio : *Non est furandum ;* illata ex his præmissis naturalibus : *Malum non est faciendum ;* sed *Furari est malum.* Quæ autem 2° modo, sunt solius legis humanæ, ut cùm legislator dicit : *Fures sunt suspendio afficiendi*, nam lex naturæ habet quòd pœnâ puniantur ; sed quòd tali vel tali pœnâ, hoc est determinatio legis humanæ. *Q.* 95. *a.* 2.

369 II[a] conclusio : Legis humanæ qualitates convenienter ab Isidoro lib. 5. Etymol. c. 21. describuntur his verbis : *Erit lex honesta, iusta, possibilis secundùm naturam, secundùm consuetudinem patriæ, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat ; nulli privato commodo, sed pro communi utilitate civium scripta.* Pr. : Lex humana debet esse proportionata utilitati hominum, nam hic est eius finis ; atque legi naturali ac Divinæ, nam ab iis ipsa regulatur, ut à superioribus

mensuris. Unde idem Isidorus has tres conditiones in lege exigit, quòd nempè *religioni congruat*, id est legi Divinæ : *quòd disciplinæ conveniat*, id est legi naturali : et *quòd saluti proficiat*, id est hominum utilitati ; sed hæc tria per qualitates antè enumeratas convenienter exponuntur : ergo.

370 Min. patet earum explicatione. Itaque lex dicitur *Honesta*, id est congrua religioni : *Iusta*, id est rationi conformis : *Possibilis secundùm naturam*, id est proportionata viribus subditorum, non enim eadem sunt imponenda pueris ac viris perfectis : *Et secundùm consuetudinem patriæ*, non enim potest homo solus in societate vivere, aliorum morem non gerens : *Loco temporique conveniens*, seu quòd debitæ sint legis circumstantiæ : *Necessaria* ad remotionem malorum : *Utilis* ad consecutionem bonorum : *Manifesta*, ne per obscuritatem sit occasio nocumenti : *Pro communi utilitate*, quia hæc est finis legis : et *Scripta*, quia ut firmiùs memoriâ teneatur scribi solet, quamvis id non sit absolutè necessarium. *Q*. 93. *a*. 3.

371 III^a^ conclusio : *Lex humana variè dividitur secundùm diversas eius considerationes*. Explic. Considerata lex humana secundùm suam originem à lege naturali, dividitur in ius gentium, et ius civile (1). Considerata

---

(1) Iuris gentium *idea non eadem apud omnes tum veteres tum recentes auctores est. Plures aiunt* ius gentium esse ius naturale, *non quidem privatorum hominum, sed populorum seu statuum. Alii volunt* ius gentium esse ius positivum, *seu id esse quod communi hominum seu populorum consensu fuit introductum, sive ad privatos spectet, sive ad communitates. Priores rectè supponunt, quòd sicut ex naturâ ipsâ privati homines inter se debent lege aliquâ connecti ; ita civitates, populi, seu nationes. Unde opus est leges esse aliquas quibus omnes populi obligentur, quæ proinde non incongruè dicantur* leges seu iura gentium. *At deficere videntur, quoniam etiam* iure gentium *stabilita vulgò appellantur et meritò, ea quæ*

per ordinem ad bonum commune dividitur in ius Militare, ius Sacerdotum, et ius Principum, quia hi specialiùs dant operam ad bonum commune; nempè Sacerdotes

---

apud omnes cultas nationes stabilita sunt, etsi non ad populos inter se, sed ad privatos in eodem populo felici concordiâ uniendos; ut proprietatum divisio, sicque emptio, venditio etc.

Itaque ut distinctiùs et clariùs loquamur cum D. Th. 1. 2. q. 95. a. 4. in corp. et ad 1^{m} *dicemus, ius gentium differre à naturali.* 1° *et maximè, prout ius naturale eas inclinationes consequitur, quæ sunt homini cum cæteris animalibus communes* (n. 360). 2° *quia etiam in iis, quæ sunt iuris naturalis hominis ut rationalis, non pertinent ad ius gentium principia, nec omnes conclusiones, ut quòd veritatis cognitio sit quærenda et Deus amandus; sed solùm aliquæ conclusiones non multùm remotæ à principiis, in quibus proinde homines de facili consenserunt. Unde ad ius gentium pertinet non omne quod à naturâ oritur, sed id solùm quod licèt à naturâ oriatur, à gentibus etiam positum intelligitur. Adeòque ius gentium est verè* positivum; *est tamen aliquo modo naturale homini secundùm quod est rationalis, quia à naturâ hominis ut rationalis derivatum.*

Hinc, ut ait D. Th. ibid. « Ius positivum dividitur in ius « gentium, et ius civile. Nam ad ius gentium *pertinent ea « quæ derivantur ex lege naturæ, sicut conclusiones ex « principiis (n. 367 et 368), ut iustæ emptiones, vendi- « tiones, et alia huiusmodi, sine quibus homines ad in- « vicem convivere non possunt, quod est de lege naturæ: « quia homo est naturaliter animal sociale, ut probatur « in I. Politic. Quæ verò derivantur à lege naturæ per « modum particularis determinationis, pertinent ad* ius ci- « vile: *secundùm quod quælibet civitas aliquid sibi accom- « modè determinat ». Ita quòd Legati honorificè admittantur est de iure gentium, seu communi; quòd tali horâ, talibus adsociantibus, tali formâ admittantur, est de iure civili, seu cuilibet populo particulari.*

pro populo Deum orando, Principes populum gubernando, et Milites pro salute populi pugnando. Consideratâ ratione sui Auctoris; dividitur secundùm diversa regimina in Constitutiones Principum, Senatûs-Consulta, Ius Prætorium, Plebiscita, et in legem quam maiores simul cum plebe sanciunt. Demum considerata quatenùs est directiva humanorum actuum, in tot leges dividitur, quot sunt diversæ materiæ de quibus feruntur, ut de adulteriis, de sicariis, cæt. *Q.* 95. *a.* 4.

372 Dividi etiam solet lex humana in Civilem, et Ecclesiasticam. Hinc *Corpus Iuris Canonici*, et *Corpus Iuris Civilis*; quæ quid contineant paucis exponendum est. Corpus Iuris Canonici constat quinque partibus, Decreto, Decretalibus, Sexto Decretalium, Clementinis, et Extravagantibus. *Decretum* à Gratiano monacho Benedictino collectum tribus partibus componitur. 1ª continet 101 distinctiones: 2ª causas 36; et 3ª distinctiones 7 de Consecratione. *Decretales*, à S°. Raymundo de Peñafort Ord. Præd. iussu Gregorii IX. collectæ, in quinque libros distribuuntur; et dicuntur *Decretales*, quia continent decreta, constitutiones, epistolas, et responsa SS. Pontificum. *Sextus Decretalium* sic dicitur, quia quinque prioribus adiectus est à Bonifacio VIII. *Clementinæ* sunt Constitutiones à Clemente V. editæ; et *Extravagantes*, sic dictæ quia priùs extra corpus iuris quasi vagabantur, quædam sunt et dicuntur *Ioannis XXII:* aliæ aliorum Pontificum dicuntur *Communes*.

373 Corpus Iuris Civilis constat Digestis, Codice, Institutionibus, et Novellis seu Authenticis. Digesta alio nomine dicuntur *Pandectæ*, quasi diceret *totum capio*, quia universam iuris scientiam quinquaginta libris complectuntur. *Codex* dicitur *Repetitæ lectionis*, quia Iustinianus post primam editionem alteram accuratiorem curavit: constat duodecim libris. *Institutiones* quatuor libris continent elementa iuris in gratiam incipientium. *Novellæ Authenticæ* sunt constitutiones ipsius Iustiniani, et quorumdam aliorum Imperatorum.

§ II.

An leges humanæ etiam quæ tributa imponunt, et quæ rerum aliquarum usum aut commercium interdicunt, obligent in foro conscientiæ?

374 Prænotandum 1° quòd lex humana multa respicere debet, et secundùm personas, et secundùm negotia, et secundùm tempora. Constituitur enim communitas civitatis ex multis personis; et eius bonum per multiplices actiones procuratur; nec ad hoc instituitur, quòd aliquo tempore modico duret, sed quòd omni tempore perseveret per civium successionem. Hinc Lex differt à privilegiis et à Sententiis; nam *Privilegia,* quasi *privatæ leges,* respiciunt singulares personas, et tamen potestas eorum extenditur ad multa negotia. *Sententiæ* verò sunt applicationes legum communium ad aliqua particularia facta. *Q.* 96. *a.* 1.

375 Prænot^{m} 2° quòd lex humana non prohibet omnia vitia. Nam lex fertur pro multitudine, et debet esse possibilis; non est autem possibile multitudinem ab omnibus vitiis abstinere. Unde solùm prohibentur graviora, à quibus possibile est, quòd maior multitudinis pars abstineat; et præcipuè quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione humana societas conservari non posset, ut furta et homicidia. *Art.* 2. Similiter cùm lex ordinetur ad bonum commune, non præcipit eos actus virtutis, qui solùm tendunt ab bonum particulare. Quia tamen omnium virtutum potest esse aliquis actus ordinatus ad bonum commune vel mediatè vel immediatè; ideò omnium virtutum potest lex humana præcipere aliquos actus, ut actus fortitudinis in bello, modestiæ in vestitu, temperantiæ in cibo, cæt. *Art.* 3.

376 Prænot^{m} 3° quòd lex humana potest esse iniusta, vel quia contrariatur bono divino, ut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam: vel quia contrariatur bono

humano; idque tripliciter, vel *ex fine*, si non est bonum commune sed propria cupiditas aut gloria; vel *ex actore*, si legem fert ultra sibi commissam potestatem; vel *ex formâ*, ut cùm inæqualiter onera multitudini dispensantur. Unde lex dicetur iusta ex debitis fine, actore et formâ; quando nempè verus legislator proportionabiliter distribuit multitudini onera ad bonum commune imposita. *Art.* 4.

377 Prænot^m 4° quòd [1] *lex iniusta per contrarietatem ad bonum divinum, nec obligat nec observari potest*: [2] *lex iniusta per contrarietatem ad bonum humanum ex se non obligat*, [3] *obligat tamen sæpè etiam in foro conscientiæ ad vitandum scandalum vel turbationem.* Primum patet; quia obedire oportet Deo magis quàm hominibus. 2^m etiam constat; nam leges iniustæ magis sunt violentiæ quàm leges; nec ordo potestatis à Deo concessus se extendit ad iniustitiam. 3^m quoque patet; nam homo iuri suo cedere tenetur, seu bono suo particulari, ad vitandum scandalum aut turbationem, quæ sunt mala communia. *Art.* 4. Unde in his casibus tenemur opera per iniustam legem præcepta facere non ex vi legis iniustæ, sed ex vi legis naturalis, qua ad vitandum maius malum tenemur superiori etiam iniustè præcipienti passim obedire.

378 1^a conclusio: *Omnes leges humanæ obligant in foro conscientiæ: etiam quæ tributa imponunt, et quæ rerum aliquarum commercium aut usum interdicunt* (2). Pr. 1° ex D. Paulo ad Rom. c. 13. ubi ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideò necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideò enim et tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt, in hoc ip-*

---

(2) *Quæ hìc dicturi sumus, legibus omnibus generatim conveniunt: particulares difficultates, quæ circa leges ecclesiasticas occurrunt, Theologis et Iuris Canonici peritis expendendas relinquimus.*

sum servientes. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum tributum, cui vectigal, vectigal. Idem ad Titum 3. — I. Pet. 2. et alibi. Et observa hæc dicta esse de Principibus sæcularibus etiam ethnicis : ita ut etiam hi, quamvis non attendant ad forum conscientiæ, aut fortè illud ignorent, si tamen veram legem condant, obligant in conscientiâ.

379 Pr. 2° : Lex humana habet vim obligandi in foro conscientiæ à lege æternâ à qua derivatur, secundùm illud Prov. 8. *Per me Reges regnant, et legum conditores iusta decernunt.* Q. 96. a. 4. Pr. 3° : Ipsa recta ratio iubet ut iustis legitimorum superiorum mandatis, propter bonum commune latis, obtemperemus : ergo tenemur in conscientiâ illis obedire. Conf. : Præceptum patris in liberos aut heri in famulos, obligat in conscientiâ, ut docet D. Paulus *ad Ephes. c.* 6 : ergo et præceptum Principis in subditos. Hæc autem momenta, sicut in cæteris legibus, ita vim obligandi in conscientiâ apertè probant, tum in iis quæ tributa aut vectigalia imperant, de quibus expressè loquitur D. Paulus ; tum in iis etiam quæ rerum aliquarum usum aut commercium interdicunt ; præcipuè cum hæ leges, perindè ac cæteræ, iustæ esse possint, ut ex solutione argumentorum clariùs apparebit.

380 At inquies : Leges humanæ obligantne semper sub peccato mortali, aut semper sub veniali tantùm ? ℟. *Aliquando obligant sub mortali.* 1° nam ut ait Apost. Rom. c. 13. *Qui resistunt potestati, sibi damnationem acquirunt.* 2° gravis est obligatio solvendi grave debitum, quod summo iure exigitur : ergo gravis est obligatio obediendi legi in materiâ gravi, quam urget strictè Legislator. *Aliquando verò solùm obligant sub veniali ;* nam id etiam convenit legi naturali, ut in otioso verbo, aut levi furto apparet.

381 Inde rogabis iterum : Undenam dignoscetur quando lex humana obliget sub mortali, et quando solùm sub veniali ? ℟. in legibus civilibus non aliundè commodiùs quàm ex pœnis, quas adversùs legis infractores constituit Legislator. Ut nempè sub veniali tantùm obliget, quando levis est pœna, *nisi aliundè ex ipsis verbis legis rei*

gravitas iam innotescat. Contrà verò sub mortali obliget, quoties pœna constituta est gravis, ut pœna mortis, mutilationis, exilii, carceris perpetui, confiscationis omnium bonorum cæt.

382 Namque prudens Legislator non censetur præcipere, aut prohibere sub tam gravibus pœnis, quæ culpis proportionari debent, nisi et materia foret gravis, et ipse intenderet graviter obligare; sed si adest materia ex se vel ex circumstantiis gravis, et in Legislatore intentio graviter obligandi, lex obligat sub peccato mortali: ergo quando pœna est gravis, etiam obligatio. Minor à nemine in dubium vertitur: est enim evidentissima. Etenim aut nulla lex humana sub mortali seu sub gravi obligat, quod est contra Apostolum (n. 380); aut certè ita obligat ea in qua hæc duo concurrunt, materiæ gravitas, et Legislatoris intentio graviter obligandi.

383 Observa tamen 1° quòd materia hìc dicitur gravis vel levis iuxta connexionem quàm habet cum fine legis, qui in civilibus est bonum civitatis seu reipublicæ. Nimis est autem evidens, quòd res ex se parvi momenti potest ex circumstantiis esse summè necessaria ad bonum reipublicæ; adeòque *gravis materia* legis. 2° quòd ut meritò ait D. Th. 1. 2. q. 96. a. 6. *non pertinet ad quemlibet ut interpretetur quid sit utile, et quid inutile civitati, sed hoc solùm pertinet ad Principes.* Et hinc facilè colliges, quod ipsam materiæ gravitatem dignoscere debemus ex intentione Principis; et quam verè dixerit D. Th. 2. 2. q. 105. a. 2: *Ubi obligamur ex solo hominis præcepto, non est gravius peccatum ex eo quod maius bonum præteritur, sed ex eo quod præteritur illud, quod est magis de intentione præcipientis.*

384 II^a conclusio: *In nostrâ Hispaniâ leges quibus tabaci commercium, introductio, custodia, venditio, et emptio prohibentur, sub mortali obligant; sicque omnes fautores interdicti commercii circa tabacum, sive istud in regnum introducant, sive custodiant, sive vendant, sive introducentibus aut vendentibus opitulentur, imò ii etiam qui tale tabacum emant, quamvis non omnes æquè, omnes tamen peccant mortaliter.* Probatur 1° conclusio:

Sub mortali obligant eæ leges, quæ infractoribus gravissimas pœnas indicunt (n. 381); sed gravissimis pœnis interdicitur tabaci commercium, introductio, emptio, cæt: ergo.

385 Min. pr., et ne plures leges in medium adducere cogamur, sufficiet memorare Regium diploma anni 1760 die 17 Decembris, auctum altero diplomate anni 1761 die 22 Iulii, quæ sunt præcedentium in hac materiâ legum quasi compendium, et pro iudicio in eâ occurrentium causarum *Instructionem* continent. Huius ergo Instructionis cap. 27 decernitur, *quòd ultra pœnas omnibus contrabannis (3) communes, nedum iis qui tabaci interdictum commercium agunt, fovent, aut tegunt, sed iis quoque qui tabacum custodiunt, vendunt, aut emunt, imponatur pœna exilii in Africæ præsidiis*, 1ª *vice ad quinquennium*, 2ª *ad octo annos, et* 3ª *ad decennium;* sed hæc pœna præcipuè addita ingentibus sumptibus cæterisque pœnis in omni contrabanno luendis est abs dubio gravissima: ergo.

386 Pr. 2° concl.: Lex humana quæ est in materiâ

---

(3) Hispana vox Contrabando *idem est ac latinè* Contra regium edictum. *Non autem cuiuslibet regii edicti transgressio ab hispanis* Contrabando *vocatur; sed illorum tantùm, quæ rerum aliquarum interdicunt, aut usum, ut olim tabaci rasilis (vulgò* rapé*): aut invectionem in regnum, ut mercium ab iis ditionibus cum quibus bellum geritur: aut exportationem à regno, ut serici ac monetæ: aut tandem liberum commercium, ut tabaci cuiuslibet, salis, pulveris nitrati, et cæterarum rerum quarum monopolium regiis ministris conceditur, seu quarum vendendarum solùm regii ministri potestatem habent. Neque sola similium edictorum transgressio dicitur* Contrabando, *sed merx ipsa contra legem vendita, exportata, invecta, aut in usum sumpta. Has verò notiones omnes ut unâ voce comprehenderem, cùm nulla ex antiquo latio occurreret, ex nostrâ hispaniâ accepi* Contrabannum.

gravi, et in qua Legislator intendit graviter obligare, obligat sub peccato mortali (n. 382); sed in legibus circa tabaci contrabanna materia est gravis, et Legislatoris intentio est graviter obligare: ergo. Minoris 1ª pars constat. Agitur enim 1° de uno ex præcipuis regni redditibus, et de gravi damno regiis ærariis illato tum ob diminutionem proventuum ex tabaco à regiis ministris vendito prodeuntium, tum etiam ob ingentes sumptus ad contrabanna coërcenda necessarios. 2° agitur de gravissimâ iniuriâ irrogatâ toti populo, iis præcipuè qui ex labore vivunt. Nam et personalia tributa, et vectigalia in rebus necessariis, si non extingui, notabiliter minui possent, nisi contrabannis adeò minuerentur publici redditus ex vectigalibus circa res non necessitatis, sed solius commoditatis aut etiam luxûs impositis.

387 3° agitur de vitandâ plurium familiarum ruinâ. Nam ex contrabannis innumeras perire continuè cernimus. 4° agitur de mundando regno à perditissimorum hominum colluvie, qui contrabannis semper immixti, in regios ministros armati, Divinæ, ac humanæ iustitiæ timore excusso, in agricolarum villis, imò in publicis itineribus, ac etiam populis, latrocinia, homicidia, et omnis generis flagitia effrenes insolentesque perpetrant. Agitur demum de publicâ populi quiete servandâ, quæ præcipuè circa regni confinia continuè interturbatur: nedum intestino bello inter regios ministros, et hosce tabaci venditores aut conductores, sed et ipso tam perditæ gentis frequenti transitu, cuius solius aspectus, etiam si quando nil mali infert, timore ac pavore cunctos occupat. Hæc autem omnia gravissima esse, quis est qui non videat?

388 Pr. nunc 2ª minoris pars, seu intentionem Legislatoris esse graviter obligare in legibus circa tabaci venditionem, emptionem, etc. 1°: Legum infractoribus gravissimas pœnas indicit (n. 385); sed pœnæ graves essent iniustæ ob defectum levem: ergo intendit earum legum infractionem non esse defectum levem sed gravem. 2°: Contra violatores harum legum eas quoque probationes admitti iubet, quæ non nisi in summis flagitiis, et quæ reipublicæ plurimùm noceant, admitti consuescunt, ut

patet in citatâ Instructione, *cap.* 25. 3° : Varia media quibus tabaci contrabanna vitare conatur Legislator : specialia præmia, quibus eorum delatores remunerat: iusta severitas, qua delinquentibus pœnæ infliguntur, et alia innumera apertè demonstrant de crimine agi quod Legislator æstimat gravissimum.

389 Conf. 1° : Qui emunt tabacum modo interdicto adminùs peccant mortaliter contra charitatem seu amorem sui : ergo etiam ac potiori iure qui vendunt, conducunt, custodiunt, etc. Ant. pr. : Etiam emptores (n. 385) sese voluntariè exponunt gravissimis damnis, ut diuturno carceri, exilio in Africâ, maximæ bonorum iacturæ, dedecori toti familiæ inusto; sed gravi damno sese voluntariè exponere est grave peccatum : ergo. Conf. 2° : Peccant etiam contra charitatem proximi. Nam tabacum emunt, aut immediatè aut mediatè, ab iis qui non nisi illicitis commerciis occupati, vitam ducunt sine ullo religionis aut probitatis signo scelestissimam. Nimis autem evidens est, eos qui tabacum interdictum emunt, infelices hos homines in suâ perditione conservare; quod in eorum charitatem grave peccatum est (4).

390 III^a conclusio : *In nostrâ Hispaniâ omnes qui*

(4) *Prætereo varias ecclesiasticas Conciliorum, Pontificum, aut Episcoporum sanctiones, ex quibus nostra confirmari posset conclusio. Moneo tamen, ut attentè legantur, et præ oculis semper habeantur* Epistolæ ad Parochos et Prælatos Regulares, *à sapientissimis ac cordatissimis nostræ Ecclesiæ Barcinonensis Præsulibus Ilmo. D. D.* Iosepho Climent, *die* 4. *Aprilis* 1770. *et Ilmo. D. D.* Gavino Valladares, *die* 10. *Ianuarii* 1777. *et etiam à Excell. D. D.* Francisco Lorenzana, *Toletanæ Eccl. Archiepiscopo,* 11. *dec. an.* 1787. *conscriptæ. In ipsis, etsi paucis verbis, magnâ tamen doctrinæ copiâ declaratur, atque è sacrâ Scripturâ, et ab ipsâ naturali ratione convincitur, quàm falsa, erronea ac pestilens sit eorum opinatio, qui contrabanna, præcipuè tabaci, à peccato gravi excusare temerè moliuntur.*

II.

utuntur artefactis interdictis ab exteris ditionibus introductis, adminùs peccant venialiter; qui tamen vendunt aut introducunt passim peccant mortaliter. 1ª pars constat; nam usus ille est violatio legis iustæ, quæ adminùs peccatum veniale est (n. 387). Dixi *adminùs,* quoniam accidere potest, quòd aut ob contemptum legis, aut ob scandalum, peccatum evadat mortale. 2ª pars constat; nam similium mercium introductio semper gravissimè nocet artificibus patriæ, divitias regni nostri ad aliena transfert, et hinc alia innumera mala parit. Dixi tamen *passim* esse peccatum mortale. Cùm enim nec tales merces vendentibus adeò graves constitutæ sint pœnæ, nec tanta detrimenta, saltim nunc, ex earum contrabanno consequantur, ut in tabaco; ideò non negabo posse venditionem aliquam ob parvam quantitatem, aut alias circumstantias, à peccato gravi excusari.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

391 Obi. 1° contra I^m: Inferior non potest ligare in foro superioris; sed conscientia est forum superioris, scilicet Dei: ergo lex humana non obligat in conscientiâ. Conf. 1°: Legislator civilis nequit solvere in foro conscientiæ: ergo nec ligare. Conf. 2°: Potestas Legislatoris civilis est merè temporalis: ergo non extenditur ad forum conscientiæ, quod est spirituale. ℟. arg. dist. mai.: si inferior non sit superioris minister, nec eius vices gerens, conc.; secùs, nego; tunc enim qui potestati inferiori resistit, ordinationi superioris resistit. *Q. 96. art. 4. ad* 1^m.

392 Ad 1^m Conf. nego $cons^m$: non enim omnis qui potest ligare potest solvere, quia Legislator supremus potest dare potestatem ad ligandum, et non ad solvendum. Sic parentes possunt ligare filios in foro conscientiæ, in quo non possunt solvere: et homines possunt se ligare per vota et contractus, nec tamen possunt se solvere. Ad 2^m dist. ant.: est merè temporalis quantùm ad obiectum, conc.; quantùm ad obligationem ex illâ ortam, nego. Nil enim prohibet ex obiecto temporali oriri obligationem spiritualem et æternam. Itaque potestas civilis versatur circa tranquillitatem publicam, et reipublicæ bonum

commune promovendum; sed unusquisque tenetur sub peccato servare ea quæ ad hos fines sunt præcepta, sicut filii tenentur obedire parentibus in his quæ ad regimen familiæ pertinent.

393 Obi. 2° : Plures sunt leges pœnales; sed hæ non obligant in conscientiâ: ergo non omnes leges, etc. Min. pr.: Nimis durum apparet et contra Legislatoris intentionem quòd velit et ad pœnam et ad culpam obligare: ergo quando Legislator vult quòd transgressor legis subeat pœnam, signum est quòd velit ipsum non ligare ad culpam, sicque etc. ℟. nego ant.; imò è contrario non aliud evidentius signum est, quòd Legislator seriò intendat aliquid, sicque ad illud obliget, quàm pœnæ sanctio contra aliter facientes. Profectò pœna, quæ ad meliorem legis observationem statuitur, liberiores faceret homines ad eiusdem legis transgressionem, si lex, sine pœnæ sanctione ad gravem culpam obligatura, ex pœnæ sanctione desineret obligare. Minor est enim comminatio pœnæ temporalis quamlibèt acerbæ, quæ per legem humanam statui potest; quàm obligatio culpæ, quæ si mortalis est pœnam minatur æternam (5).

---

(5) *Hæc Alphonsus à Castro, in præfatione sui peregregii operis* De potestate legis pœnalis; *qui rursùs* lib. I. c. 10. *hæc habet: «In his omnibus tributis* (loquitur de « *impositis in rerum venditione,* aut quibusdam *mercimo-* « *niis quæ à regno ad alias provincias deferuntur, aut* « *ex aliis partibus ad regnum ipsum deportantur) quam-* « *vis sæpè et sæpissimè sit Rex à multis defraudatus, illi* « *tamen qui fraudaverunt, nullam prorsùs restitutionis* « *memoriam habent... Putant enim satis sibi esse quòd se* « *committunt periculo pœnæ, quæ contra sic facientes est* » *statuta.... Multi mercatores in variis Hispaniæ locis* « *me de hac re consuluerunt, quibus constanter et eodem* « *tenore semper respondebam, illos qui talia tributa de-* « *negant peccare mortaliter, et teneri ad restitutionem,* « *quamvis se exponant periculo pœnæ per legem imposi-* « *tæ... Et hæc est altera causa quæ me impulit ad scriben-*

394 Observa tamen leges passim dividi in *purè præceptivas*, quæ præceptum exprimunt, non tamen pœnæ sanctionem, ut lex de audiendâ missâ : in *purè pœnales*, quæ è contrario nil expressè præcipiunt, sed pœnam statuunt in eos qui aliquid egerint vel omiserint, ut si lex tantùm dicat : *Qui hoc fecerit capite plectatur ;* et in *mixtas*, seu quæ utrumque exprimunt, et præceptum seu prohibitionem, et pœnam, ut si lex dicat : *Nemo id audeat : si quis ausus fuerit morte moriatur.* De purè præceptivis et mixtis ex hactenùs dictis constat, et iam nemo catholicus ambigit, quòd ad culpam obligent. De purè pœnalibus communior ac certè tutior opinio est, quòd nedum ad pœnam obligent, sed ad ponendum quoque vel omittendum actum pro quo pœna sancitur. Ut tamen omnis æquivocatio tollatur, et dubia in praxi occurrentia facilè solvantur, aliqua præ oculis habenda sunt.

395 1°: Plures vectigalium leges esse *purè præceptivas*, quamvis *purè pœnales* videantur. Ita si lex tantùm dicat : *Qui vinum in urbem introduxerit, decem solvat*, lex non est pœnalis, sed purè præceptiva ; nam hæc solutio non est pœna, sed vectigal præceptum. Unde ea lex ut sit pœnalis debet addere : *Si quis autem non solvens introduxerit vinum, vinum perdat, aut tantùm mulctam solvat.* Extant igitur leges *purè præceptivæ*, quæ non unum determinatè actum præcipiunt, sed hunc vel illum disiunctivè ; ut prior lex quæ huic æquivalet : *Aut vinum non introducas, aut si introducis decem solvas.* Ubi non prohibetur introductio, sed præcipitur solutio in introductione : unde non peccat qui introducit dummodò solvat ; peccat tamen qui introducens non solvit.

396 2°: Si quando dubitatur, an solutio lege præscripta sit pœna seu mulcta, an verò sit solùm vectigal præceptum, ex intentione Legislatoris seu fine legis dubium sol-

---

« *dum hoc opus de potestate legis pœnalis, ut per illud*
« *huiusmodi errori occurrerem... Quod autem hæc senten-*
« *tia sit falsa, et apertum errorem contineat, ex eo con-*
« *vincitur etc.*

vi debet. Ita si lex dicit : *Qui frumentum è provinciâ evexerit tantùm solvat*, video autem regios ministros permittere evectionem frumenti, quod aliundè in provinciâ abundat ; intelligo finem legis esse impositionem vectigalis, sicque iis verbis contineri legem *purè præceptivam*, etsi disiunctivè seu conditionatè. Sin autem provincia frumenti penuriâ laborat, et regii ministri, si quem illud exportantem inveniunt, nedum solutionem exigunt, sed exportationem impediunt ; intelligo finem legis esse impedire exportationem, atque ad id transgressores mulctari ; sicque iis terminis contineri legem *purè pœnalem*.

397 Hinc 3° : Omnis lex *purè pœnalis*, etsi non exprimat, certò tamen includit præceptum vel prohibitionem. Imò impossibilis est lex ita purè pœnalis, ut solam pœnam sine præcepto aut prohibitione includat : etenim sine his ea quæ dicitur pœna iam non est pœna, sed est *vectigal personale aut reale lege præceptum*. Tandem leges ipsæ aut regia edicta, de quibus dubium aliquod occurrit, attentè legantur, et ferè semper dubitatio protinùs evanescet. Sic leges tributorum aut vectigalium, eæ quoque quæ rerum quarumdam usum aut commercium interdicunt, etsi pœnas sæpè sanciant, præcepta tamen aut prohibitiones etiam exprimunt : unde abs dubio *purè præceptivæ* sunt aut *mixtæ*, sicque abs dubio in conscientiâ obligant.

398 Obi. 3° contra II^{m} : Lex prohibens tabaci commercium est iniusta : ergo in conscientiâ non obligat. Ant. pr. : Nimis iniustum est tabacum à Rege vendi octuplo aut decuplo carius, quàm cum libero commercio veniret : ergo. Responderi posset, quòd etsi hæ leges forent iniustæ, tamen illis conformari teneremur sub peccato mortali, tum ob pœnas, quibus nos subiiceremus, tum ad cætera vitanda mala quæ ex earum inobservantiâ consequuntur (à n. 386). At meliùs ℟. hanc obiectionem non nisi ex tenebris, quas turpis auri cupido menti offundit, procedere posse. Nam nemo ignorat pretium tabaco à Rege constitutum esse verum vectigal, sicut alia omnia, quæ ad militiæ, iustitiæ, cæterosque regni sumptus imponuntur, ut proindè velle Regem, ac si esset privatus

quidam negotiator, ex iustitiâ teneri tabaco constituere pretium paulò maius ipsius valore, summa stultitia sit.

399 Itaque cùm iustitia distributiva exigat reipublicæ onera inter subditos esse distribuenda, servatâ quoad fieri potest ad cuiusque vires proportione; ideò prudenter æstimarunt Legislatores, vectigalia maiora iis rebus esse imponenda quæ vitæ necessariæ non forent, sed solùm divitum commoditati aut luxui inservirent, quibus proindè qui rei penuriâ opprimerentur carere possent. Hinc prudentissimè regii Hispaniæ Ministri cogitarunt, ut pro singulis tabaci pondo, certum vectigal Regi, aut regno impenderetur. Atque ad faciliorem huius vectigalis exactionem opportunissimè iudicatum est illius commercium interdicere, et per regios administros in Hispaniâ tabacum unicè vendi, eius valori additâ summâ, quam usus quibus destinata est, pro variis temporibus exigant. Ergo nimis est evidens, iustitiam in tabaci regii pretio non ex eius valore, sed ex regni necessitatibus esse repetendam.

400 Inquies verò: Summum regii tabaci pretium ipsis regiis ærariis nocet, dum maioris lucri ac proindè maioris frequentiæ in contrabannis occasio est: ergo lex ipsum constituens contra bonum commune est, sicque iniusta, sicque non servanda. Sed quid stultius excogitari potest quàm velle sub hoc prætextu interdicti tabaci usum excusare? Profectò res est in politicâ difficillima ac laboris plena, tributorum ac vectigalium dispositio, qua regni proventus maiores cum minori clientum incommodo sint. Et cùm in hunc finem lege stabilita sint quorundam rerum monopolia, nemo politicus ignorat in his fieri posse ut aucto pretio, rebus à regiis ministris unicè venditis constituto, regii proventus minuantur, minuto augeantur. Si nempè ex pretio summo, aut usus ita minuatur, aut ita augeatur contrabannum, ut apud regios ministros magis importet diminutio venditionis, quàm augmentum pretii.

401 At 1° hoc examen pertinet ne ad privatum quemlibet, an ad solos administros in id à Rege destinatos? Ad hos solos pertinere evidentissimè comprobatur ex doctri-

nâ D. Th. 1. 2. *q*. 96. *a*. 6. *et* 2. 2. *q*. 64. *a*. 3. statuit, ad solos Principes, et eos qui curam communitatis habent, pertinere curam boni communis, et discernere quid sit utile et quid inutile civitati aut reipublicæ. 2° hoc examen à quo rectiùs fieri poterit, à privatis quibuscumque, an à regiis administris? Sanè in nostrâ præcipuè Hispaniâ evidentissimum est, notiones seu notitias, à quibus quasi à principiis huius quæstionis resolutio pendet, non nisi à regiis in supremo Regiorum proventuum Senatu Administris exactè haberi.

402 Demum ac præcipuè: Quamquam regii Administri in hoc examine errassent; atque pretium tabaco nunc constitutum, retrahendo plures ab usu omnis tabaci, et alios inducendo ad usum interdicti, regios proventus minueret, ¿hic politicus error essetne sufficiens, ut privatus quilibet interdicto tabaco licitè uteretur? Certè nil adstrui posset reipublicæ perniciosus; nam sic et tributorum omnium solutio, imò legum omnium observantia à subditorum arbitrio unicè penderet.

403 Nam quodnam est tributum quod cuilibet subdito non facilè appareat in utilius aliud posse commutari, aut etiam utilissimè augeri aut minui? Quænam est lex, cuius observantiam qui velit eludere, non facilè excogitet moderationem ipsi utiliter adhibendam, aut legem aliam eius loco subrogandam? Ergo aut nulla erit legis humanæ obligatio, aut pro certo habendum, leges prohibentes tabaci ab aliis quàm à regiis ministris emptionem, gravissimè obligaturas fore, quamquam pretium nunc constitutum posset in vilius aliud cum reipublicæ utilitate commutari.

404 Obi. 4°: Licèt tabaci venditores gravis peccati accusentur, durius tamen apparet eâdem censurâ eos qui ad proprium tantum usum emunt, inurere: ergo saltem qui emunt non peccant mortaliter. Ant. pr. 1°: Damnum regio ærario illatum ab uno homine in usu tabaci interdicti, non videtur grave. 2°: Etsi foret, sæpè cohonestari posset, quoniam tabacum à regiis ministris venditum vilissimum est. 3°: Quid? Eos ne omnes mortalis peccati reos damnabimus, qui tabaco interdicto utuntur;

cùm tot sint, et inter eos plurimi aliundè timidæ conscientiæ viri?

405 ℟. nego ant. Ad 1^m prob. non diffitemur in hoc damno illato regiis ærariis parvitatem materiæ esse posse, sicut in aliis furtis. Expendendum igitur iudico quantum lucri regia æraria habuissent in quantitate tabaci interdicti quod emitur, si è regio fuisset emptum. Si hoc lucrum impeditum ad quantitatem pervenit, quæ communiter in furto æstimatur sufficiens ad peccatum mortale, peccatum mortale erit; sin minùs, *quod ad materiam attinet*, veniale.

406 Ad 2^m dic, prætextum illum tum esse falsum, nam et in magnis, et in mediocribus populis tabacum regium est interdum optimæ, at semper variæ sufficientisque suavitatis, imò interdictum non rarò est omninò terreum: tum etiam fore insufficientem, etsi foret verus. Imò pudet esse homines qui ab observantiâ gravissimarum legum, à legitimo Principe summo iure exactâ, sese excusare contendant, sub prætextu aliquantulùm maioris suavitatis, aut deliciæ in re minimè necessariâ. Adde verò hæc duo argumenta minimè tangere culpam gravem, quæ est in emptione tabaci, tum ex pœnis ipsi constitutis, tum ex cooperatione cum damnis, quæ hoc commercium consequuntur.

407 Ad 3^m verò ℟. pessimum esse in morali doctrinâ iudicium, quando ex iis quæ passim fiunt, quæ sint facienda colligimus, seu ex factorum numero ipsorum iustitiam; præcipuè in iis factis, ad quæ passiones vehementer trahunt. Nullus est enim qui nesciat longè plures esse qui passionum tyrannidi, quàm qui rationis regimini in suis actibus subiiciantur. Actum esset de rationali castitate, si omnes illi actus, ad quos maior hominum numerus trahitur, et aliqui etiam timidæ conscientiæ viri interdum decidunt, eo ipso deberent immunes ab omni gravi culpâ iudicari. Iam verò etsi concupiscentia carnis vehementior esse soleat, ac manifestior quàm auri cupido, hæc tamen non minùs universalis ac efficax est, imò utpote magis occulta sub ficto honestatis velo sua facinora faciliùs obducit. Ergo si nimis multi sunt, qui tabaco

interdicto sine scrupulo utantur, dolendum est sanè tot esse hac crassâ ignorantiâ obcæcatos; at ridiculum foret ex eorum numero potiùs quàm ex rationum pondere talis usûs honestatem aut inhonestatem æstimare.

408 Quæres 1°: Quinam legibus humanis subiiciantur? ℟. quòd in lege et est vis *directiva*, quatenùs est regula humanorum actuum, et vis *coactiva*, quatenùs indicit pœnam inductivam ad observantiam legis. Itaque quoad vim directivam omnes illi qui subduntur potestati, subduntur legi quam fert potestas. Sed quoad vim coactivam si propriè loquamur solùm mali subduntur legi non autem boni, qui non ex metu pœnæ, sed ex amore iustitiæ, seu non coactè sed omninò voluntariè legi obtemperant. Similiter Princeps non subditur legi quoad vim coactivam; nam à nullo cogi potest, et nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat; subditur tamen quoad vim directivam, iuxta illud: *Quod quisque iuris in alterum statuit, ipse eodem iure uti debet.* Q. 96. a. 5.

409 Quæres 2°: An ei qui subditur liceat præter verba legis agere? ℟. *Licere in iis tantùm casibus, in quibus observatio legis secundùm verba foret certò, evidenter, ac subitò damnosissima communi saluti.* Dixi *certò* ac *evidenter*; nam si est dubium, debet vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere. Addidi *subitò*; si enim periculum non sit subitum, non pertinet ad quemlibet ut interpretetur quid sit utile, et quid inutile civitati; sed hoc solùm pertinet ad Principes, qui propter huiusmodi casus habent auctoritatem in legibus dispensandi.

410 Si verò sit subitum periculum non patiens tantam moram ut ad superiorem recurri possit, ipsa necessitas dispensationem habet annexam, quia necessitas non subditur legi. Imò cùm ex intentione Legislatoris lex semper ordinetur ad bonum commune, nec possit lex omnes singulares casus prævidere; si in aliquo ex litterali observantiâ legis sequatur *certò et evidenter subitum* malum, evidens est quòd Legislator non intendit in tali casu obligare. Sic intentioni legis statuentis in civitate obsessâ por-

tas esse clausas, non opponitur, quòd aperiantur ad ingressum civium, quos hostes insequuntur. *Q.* 96. *a.* 6.

§ III.

An leges humanæ consuetudine aboleri, et à Superiore dispensari possint?

411 Prænotandum 1° quòd ut ait Aug. I. de lib. arb.: *Lex temporalis quamvis iusta sit, commutari tamen per tempora iustè potest.* Idque duplici causâ. 1° ex parte rationis dirigentis, quæ sicut in speculativis scientiis, ita in practicis ab imperfecto ad perfectum procedit. 2° ex parte hominum directorum, qui pro variis temporibus et moribus varias leges exigunt. *Q.* 97. *a.* 1. Observandum est tamen, quòd assuetudine legis observantia fit facilior ac suavior; ut proindè ipsa legis mutatio, quantum est in se, sit detrimentum quoddam communis salutis. Unde nunquam debet mutari lex humana per aliam, nisi per istam compensetur communi saluti, quantum ex ipsâ mutatione derogatur; seu ut aiunt Iurisperiti: *In rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ut rectè recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est.* Q. 97. a. 2.

412 Prænot^m 2° quòd consuetudo est: *Ius quoddam hominum moribus institutum, quod pro lege suscipitur cùm deficit lex.* Dicitur *Ius*, quia debet esse iusta, et à corruptelâ ac abusu distincta; nec consuetudo est usus frequens, sed ius ex tali usu ortum. *Hominum moribus institutum;* non enim fit à Superiore ut lex, nec verbis, sed factis. Cæteræ particulæ vim consuetudinis exprimunt.

413 I^a conclusio: *Consuetudo vim habet legis, legem abolet, et est legum interpretatrix.* Pr.: Verbis statui potest nova lex, antiqua aboleri, et dubia interpretari: ergo etiam factis seu iteratis actibus, qui efficiunt consuetudinem. Cons^a. pr.: Omnis lex proficiscitur à ratione et voluntate Legislatoris; sed ratio et voluntas sicut verbis, ita etiam factis præcipuè repetitis manifestantur: ergo si etc. Hinc consuetudo *pro lege suscipitur cùm deficit lex.* Nam 1° lex deficit, id est, *non est;* et tunc consuetudo

fit quasi lex, seu vim legis habet. 2° lex deficit, id est, *fit inutilis;* et tunc consuetudo legem abrogat. 3° lex deficit, id est, *est obscura ;* et tunc consuetudo superveniens est legis interpretativa. *Q.* 97. *a.* 3.

414 IIa conclusio : *Legislator humanus in suis legibus dispensare potest.* Pr. : Lex conveniens ut in pluribus, aliquando non est conveniens huic personæ aut in hoc casu ; sed periculosum esset ut hoc iudicio cuiuslibet committeretur, nisi propter evidens et subitum periculum (n. 410) : ergo ille qui regit multitudinem, habere debet potestatem dispensandi in lege humanâ ; ut scilicet in personis vel casibus in quibus lex deficit, licentiam tribuat ut præceptum legis non servetur. Si autem absque hac ratione pro solâ voluntate dispenset, erit in dispensatione infidelis aut imprudens : *infidelis,* si non intendit bonum commune : *imprudens* autem, si rationem dispensandi ignoret ; propter quod Dominus dicit Luc. 12 : *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Q. 97. a. 4.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

415 Obi. 1° contra Im : Ex multis malis nequit fieri unum bonum ; sed actus facti contra legem sunt mali, et lex est quoddam bonum : ergo ex illis actibus nequit fieri lex ; sicque etc. Conf. : Lex debet esse à personâ publicâ ; sed consuetudo est à privatis : ergo. ℟. arg. 1° dist. mai. : fieri, id est *componi,* conc. ; fieri, id est *nasci,* nego. Quamvis enim dum manet ratio ob quam primò lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincat ; tamen potest etiam ex nimis iteratis malis actibus contra legem, tandem concludi, quòd lex iam non est possibilis secundùm consuetudinem patriæ, sicque iam eo ipso est inutilis ; adeòque aboleri potest aut novâ lege, aut ipsâ consuetudine.

416 ℟. 2° quòd cùm lex in quibusdam casibus deficiat, possunt similes casus ob aliquam mutationem hominum ita multiplicari, ut iam longè plures sint quàm casus in quibus lex est utilis ; et tunc aut novâ lege aut ipsâ consuetudine abrogatur lex, quæ semper debet esse

utilis ut in pluribus. *Art.* 3 *ad* 1m. Ad Conf. ℟. quòd consuetudo solùm vim legis habet à Legislatore. Nam si multitudo, in qua lex introducitur, adeò libera est, ut sibi possit legem facere; tunc factis ipsis manifestatur consensus Legislatoris, nempè totius populi. At si multitudo non habeat potestatem condendi aut abrogandi leges; tunc consuetudo obtinet vim legis in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere: ex hoc enim ipso videntur approbare quod consuetudo introduxit.

417 At quæres: Unde dignoscemus, an consuetudo obtinuerit iam vim novæ legis, aut veterem abrogaverit? ℟. quòd si Princeps consuetudini suum consensum expressè tribuerit, vim legis obtinet. Contrà verò si Princeps consuetudinem destruere nititur, legis oppositæ observantiam iterum exigendo, aut ministris iniungendo, tunc quæ dicitur consuetudo, non talis est, sed corruptela et abusus. At si Princeps omninò taceat, et consuetudinem ignorare nequeat, prudentis viri iudicio standum est, qui omnibus attentis circumstantiis expendat, an silentium sat duraverit ut pro consensu æstimetur.

QUÆSTIO III.

DE VARIIS HOMINUM OFFICIIS.

418 Officium est quod quisque efficere debet: ac si debet ex iustitiâ, dicitur *officium perfectum*; si solùm ex humanitate, beneficentiâ, aut charitate, dicitur *officium imperfectum.* Cùm verò quæ efficit homo, vel ad Deum, vel ad seipsum, vel ad proximum ordinare debeat *(Vid. D. Th. in c. XIV. Ioan. lec.* 7. *et* 2. 2. *q.* 183*)*, ideò triplex officiorum genus distinguitur; de quibus sequentibus articulis breviter disseremus.

ART. I.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM.

419 Officia omnia erga Deum complectitur *Religio*, seu virtus illa, qua Deum eo quo decet cultu, honore ac reverentiâ prosequimur. Sed quoniam, ut Lact. Div. Instit. l. 4. ait, *non potest religio à sapientiâ separari, nec sapientia à religione secerni; quia idem Deus est, quem scire oportet, quod est sapientiæ, et idem quem colere, quod est religionis;* ideò ante omnia Dei cognitio procuranda est. Nec credere sufficit Deum esse æternum, incorporeum, mundi Creatorem, et Dominum; sed opus est ipsius attributa diligentiùs contemplari, quo vitæ nostræ officia faciliùs sanctiùsque servemus. Etenim si Dei immensitatem et omnipræsentiam contemplemur, conabimur esse puri ac sancti, quoniam perpetuò sumus in conspectu Dei: si omnipotentiam et omniscientiam, occulta quoque facinora vitabimus, cùm nil Deum latere possit, nec eius punitionem possit aliquis effugere aut impedire: si iustitiam, et timebimus peccatum, et iniustè ab hominibus vexati consolabimur etc.

420 Officia erga Deum distingui solent in externa et interna. Nam ut observat D. Th. 1. 2. q. 101. a. 2: *Cùm homo sit compositus ex animâ et corpore, utrumque debet applicari ad colendum Deum: ut scilicet anima colat interiori cultu, et corpus exteriori.* Huius exterioris cultûs seu officii est: non loqui de Deo nisi honorificentissimè: Dei cognitionem ac cultum apud alios promovere piis moribus, suasionibus et scriptionibus: et actibus externis sese excitare ad interna officia, eaque manifestare. Itaque cultûs exterioris *sensibilia opera,* ut ait D. Th. III. contra Gent. c. 119. *excercentur ab hominibus, non quibus Deum excitent, sed quibus se ipsos provocent ad Divina.... ut per hæc sensibilia opera intentio nostra dirigatur in Deum, et affectio accendatur.*

421 Unde meritò concludit, quòd ii qui externum cultum superfluum iudicant aut reprehendunt, *se homines*

esse non meminerunt, dum sensibilium sibi repræsentationem necessariam non iudicant ad interiorem cognitionem vel affectum ; nam experimento apparet, quòd per corporales actus anima excitatur ad aliquam cognitionem vel affectionem. Ubi observa, externum cultum necessarium esse non modò societati, sed cuilibet homini, etsi solus in terrâ foret. *Sicut autem corpus ordinatur in Deum per animam ; ita*, ait D. Th. loco citato ex 1. 2. *cultus exterior ordinatur ad interiorem cultum. Consistit autem interior cultus in hoc quòd anima coniungatur Deo per intellectum et affectum.* Adeòque præcipua erga Deum officia interna seu cultûs interioris sunt : *Amor, timor, gratiarum actio, obedientia, et oratio.*

422 In primis *Deum amandum super omnia, et quidem purissimo amore*, naturæ ratio dictat. Etenim si naturâ ipsâ abripimur, ut ea diligamus, quæ bona, quæ iusta, quæ perfecta sunt, tantòque purior est nostri cordis amor, quantò nobilior est bonitas et perfectio, quæ in obiecto reperitur : quis non intelligat naturalem et perfectissimum esse oportere amorem illum, quo Deum summè perfectum, infinitâ excellentiâ, bonitate, maiestate præditum, diligamus? Adde quòd Deus ut summè bonus in se est, ita respectu nostri : ipse nos amat, et quòd eum nos amemus præcipit. Igitur et propter se, et propter nostram utilitatem Deus est à nobis diligendus.

423 *Timendus etiam ;* at timeri potest Deus timore *filiali* vel *servili*. Filialis ex amore Dei nascitur ; servilis ex metu pœnæ. Filiali Deum veremur ut patrem qui nos amat ; servili formidamus ut Dominum qui punire potest. *Timore filiali timendus Deus ;* nam est amandus ut bonus, ut pater, ut beneficus, ut ultimus noster finis : qui autem ita Deum amat, timet quidquam facere quòd ille improbet : non ne puniatur, sed quia veretur eum, quem amat, lædere. *Etiam timore servili ;* nam cùm potentissimus sit, eiusque voluntas immutabilis, certa est pœna quam peccatoribus minatur : itaque hac etiam ratione iustus est Dei timor. Hunc *initium sapientiæ* vocat Hieronymus in Prov. : illum *sapientiam perfectam et consummatam*. Est ergo ille altero sanctior et purior.

424 Quòd si Deum ipsum veluti provisorem beneficentissimum, amantissimumque Patrem consideremus, qui ferè infinita beneficia nobis concesserit; qui mortalium precibus, lacrymis, ac votis benigno clementiæ sensu inflectatur; qui nova semper ac uberrima munera largiatur; si seriò perpenderimus tot nominibus et nos et quæcumque possidemus ipsi debere, ut nihil quod penes nos sit ab hoc generali debito excipi possit: intelligemus profectò quantum sit nostri officii singulis ferè momentis summam Dei in nos beneficentiam recolere, summum illius dominium agnoscere ac venerari; Dei beneficia non sine grato animo propriæ vilitatis sibi conscio, summæque Dei in nos misericordiæ memori, accipere; atque *Deo benefactori*, si non debitas, quod fieri certè non poterit, continuas saltem ore pariter et linguâ, nedum corde et intimo affectu *gratias rependere*.

425 Ea autem est perfectissima gratias ipsi agendi ratio, quòd nos Divinæ ipsius ordinationi ita subiiciamus, ut sive in prosperis sive in adversis æquum semper animum, parem quoque tranquillitatem servemus. Non enim minùs diligit Deus quos adversis tentat, quàm quos bonis cumulat: imò utilissimum plerumque est incommodis et ærumnis conflictari, ut mens quæ rebus secundis suæ infirmitatis oblita torperet, fortiùs erigatur, et ad eum, à quo auxilium omne expectare debet, confugiat, ipsiusque opem imploret. Hac verò felici animi æquabilitate disponimur ad illud humile erga Deum supremum Dominum *obsequium* et perfectam *obedientiam,* quibus [1] Divinarum legum cognitionem diligenter inquirimus, [2] leges cognitas vehementer amamus, [3] vitam secundùm eas instituimus, [4] atque Deo magis quàm animi nostri passionibus, et quàm hominibus cæteris obedimus.

426 Quòd ad *orationem* spectat, id potissimùm à Deo petere nos æquum est, quòd et nobismetipsis et aliis prodesse possit: animum videlicet ad Divina mandata exequenda paratum, et voluntatem ad benefaciendum iis, quibuscum vivimus, propensissimam. Petere sanè possumus ea quibus honestè præsens vita subsistat, at ea potiùs quæ æternæ saluti sint profutura; ea verò tantùm

quæ decora, quæ iusta, quæ Deo sint placita. Hinc Pytagorici à Clem. Alex. *Stromatum* IV. mirificè commendantur, quòd *clarâ voce Deos precari* iusserint; *non quòd precantes submissâ voce audire Numina non valeant; verùm quòd esse iustas preces velint, et quales quis concipere multitudine consciâ non vereatur.* Hinc illud Senecæ præceptum (De Benef. lib. IV. c. 17): *Sic vive cum hominibus tamquam Deus videat; sic loquere cum Deo tamquam homines audiant.*

427 Hæc omnia Philosophi Ethnici cognovere; at Philosophus Christianus omnia erga Deum officia, quantò perfectiùs dignoscere poterit? quantò faciliùs adimplere? Divinæ revelationis face prælucente Dei attributa clariùs percipit, plura incomprehensibilia mysteria admiratur, et ut ait Paulus II. ad Timot. 3. v. 17. ad omne opus bonum instruitur, ut perfectus sit homo Dei. In solo humanæ redemptionis opere nonne copiosiùs et expressiùs, quàm in universâ naturâ, Divina Bonitas, Iustitia et Beneficentia patescunt? Qua efficaciâ nos impellunt, ut humili gratoque animo in Dei timore ac amore continuè crescamus? Iam verò Iesu-Christi Domini nostri obedientia usque ad mortem, mortem autem crucis pro nobis patientissimè toleratam, quantâ vi ad perfectam Dei obedientiam nos trahit? Quàm firmum spei nostræ fundamentum in ipso Christi Redemptoris sanguine et amore collocat? Quàm copiosum gratiarum fontem aperit, quibus, quæ difficiliora videntur officia, faciliter ac suaviter adimpleamus?

428 Sanè ut rem diffusæ orationis dignissimam, paucis verbis comprehendamus, cùm officiorum nostrorum in Deum summa sit, *ut nihil nos ab illius dilectione, et mandatorum executione dimoveat;* habet Philosophus Christianus super Ethnicum, in doctrinâ revelatâ fulgentissimam lucem qua mens in dignoscendis Divinis perfectionibus ac mandatis dirigatur: habet in gratiæ viribus firmissima vincula, quibus Deo per amorem et obedientiam tam arctè coniungatur, ut illud Apost. ad Rom. 8. v. 35. possit assumere: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nudi-*

tas, an periculum, an persecutio, an gladius?.... Neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESU Domino nostro.

ART. II.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSUM, PRÆCIPUE IN ADOLESCENTIA.

429 Naturale est homini, nec præcipiendum, ut se amet; at præcipiendum est tamen ut se ex rectâ ratione amet. Imò omnium erga se ipsum officiorum summa est, ut ob sui amorem ad veram felicitatem rectè dirigatur, et quidquid ab ipsâ consequendâ retrahere vel retardare possit, sedulò diligenterque declinet. Primum igitur hominis erga se ipsum officium illo veteri præcepto continetur: *Nosce te ipsum;* nempè ut humanus animus se ipsum, indolem, vires, naturamque propriam accuratissimè inspiciat. Cùmque se Divinæ propemodùm originis esse noverit, et corruptibilibus rebus quæ ipsum circumstat puriorem; intelligat ad perfectiorem, quam hæc caduca offerant, felicitatem esse destinatum, nec ipsis servire sed rectè uti oportere.

430 Sicut autem propriam naturam, ita sui statûs ac muneris officia debet quilibet homo attentè considerare, ut ea accuratè adimpleat; suos item natales, fortunam et facultates, ut his omnibus commensuratam vivendi rationem instituat. Atque inde intelliget, servandam esse ubique mediocritatem, sive in iudicio quod de se ipso fert quilibet, sive in motibus et gestibus externis, sive in vestitu et ornatu, sive in mensâ et ferculis, iuxta illud Iuvenal.: *Noscenda est mensura sui, servandaque rebus in summis minimisque.*

431 Secundum hominis officium est: *Mentem perficere, et affectus componere.* Sed quoad mentis perfectionem, spectanda cuiusvis hominis conditio est; neque ea-

dem diversos decent. Aliud est studium hominis Negotiatoris, aliud Causidici vel Iudicis, aliud Agricolæ vel Fabri. Sed iis tamen omnibus, et religionis studium, et eorum, quæ ad peculiarem statum pertinent, et aurea etiam illa mediocritas, quæ monet non plùs sapere quàm oportet sapere, commendanda sunt. Quoad voluntatem danda est opera, ut non appetamus nisi bona vera, nec aversemur nisi vera mala. Cùmque appetitus sensitivus sæpissimè feratur in bonum apparens, curandum est diligenter, ut cum rationali consentiat; id quod fieri nequit nisi sensus, imaginatio, affectusque omnes appetitûs, rationis dominio subiiciantur.

432 Tertium officium erit: *Corpus tueri ac dirigere.* Corpus itaque 1° necessariis non superfluis alimentis pascendum est, ne vel in labore deficiat, vel in rectorem suum, nempè animum, insolentiùs efferatur: non enim quid gula suggerat, sed quid natura requirat attendendum. 2°: Nec molliter curandum corpus, nec otio frangendum; sed labore et exercitatione ipsius vires fovendæ et corroborandæ sunt. Tutò enim pronuntiare licet, hominem nil agendo id addiscere ut malè agat. 3°: Vita corporis sedulò custodienda; non enim eius domini sumus, sed ut præclarè ait Lactantius: *Sicut in hanc vitam non nostrâ sponte venimus; ita rursùs ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, eiusdem iussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos donec iubeat emitti.*

433 Quæres autem 1°: An suicidium ob gravem causam, utpote ob pudicitiam conservandam, vel ob vitandam calamitatem morte ipsâ amariorem, sit aliquando licitum? ℟. negativè. Nulla enim tanta esse potest naturæ necessitas, quæ id nobis conferat imperium quod sibi reservavit Deus. Unde qui se interimit peccat *contra Deum,* cuius iudicium usurpat: *contra communitatem,* cuius partem destruit; et *contra seipsum*, cuius conservationem ex naturâ et charitate curare debet. *D. Th.* 2. 2. *q.* 64. *a.* 5.

434 Adde, quòd Divinæ Providentiæ gravem iniuriam irrogat, qui angustiis oppressus se interimit. Nam si Deo,

omnia sapientissimè gubernanti, in eas rerum angustias quæ intolerabiles videntur nos coniicere placet: credendum est id è re nostrâ esse; adeòque nullo modo licere adversari, nisi aut de sapienti Dei gubernatione diffidere velimus, aut apertè eam violare parati simus. Imò vitam sic proiicere non fortis, sed abiecti animi signum est; etenim

> Rebus in adversis facilè est contemnere vitam:
> Fortiùs ille facit, qui miser esse potest.

435 Quæres 2°: An pro patriæ bono aut religionis defensione liceat mortem oppetere? ℟. nedum licitum, sed quandoque debitum esse. Nam ex eodem naturæ iure, quo servare vitam, Deum quoque et homines alios amare seu complecti debemus; proindè vitæ nostræ amor, neque religioni et amori, quo Deum diligere iubemur, neque charitatis et eximiæ societatis legibus, quibus cum aliis devincimur, opponi potest. Hinc quoties religio aut commune societatis bonum ita exigit, mortem lubenter subire, aut etiam oppetere officium est. Præ oculis autem habendum, mortis formidine nos negligentes, ac in omnibus timidos effici; rectamque rationem præcipere, mortem, cuius nos nullatenùs causa simus, aut quam pro religione vel patriâ iustè subeamus, aut parùm timendam, aut omninò contemnendam esse: quippe quæ et finem præsentibus calamitatibus, et vitæ beatioris initium faciat.

436 Quæres 3°: An ad perversos animi affectus domandos, aut præterita vitia expianda liceat corpus excruciare? ℟. affirmativè; neque enim hoc fit ex odio in corpus nostrum, sed potiùs ex recto in illud amore; non ut interimatur corpus, sed ut spiritui subiugetur, quod naturalis ordo desiderat, ut ait D. Aug. *lib. I. de doct. Christ. c.* 34. Quare dum valetudinis nostræ conservationem iubet lex naturalis, id non ita intelligendum est quasi corporis vires ieiunio, aliisque salutaribus pœnis deprimere, atque debilitare non liceat. Quia cùm anima sit pars nostri dignior atque nobilior, adlaborare oportet, ut corpus ei subditum sit, ac appetitus sensitivus cum ratio-

nali consentiat. Ut tamen in his etiam aurea mediocritas teneatur, non proprio, sed alieno, prudentis scilicet ac circumspecti viri, iudicio, corporis afflictiones dirigendæ sunt.

437 Demum in quacumque ætate homo constitutus sit, eius officium erit, ut defectus seu vitia quæ secum ætas ferre solet, à longè fugiat; virtutes verò seu dotes, quæ sint ætatis ornamenta, consequatur. Sic pueri continuè admonendi sunt, ut socordiam, luxum et sordes evitent, simplicem animum, et in litterarum ac morum institutione docilem et promptum, induant. Qui in virili ætate sunt, ambitionem, superbiam, ac præcipuè iactantiam declinent, nobilem verò in rebus moliendis animi magnitudinem, et in agendis alacrem diligentiam præseferant. Senes ne avari sint, invidi, meticulosi, queruli, loquaces; sint verò sobrii, patientes, sermonibus sententiosi, gestibus serii, quo prudentiam doceant adolescentes, et quam experientiâ acquisiverunt, sentiendi gravitatem, ac iudicii maturitatem omnibus amabilem reddant.

438 His obiter attactis, adolescentium seu iuvenum officia paulò fusiùs exponenda sunt. Iuvenes verò seu adolescentes hìc indiscriminatim appellamus eos omnes, qui à pueritiâ, seu ab anno ætatis circiter decimoquinto exeuntes, ætatem virilem seu mediam, nempè trigesimum annum nondum attingunt; qua nempè periodo et mores tota vitâ constantes indui solent, et certa vivendi ratio seu status eligi. Nolumus autem de cuiuslibet ætatis limitibus concertare.

439 Primum ergo iuvenum officium est, præ oculis semper habere mores, quos in iuventute induerint totâ vitâ permansuros; stultèque quosdam iuvenes sibi persuadere, quòd facilè succedentibus annis excutient vitiosas consuetudines in adolescentiâ contractas. Ut enim nos monet Salomon, Prov. 22: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab eâ.* Et ut ait D. Hieron. Epist. ad Lætam: *Difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchilia quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu et saporem retinet et odorem, quo primùm imbuta est.* Hinc constans To-

biæ virtus, ac ea, qua etiam senex, captivus et cæcus potitus est felicitas, inde repetitur *Tob.* I. quòd *cùm esset iunior omnibus in tribu Nephtali, nil tamen puerile gessit in opere.*

440 Secundum ergo iuvenum officium erit, cum vitiis ad quæ iuventus magis prona est, perpetuum bellum gerere. Sunt autem 1° *indocibilitas*, qua maiorum documenta aut increpationes contemnuntur. Inde Salomon Prov. 5. hæc habet: *Nunc ergo, fili mi, audi me, et ne recedas à verbis oris mei... Ne gemas in novissimis et dicas : Cur detestatus sum disciplinam et increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam?* Itaque meritò ait Hier. in cap. 5. Amòs : *Grande peccatum est odisse corripientem, maximè si te non odio sed amore corripiat.*

441 2° *inconstantia*, seu ea iuvenilis animi levitas, qua tum nova semper molitur, tum etiam passionibus hinc inde agitatur, amata relinquere pernix. Hoc vitium plurimos iuvenes impedit, ne in artibus aut scientiis, et quod peius est ne in virtute proficiant. Ut enim artes ac scientiæ non nisi constanti labore, ita virtutes non nisi longâ exercitatione comparantur. Hinc illud Eccli. 5 : *Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam. Esto firmus in viâ Domini.*

442 3° *otiositas;* quæ ut ait D. Bern. Serm. ad Fratres de Monte Dei : *Mater nugarum est, noverca virtutum; mors animæ, vivi hominis sepultura.... omnium tentationum et cogitationum malarum et inutilium sentina.* In hoc autem vitio sumus non tantùm dum nil agimus, sed præcipuè dum aliud agimus quàm agere debeamus. Tempus enim non in otio sed in labore transigere debemus; at in labore utili.

443 Vitium tamen quod diligentiùs cavere debent iuvenes, utpote maiora inferens damna, est *luxuria.* Corpori innumeras ægritudines causat, à quibus passim præmatura mors : semper tamen, ut ait Cic. de Senect. c. 9: *Libidinosa et intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.* Quod verò ad animum spectat, à luxu-

riâ naturaliter generantur cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, et horror futuri, ut ex D. Greg. ostendit D. Th. 2. 2. q. 153. a. 5. Hinc illud II. Pet. 2: *Qui post carnem in concupiscentiâ immunditiæ ambulant, veluti irrationabilia pecora in corruptione suâ peribunt.*

444 Tertium iuventutis officium est, in virtutibus, quæ ipsam præcipuè ornant, comparandis adlaborare. Nempè ut sit iuvenum animus *docilis*, seu qui *audiat consilium et suscipiat disciplinam, ut sit sapiens in novissimis suis* (Prov. 19); quique nunquam præceptore utatur pessimo, scilicet præsumptione suâ. Sit in bono *constans* quasi *homo sanctus*, qui *in sapientiâ manet sicut sol; et non ut stultus* qui *sicut luna mutatur* (Eccli. 27). *Sit laboris cupidus ac temporis avarus;* iuxta illud D. Hier.: *Facito aliquid operis, ut te semper inveniat diabolus occupatum.* Sit præcipuè *castus*, seu illam præclaram dotem ardenter concupiscat, quæ ut aiebat Tertul. (de Bono pudicit.): *Flos morum est, honor corporum, decor sexuum, fundamentum sanctitatis, præiudicium omnis bonæ mentis.*

445 Decent quoque maximè iuvenes, 1° *prompta obedientia*, ac humile *obsequium*, quibus parentum, magistrorum, suorumque omnium præpositorum mandatis alacriter obsecundent: submissèque venerentur ac colant tum viros dignitate aut virtute præcellentes, tum etiam quoslibet ætate maiores, aut senes, iuxta illud I. Petr. 5: *Adolescentes subditi estote senioribus,* et illud Levit. 19: *Coram cano capite assurge, et honora personam senis.*

446 2° *verecundia;* ut enim præclarè D. Bern. (Serm. ult. in Cant.): *Quid amabilius verecundo adolescente? Quàm pulchra hæc, et quàm splendida gemma morum in vitâ et vultu adolescentis? Quàm vera, et minimè dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index?* 3° *modestia,* tum in verbis, quorum nullum sit inhonestum, fallax, nec ineptum: tum in vestitu, qui nec sordidus, nec nimis comptus esse debet: tum in incessu, qui nec citus nec tardus sit, nec largus, nec brevis, nec superbus, nec petulans, sed civilis, temperatus, decorus.

447 Postremum et specialius iuvenum officium est, ut

in eligendo congruo vitæ genere prudenter agant. *Ineunte adolescentiâ*, ut ait Cicero lib. I. de Officiis, *cùm inest maxima imbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus ætatis degendæ constituit, quod maximè adamavit. Itaque antè implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quàm potuit quod optimum esset iudicare.* Hinc tantò difficilior est hæc electio, quantò cum hominis felicitate coniunctior. Plura circa ipsam cùm præcipi possent, tria tantùm commemorabimus. 1° : Illud vitæ genus, seu statum externum esse eligendum, non quod nobilius sit, seu quod magis placeat, ex his quæ sunt in nostrâ potestate, sed ad quod apti simus, et in quo magis aliis proficere valeamus.

448 2° : Monitum Iuvenalis *Sat.* 10. habendum præ oculis : *Te consule dic tibi, quis sis ;* id est, corporis vires, mentis acumen, appetitûs affectiones et probas et improbas, omniaque tua tibique coniuncta attentè consideres, ut videas cui statui idoneus sis. At cùm in hoc examine facilè quisque, præcipuè adolescens, allucinetur, in consilium vocandi sunt amici, quibus sensus gravis insit, et longo rerum usu confirmata prudentia. Et quoniam hi pauci sunt, et decipi quoque facilè possunt, in eo negotio, si unquam aliàs, cœleste auxilium implorandum est, ut quid nobis conveniat, quid Deo placeat exploratum habeamus. 3° : Ubi quis electo constanti vitæ instituto se dederit, alterius arripiendi cogitationes omnes procul pellat, anxias dubitationes circa electionem iam factam nunquam patiatur ; omnesque suos conatus dirigat, ut sui statûs, seu vitæ generis officiis accuratè satisfaciat.

ART. III.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS,

PRÆCIPUE DE AMORE PATRIÆ.

449 Ex statu sociali hominis cum aliis hominibus, plura nascuntur officia, quæ hìc breviter attingemus, tum quæ ad familiam, tum etiam quæ ad civitatem seu rem-

publicam pertinent. Ac primò quidem in familiâ coniuncti sunt coniuges, deindè parentes et filii, tum domini ac servi. Coniugalis societatis finis est humani generis propagatio, ac liberorum educatio; et ex his finibus coniugum officia deducenda sunt. Itaque debent viri diligere uxores suas, earum saluti et prosperitati consulere, externa amoris testimonia præbere, ac imperium in eas ita moderari, ut pateat ipsas amicas non ancillas esse. Uxoris officia sunt, subiectio viro suo, amor, inviolata fides, cura, auxilium, tolerantia, œconomia.

450 Officia parentum sunt amare liberos, non tamen stultè deperire, honestè educare, in veritatibus christianis accuratè instruere, ad pietatemque verbo et exemplo formare. Officia autem liberorum erga parentes sunt amor tenerrimus, reverentia externa et interna, obedientia, subventio in necessitatibus etc. Dominorum officia erga servos sunt, ut nihil eis nisi iustum præcipiant, ut non despoticum in eos dominium exerceant, ut humanissimè suppeditent quæ ad victum et vestitum pertinent, ut eos in doctrinâ religionis ac morum instituant, ut mercede iustâ non defraudent, etc. Servi dominis suis obedientiam, respectum, imò et amorem ut amentur exhibeant.

451 In reipublicæ societate tum Principes ac subditi sunt, tum Magistratus et populus. Principum officia duobus hisce continentur. 1° : Omnia efficere, quæ ad securitatem, tranquillitatem, et prosperitatem reipublicæ sibi commissæ necessaria sunt. 2° : Ab his omnibus, quæ eandem deteriorem efficere possunt, cavere. Atque ad id duæ curæ debent inter cæteras eminere, iustitiæ scilicet et religionis, quæ et boni felicisque regiminis claves sunt, et quæ si deficiant, potentiora etiam Imperia ruunt. Subditorum erga Principes officia sunt, eos honorare ac amare ut patres populi, illis obedire, servare fidem, tributa solvere, precari pro eis Deum.

452 Magistratuum officia sunt, ut legum scientiam habeant, ut prudentiam, sollertiam, vigilantiam, maximamque animi attentionem adhibeant in hominum actionibus expendendis, et ad præscripta legum regendis: ut

se liberos conservent ab omni affectu amoris, odii, iræ, vindictæ, avaritiæ etc.; nequit enim benè iudicare corruptus Iudex: subditorum saluti consulere, ac pro viribus curare. Populorum erga Magistratus officia sunt obedientia, timor, reverentia, honor.

453 Omnium verò, qui civilis societatis sunt membra, sive Regis et clientum, sive Magistratuum et populi, præstantius, honorabilius, dulcius ac urgentius officium est *Amor patriæ (Vid. D. Th. De Regim. Princ. lib. III. c. 4)*; seu ut quisque pro suo statu ac munere reipublicæ saluti consulat, commune bonum, utpote divinum quiddam, privatis utilitatibus semper anteponens. Iam verò bonum commune seu felicitas publica in duobus præcipuè consistit; ut nempè cives tranquillam, commodam, ac suavem vitam in societate vivant, et ut status perpetuâ firmitate consistat (1).

454 Itaque ad bonum commune requiruntur 1° ac præcipuè religio una ac vera (2), iustitiæ distributivæ ac

---

(1) *Ad vitam socialem homines naturâ ordinantur, ut sint felices, seu vivant feliciter: ut nempè vitam ducant, à metu ferarum aliorumque hominum securi,* tranquillam: *rebus omnibus ad victum, vestitum, et habitaculum necessariis provisi,* commodam: *perfectâ subditorum inter se ac cum capite concordiâ, civili benevolentiâ, seu mutuo dulcium affectuum ac beneficiorum commercio,* suavem. *Non verò hæc omnia ad civium felicitatem sufficerent, nisi statûs firmitas ea perpetuò duratura promitteret.*

(2) *Ut enim aperta ratio et constans experientia docet, nunquam homines in civilem societatem sine aliquâ religione coalescere: ita sæpiùs expertum est, ex variis religiosis cultibus intestina bella nasci, quibus et reipublicæ tranquillitas labefactaretur, et solium ipsum corrueret. Ratio verò quoque evidenter suadet, inter civess diversæ religionis perfectam unionem non posse diu subsistere. Prætereà nullum societatis vinculum firmius est, quàm vera religio, ac mutua benevolentiæ officia quæ*

commutativæ perfecta administratio, moresque ad rectam rationem compositi ; sine quibus nec cives tranquillè et suaviter vivere, nec status permanere potest. 2° : Quòd status divitiis naturalibus, seu rebus ad victum et ornatum necessariis, ac artificialibus, seu monetis, abundet. Naturalibus, nec eas ab exteris ditionibus quærere debeat : artificialibus, ad belli pacisque sumptus. *Vid. D. Th. De Regim. Princ. lib. II. c.* 5. 6 *et* 7.

455 Sed quoniam regni divitiæ iam præcipuè aut ferè unicè à clientum tributis aut vectigalibus proveniunt : hinc regni opes clientum numero ac divitiis respondeant necesse est. Ut proindè nullum regni divitias seu vires augendi medium sit securius iis, quæ clientum numerum et opes augent. Qua ratione quibusve viis ad bonum commune curare debeant Reges Regiique administri, ut religio floreat, iustitia administretur, mores vigeant, populus augeatur ac ditescat, non huius est operis considerare : quid verò in hanc rem præstare possint ac debeant privatæ quælibet personæ, ut aliquantulùm intelligatur, differentias quasdam inter patriæ amicos et inimicos explicabimus.

456 Ac 1° quidem verus patriæ amicus est, qui prudenti zelo veræ religionis accensus, in ipsius dogmatibus

---

ipsa præscribit : ergo unitas, ac veritas religionis temporali etiam reipublicæ bono necessaria est. Aliud tamen urgentius veræ religionis in republicâ fovendæ argumentum adducit D. Th. De Regim. Princ. lib. I. c. 15. *his verbis :* « *Quia vitæ, qua in præsenti benè vivimus, finis est beatitudo cœlestis ; ad Regis officium pertinet eâ ratione vitam multitudinis bonam procurare secundùm quod congruit ad cœlestem beatitudinem consequendam : ut scilicet ea præcipiat quæ ad cœlestem beatitudinem ducunt, et eorum contraria secundùm quod fuerit possibile interdicat* ». *Hinc apparet et esse impiissimam, et temporali etiam reipublicæ bono contrariam, religionis cuiuslibet publicam tolerantiam. De qua fusiùs Theologi et Politici.*

ac præceptis sedulò instruitur, ipsam omnibus notam ac amabilem reddere pro viribus satagit, et ab impiorum calumniis vindicat. Contrà verò patriæ inimici sunt, qui res ad religionem spectantes minori quàm par est obsequio colunt, et ab aliis indifferenti animo tractari curant : qui verum zelum cum falso confundunt, omnemque conatum tuendæ ac extendendæ religionis accusant : qui circa fidei veritates, et Ecclesiæ præcepta ac consilia, aut levi aut nullo præcedente examine, et in certò decretis dubitant, et in obscuris quasi ex tripode pronuntiant ; quique avidè legunt aliisque legenda tradunt foliola aut libellos, in quibus, quasi in pratis ementitæ eloquentiæ, venenata libertinorum, deistarum, aut impiorum monstra, inter politiæ, iurisprudentiæ naturalis, physicæ, historiæ, et fabulæ flosculos, ut cancri serpunt.

457 2° : Verus patriæ amicus est, qui in omnibus suis pactionibus fidem servat : qui potiùs ad munera aptum fieri quàm eligi, potiùs honores mereri quàm adquirere satagit. Pessimi verò inimici sunt, qui distributivæ, aut commutativæ iustitiæ administros muneribus tentant : quique Magistratibus aliquid Regis nomine pollicentibus fidem integram negant. 3° : Inter amicos patriæ meritò numerantur patresfamilias, qui verbis et exemplis filios aut servos rectis moribus induunt. Inter inimicos verò, et patresfamilias in hoc officio negligentes, et viri quoque ac mulieres, qui consuetudinem aliquam sanis moribus adversam introducunt.

458 4° : Amici patriæ abs dubio sunt ii patresfamilias, qui rem suam mediocrem assiduo labore adaugent, ut filias suas nuptui tradentes, filiis verò artem domumque comparantes, plures novas utilesque familias reipublicæ offerant, magnæ civium copiæ futuras origines. Inimici verò patriæ sunt, qui immodicis sumptibus aut rem quam à maioribus hæreditate acceperunt consumunt, aut quam arte ac labore suo possent augere vix sustinent ; quas utiles possent reipublicæ familias non erigentes, aut iam erectam ad ruinam præcipitantes.

459 5° : Amici patriæ sunt ii omnes, qui res suas ita ordinant, ut communi bono privati sui redditus aut opes

augeantur. Ex his sunt 1° viri non minùs animi ac opum quàm generis dignitate præclari, qui in eorum populorum beneficium, quorum decimas aut alia vectigalia percipiunt, suorum redditùum aliquam partem singulis annis impendunt: tum ut campos reddant irriguos, vias commodas, vicos ipsos aut fontium copiâ amœnos, aut stagnorum exsiccatione salubres, aut templorum aliorumque ædificiorum ornatu celebres, tum etiam ut omni qua fieri possit ratione, agricolarum opus sit dulcius et utilius, atque artificum industria universalior et vegetior, quibus et populus numero et opibus affluentior, et domini redditus uberiores efficiantur.

460 2°: Ii negotiatores, qui rem suam quærunt in agrorum fructibus, qui in regno superabundant, ac præcipuè omnigenis patriæ manufactis, colligendis atque ad exteras nationes exportandis: quique quò viliori pretio fieri possit, ab extra invehi curant res aut victui omninò necessarias, aut artibus seu industriæ utilissimas, ac in regno deficientes. 3°: Agricolæ iique omnes, qui prædia seu agros possident, sibique honori ducunt quòd serantur, frondentur, colanturque arbores, etiam in vastissimis silvis et nemoribus: quòd in his ac in pratis herbæ noxiæ eradicentur, ad pascua verò utiles conserantur: quòd agri omnes egregiè subacti sint ac perpurgati: quòdque in toto prædio nec palmus terræ sit vacuus, agrique singuli ad silvas proceras aut tonsiles, ad prata, vineas, grana, aut illius generis culturam destinentur, quæ totius prædii sicque eius domini utilitati magis expediat.

461 4°: Artifices iam pro suo statu locupletes, qui artem qua divites facti sunt debito amore prosequentes, eam colere non desinunt, et in eâ filios instruunt; quo et perficitur ars, tum diuturniori exercitatione, tum perfectioribus instrumentis, aptiorumque materiarum copiâ, quæ pauperibus artificibus deficere solent: et ipsi artifici maius provenit lucrum ex maiori perfectione operis, atque ex materiarum emptione, merciumque venditione opportunius factâ.

462 Inde patet quantum communi bono noceant, sicque quàm meritò *patriæ inimici* vocandi sint, qui rem

suam non aliter augere noscunt, quàm cum populorum aut familiarum ruinâ. Ac 1° illi ex nobilitatis ordine, qui, quem splendorem maiores sui præclaris facinoribus compararunt, in ementitum prodigalitatis splendorem convertentes, non aliam suis profusis impensis occurrendi viam inveniunt, quàm à suis populis omnia dominii iura summo rigore extrahere, nil aut annis infœcundis remittentes, aut pauperibus et ægris erogantes, aut in populi beneficium nec assem unquam expendentes.

463 2°: Negotiatores omnes, qui commercio, quod vocant passivum, rerum non omninò necessarium unicè occupantur; nempè, qui ab exteris ditionibus in patriam invehunt artefacta, quibus similia aut æquivalentia artifices patrii conficerent: quo fit ut familiæ plures, operis inopiâ, fame pereant, dum suæ artis effectibus omnia repleta conspiciunt. Hos inter verò patriæ infensiores illi sunt, qui res invehunt, neque civium necessitati, nec veræ commoditati, sed soli luxui inservientes: quique regia edicta exterorum manufactorum invectionem ad patriæ industriæ fomentum interdicentia, aut noviter inventis artefactis eludunt, aut repetitis contrabannis infringunt.

464 3°: Agricolæ fundorumque possessores illi, qui silvarum omnes arbores etiam teneras excidunt: qui nimis multis palmitibus fructuariis vites enervant; et qui nimis frequenti seminatione, aut parùm diligenti culturâ, feraciores agros effœtos reddunt ac steriles; ob præmaturum paucorum annorum lucrum, perpetuum damnum suæ domui, atque ideò ipsi patriæ inferentes.

165 4°: Patriæ quoque inimici sunt, tum ii artifices, qui quas opes in arte suâ perficiendâ, reque suâ augendâ destinare deberent, victu atque vestitu magis sumptuoso quàm ipsos deceat prodigè consumunt; tum ii etiam, qui simulac quasdam opes suo artificio collegerunt, artificis nomine erubescunt; et artificis familiam patriæ utilissimam præpropero altioris fortunæ desiderio passim destruunt, passim etiam in familiam commutant, aut negotiatoris commercio passivo patriam destruentis,

aut inutilis civis otio ac luxu fructus priorum laborum expendentis.

466 Denique Ecclesiastici ac Seculares, Magistratus, Nobiles, Milites, Agricolæ, Artifices, Negotiatores, Viri, ac Mulieres omnes, cuiuscumque statûs ac conditionis, veri patriæ amici sunt, si artefacta omnia quibus ad vestitum ornatumque personæ ac domûs indigent, ex patriis artificibus tantùm quærunt; exteris artefactis non nisi inviti, absolutâque necessitate coacti, rarissimè utentes. Contrà verò, qui extera artefacta vanissimis prætextibus præferunt patriis, nec levissima incommoda in gratiam artificum, quibuscum societate coniunguntur, sustinere volentes: digni profectò sunt, qui patriæ inimicis accenseantur.

467 Cuius illa evidens ratio est, quòd vires et opes patriæ enervant, atque ex duabus præcipuis multitudinis populi ipsiusque divitiarum originibus, agriculturâ nempè et industriâ, alteram quod in se est extinguunt. Industriæ namque vigor, seu artificum numerus ac opes, suorum artefactorum usui semper accuratè respondent. Unde concludamus oportet, quòd qui patriis, cùm possit, exteris artefactis utitur, exteræ industriæ favet, patriæ officit: exteræ ditionis vires et opes auget, patriæ minuit: exteræ proindè ditionis amicus, patriæ inimicus est (4).

---

(4) *Quæ de amore patriæ dicta sunt, ut pro dignitate tractentur, fusiori oratione indigent, quam instituti nostri ratio patiatur. Omninò tamen necessarium credidimus hæc pauca indicare, ut adolescentes intelligant, quòd* amor patriæ *non vacua vox est, nec quæ steriles patrio solo laudes à nobis etiam importunè profundendas tantùm admoneat. Perfectum officium est, cuius partes ille solùm implet, qui quantum pro statu ac conditione suâ valeat, ad patriæ bonum adlaborat. Laborare quidem omnes debemus, ut puriora semper et frequentiora fiant mutua veræ religionis officia, amor iustitiæ, et morum sanitas, quo firmiora evadant hæc arctissima*

468 Ut tamen omnia erga Deum, erga semetipsos, et erga patriam ac proximos officia à teneris unguiculis adimplere assuefiant adolescentes, non incongruum esset quædam generalia monita seu præcepta pro coronide addere, ut diurnarum actionum series, totaque vivendi ratio, ad christianam ac rationalem ethicam composita faciliùs instituatur. Ne tamen nimis longi simus, duo tantùm adducemus. 1[m] ut singulis diebus manè quid per diem agendum sit accuratè disponant; et nocte dictorum per totam diem, factorum et cogitatorum examen instituant, in quo vel minima recenseant, atque emendare proponant.

E sommo primùm vigilans, cùm strata relinquis,
Disponas animo luce expedienda futurà.
Quando adimit rebus veniens nox atra colorem,
Ne priùs admittas per dulcia lumina somnum,
Singula quàm elapsi ter volveris acta diei.
Nunquid deliqui? Quid gessi in tempore? Quid non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?

---

vincula civilis concordiæ atque benevolentiæ, in quibus patriæ felicitas maximè consistit.

Exigit tamen quoque à nobis summo iure amor patriæ, ut eius vires ac opes, quibus firma ac secura consistat, pro posse augeamus. Atque adeò ut nedum ipsius artifices debito prosequamur honore, sed præcipuè ut in artefacti cuiuslibet pretio æstimando, semper plurimùm ponderet, quòd patriæ sit, seu quòd ipsius opus patriæ familiam aluerit : plurimùm verò ponderis detrahat, quòd exterum sit, seu quòd ad ipsius emptionem opes regni minui debuerint. Via compendiosior, qua civilis societas ad veram felicitatem accedere debet, profectò est, ut populares fiant distinctæ notiones, ac iusta principia circa amorem patriæ. Atque inde apparet una ex præcipuis utilitatibus, quas nostræ Hispaniæ allaturæ sunt Societates amicorum patriæ, *Regiâ auctoritate in variis urbibus ac populis erectæ. Iis etenim ad omnes civium classes extenditur patrii amoris flamma, et dif-*

469 2^{m} est, ut hominis *novissima*, scilicet mortem, judicium, infernum, et cœlestem gloriam, animo præsentia semper habeant. Horum namque consideratio tanti momenti est, ut nunquam officio nostro deficiamus, seu peccemus; ut ad eam nos excitet Sapiens aureâ illâ sententiâ Ecclesiastici cap. 7. v. 4. qua Ethicam nostram seu scientiam moralem claudendam censuimus: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Hæc igitur dicta sufficiant pro nostris Ethicæ Institutionibus.

---

funditur lux, quo quid patriæ verè prosit, quidque noceat accuratè ac faciliter distinguatur.

AD LECTOREM.

Hominibus omnibus felicitatis desiderium ac miseriæ timorem cùm naturæ Auctor indiderit; quibusque facultatibus et actionibus illa comparari debeat, hæc averti, Philosophia Moralis edoceat: in istius scientiæ utilitatibus enumerandis non est cur immorer. Te tantùm admonere volo, Lector benevole, quænam in hisce Institutionibus fuerit dicendorum electio, ordo ac stilus, ut adolescentibus omnibus, qui Philosophiæ cursum conficiunt, utiles forent; atque iis, qui posteà in Morali Theologiâ versaturi sunt, nedum non superfluæ sed utilissimæ.

Principio quidem, ut quæ sunt Ethicæ magis propria comprehenderem, quæ de hominis naturâ, intellectu, voluntate, ac præcipuè libertate solent hìc à pluribus disputari, ad Metaphysicam transtuli. Deindè in arcanis politicæ ac œconomiæ civilis reserandis immorari nolui: peculiaria Principum munera, suorumque Consiliariorum ac Magistratuum, Sacerdotum, cæterorumque membrorum, ex quibus civilis reipublicæ vel regni societas coalescit, aut penitùs silui, aut vix

obiter commemoravi. Tantùm de officiis iuvenum, quoniam iuvenibus loquor, aliquantulùm disserui; ac de amore patriæ, quoniam omnium in civili societate coniunctorum universalius sanctiusque officium est. Itaque ex nimis multis, quæ sese dicenda offerebant, ea selegi quæ omnibus prodesse possent, quibusque hominem quemlibet natura ipsa ad veram felicitatem dirigit, tum lumine sibi proprio viam honestatis illustrando, tum etiam superioris luminis necessitatem passim ostendendo.

At hæc tamen ante omnia constituendum censui, in quo felicitas consistat, quam homo connaturali desiderio semper quærit: deindè quibus actionibus acquiri valeat; ac demum ex quibus principiis actiones istæ dependeant. Atque in his omnibus, si pauca demas quæ vel addi vel fusiùs pertractari temporum circumstantiæ exigere videbantur, doctrinam ac ordinem penitùs sumpsi ab Angelico Præceptore in Secundâ suæ Theologicæ Summæ parte, in qua tam præclarè de Moribus disserit, ut etiam Hugo Grotius, quem veluti Iuris naturæ ac totius morum doctrinæ instauratorem colunt Protestantes, illius studium Beniamino Maurerio consuluerit (Ep. 54).

Quia tamen Præceptor Angelicus in Summâ nedum ut Philosophus, sed etiam ut Theologus de moribus disputat; ideò plura ibi explicantur de quibus in hisce Institutionibus altè siletur, ut de lege Divinâ, de gratiâ et eius effectibus, de virtutibus Theologicis, de donis, cæt. Imò ex iis

INDEX.

AD LECTOREM.

Ingenii debilitas, animi inconstantia et laboris odium Iuvenes inducere solent, ut potiùs verborum elegantiâ, quàm sententiarum gravitate delectentur: ut nova ac cognitu facilia percurrere malint, quàm in difficilibus investigandis immorari; et ut sententiolas, quæ novo sub aspectu res iam pridem cognitas exhibeant, lubentiùs audiant, quàm longam ratiocinationem, quæ per varia principia ad ignotæ arduæ veritatis cognitionem manuducat. Atque hinc ea nascitur aversio à rebus scholasticis, subtilibus, abstractis, et à sensibus independentibus, quæ et sensim ingenium coarctat, et scientiarum progressum cohibet, et omnibus vitæ civilis officiis plura damna inducit.

Hanc mentis ægritudinem mirabili efficaciâ depellit Metaphysica: nedum quòd eius altissima immaterialia obiecta, ut observat Rollinus *De Ratione docendi et discendi lib. V. art.* 2. mentem supra materiam elevent, ac à servitute liberent, qua sensus eam detinere conantur; sed etiam

quòd in ipsâ, iuxta monitum Artis cogitandi *Dissert. I.* assuefiat ingenium ad veritatem tum maximè eruendam cùm latet, difficultatibusque obsepitur. Agitantur enim in Metaphysicâ quæstiones variæ, quarum difficultas extensionem quamdam et amplitudinem menti impertit, et varietas ipsa suam quoque secum fert utilitatem.

Etenim dum mens in pluribus veritatem ipsam certò distinguit, et in aliis etiam post multum laboris solam verisimilitudinem consequitur; hoc vario sui operis fructu admonetur, neque veritatem contemnere, quòd in eâ conquirendâ plurimum insudandum, neque omnia, quæ summo labore compererit, velut thesaurum æstimare. Sed quemadmodùm laborantes in fodinis labori non parcunt, ut aurum inveniant, nec tamen omnia quæ effodiendo hauriunt eodem pretio habent : ita probabilium ac certarum disputationum assuetudine edocetur mens æquè vitare, aut desidiam, qua abstractissimarum rerum contemplatio arceatur, aut præcipitationem qua omnia, modò longâ meditatione excogitata, velut firma systemata commendentur.

Et ex his sat intelliges, Amice Lector, quantùm ab iis abhorream, qui in Metaphysicâ solam generalium vocabulorum expositionem, quæ in aliis scientiis usurpantur, contineri desiderant. Utilissimam Iuvenibus Metaphysicæ partem eam censeo, quæ examini quæstionum incumbit; ut nedum eas fusè sim prosecutus, qiubus veritas sese clarè ostendens, et rerum circa quas versan-

INSTITUTIONES
PHILOSOPHIÆ

AD USUM

SEMINARII EPISCOPALIS BARCINONENSIS

EDITÆ

A FELICE AMAT:

NUNC DENUO

IN STUDIOSÆ IUVENTUTIS COMMODUM RECUSÆ.

METAPHYSICA.

Editio Quinta

praecedentibus auctior.

BARCINONE:

TYPIS IOACHIM VERDAGUER.

SUPERIORUM PERMISSU.

M.DCCC.XXXII.

etiam quæ Philosophiæ Moralis sunt, plurima contractiùs quàm D. Thomas in Summâ pertractavi, et aliqua omninò præterii, ut quæ de virtutibus in particulari tam variæ ac solidæ doctrinæ copiâ in Secundâ Secundæ parte exponuntur. Ita cautum est, ut Institutiones istæ ultra æquam iuvenum Philosophorum humeris molem non excreverint: ut generalia principia, et quæ magis Præceptoris verbalem expositionem exigant, contineant: ut in ipsis omnia omnibus iuvenibus prosint, quodcumque posteà vivendi genus accepturis: ac demum ut eorum qui addiscendæ Theologiæ in ipsâ D. Thomæ Summâ operam daturi sunt, levior fiat labor ac utilior; dum iis quæ de hominum fine, actibus humanis, passionibus, virtutibus in genere, ac legibus ratio naturalis agnoscit, iam in Philosophiæ cursu perlustratis, Theologiæ sacratum tempus in Theologicis considerandis totum impendere; sicque nullam aut peccatorum, aut donorum, aut quamlibet aliam Theologicam considerationem omittere valeant.

Ut autem Angelici Præceptoris doctrinam ac ordinem assumpsi, ita scribendi stilum æmulatus sum: simplicem nempè, et qui sit ad docendum potiùs, quàm ad movendum aptus. Aliter enim in concionibus ad populum, aliter in gymnasiis morum doctrina tradenda est: ibi potiùs cordi, istic menti loquendum. Morem denique in utramque partem disserendi etiam in Ethicâ, sicut in aliis Philosophicis scientiis, sum insecutus; nam ubique ad iuvenum attentionem excitandam, et

ingenium acuendum scholasticas disputationes opportunas existimo. Accedit quædam esse Moralis Philosophiæ dogmata, non copiosâ modò argumentorum vi stabilienda, sed accuratâ etiam Scholasticorum dicendi subtilitate explicanda: quorum nempè summa dignitas est ac frequens usus, et tamen ea, vel impietas vanis sophismatibus implicare, vel concupiscentia crassis tenebris conatur obducere. Hinc neminem reprehensurum spero, quòd de alterius vitæ præmiis ac pœnis, de legum civilium aut vectigalia imperantium, aut mercium usum commerciumve prohibentium debitâ observantiâ, deque quibusdam aliis, scholarum more, disceptationes instituerim, et quandoque veluti in exemplum protraxerim.

tur nobilitas, speciali quadam vi ac merito alliciunt, ut de Dei existentiâ, animæ immaterialitate, immortalitate, libertate, cæt.; sed aliquas etiam, quæ non tam de rebus, quàm de rationibus abstractissimis agunt, et potiùs quàm veritatem, veritatis speciem quamdam præ se ferunt; ut de distinctione inter essentiam et existentiam, causam et eius vim.

Memor autem eorum quæ de syllogismorum utilitate Rollinus experientiâ edoctus asseruit *(Vide Proœm. Logicæ)*, scholasticâ syllogisticâ methodo perpetuò usus sum; ut hac Metaphysicâ imbuta mens, dum nobilissimis cognitionibus informatur, ipsâ rerum sublimitate, et quæstionum subtilitate, et dicendi methodo quodammodò amplietur et capacior fiat; quo in posterum cognoscendis sese applicet attentiùs, et cognita iudicet exactiùs, probabilia eligat prudentiùs, et certis adhærescat firmiùs.

Sed in ipso limine tantisper subsistere necessum est; et ut Scientiarum Reginam qua sit facie noscamus, ipsius obiectum, dotes, ac divisionem aliquantulùm contemplari.

INSTITUTIONUM METAPHYSICARUM

LIBRI III.

QUÆSTIO PROOEMIALIS.

DE IPSA METAPHYSICA.

ART. I.

DE METAPHYSICÆ OBIECTO.

1 CONCLUSIO : *Metaphysica se extendit ad omne ens reale, sive increatum sit, sive creatum; sive substantia, sive accidens.* Ita D. Thomas IV. Met. lect. 4. dicens: *Metaphysica se extendit ad omnia, de quibus ens naturæ prædicatur;* ens autem naturæ idem est ac ens reale. Pr. : Opus est aliquam scientiam se extendere ad omne ens reale ; sed id non possunt aliæ : ergo Metaphysica. Mai. constat ; cùm aliquæ sint proprietates omni enti reali convenientes , atque adeò de ipso demonstrabiles , ut unum , verum , bonum et aliquid ; proprietates autem de obiecto demonstrare proprium scientiarum munus est. Min. clarè ostenditur à D. Thomâ, dum ibidem observat omnes alias scientias esse de entibus particularibus , ut Arithmetica de numeris, Geometria de lineis etc.

2 Hinc colliges 1° obiectum formale Metaphysicæ esse communissimam rationem entis realis. [1] Huius enim communissimæ rationis proprietates inquirit. [2] Hæc item ratio est quam in suâ materiâ contemplatur ; non enim ea considerat Metaphysica quibus hoc ens ab illo distinguitur, sed quæ omnibus communia sunt. [3] Et denique consideratio entis in hac suâ maiori universitate Metaphysicæ propria est, ac veluti forma eam ab aliis scientiis distinguens. Colliges 2° quamlibet rem in particulari esse obiectum materiale Metaphysicæ ; cùm in se recipiat rationem entis realis, quæ est obiectum formale. Et hinc colliges 3° ens rationis solùm valdè impropriè dici obiectum Metaphysicæ, ut si diceremus falsa numina esse obiectum Theologiæ.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

3 Obi. 1° contra 1^m^ corollarium : Nulla scientia habet obiectum ita extensum sicut intellectus, cùm scientia sit determinatio potentiæ; sed obiectum intellectûs est ratio communissima entis realis : ergo hoc non est obiectum Metaphysicæ. ℟. dist. mai.: ita extensum ex parte *rei attactæ,* nego ; ex parte *modi attingendi,* conc. mai. et dist. min. : obiectum intellectûs est ens reale *sub omni abstractione et lumine ,* conc. ; *sub lumine et abstractione determinatis ,* nego. Itaque res attingi possunt primò vel lumine naturali, vel supernaturali seu Divinâ revelatione. Secundò vel in particulari, vel in universali, et id longè diversis modis seu diversis abstractionibus, quæ varias scientias distinguunt, ut alibi dicemus. Ac proindè scientia aut est determinatio intellectûs ex parte rei attactæ, ut illæ quæ solùm aliquas res considerant ; aut ex parte modi attingendi, scilicet Metaphysicâ, quæ licèt omnes res attingat, non tamen omni modo, sed solo lumine naturali, et solùm sub iis rationibus, quæ ab omni materiâ præscissæ sunt.

4 Obi. 2° contra 2^m^ : Deus est ens reale ; sed non est obiectum Metaphysicæ : ergo non quodlibet ens reale est eius materiale obiectum. Min. pr. 1°: Deus est causa seu principium obiecti Metaphysicæ : ergo non est obiectum.

2° : Scientia facit suum obiectum evidens ; sed Metaphysica non cognoscit Deum evidenter : ergo. 3°: Scientia demonstrat proprietates obiecti per earum causam ; sed hanc non habent proprietates Dei : ergo. ℞. ad 1m conc. ant. nego cons. Cùm enim Deus et ens sit, et omnium entium causa, duplici titulo à Metaphysicâ consideratur. Primò ut eius obiectum materiale proximum, quatenùs scilicet rationem entis realis, quæ est obiectum formale, in se claudit. Secundò ut causa sui subiecti seu obiecti. Et cùm Metaphysica speciali quodam iure de Deo fusè agat, quatenùs rerum omnium causâ, ideò meritò dicitur, quòd licèt Metaphysica non versetur circa Deum tamquam circa subiectum, scilicet formale, sicut Theologia ; versatur tamen circa ipsum tamquam circa causam subiecti.

5 Ad 2m dist. min. : non cognoscit Deum evidenter quoad *an est*, nego ; quoad *quid est*, conc. Licèt enim solùm obscurè cognoscamus quid sit Deus, et quid sit eius æternitas, clarè tamen demonstramus esse Deum, et esse æternum. Ad 3m dist. etiam min. : non habent causam *realem*, seu realiter distinctam, conc. ; *virtualem*, seu iuxta nostrum modum concipiendi, nego. Licèt enim in Deo nihil causatum, sed omnia unum omninò, et idem sint ; mens tamen, nostris assueta, apprehendit eius immutabilitatem ut radicem æternitatis, essentiam ut fontem seu causam infinitarum perfectionum. Quando verò proprietates non habent causam realem, scientiæ sufficit eas demonstrare per causam virtualem.

6 Obi. 3° contra 3m : Vel ens creatum et accidens non sunt obiectum Metaphysicæ, vel tale est ens rationis ; sed illa sunt : ergo istud. Mai. pr. : Sicut ens rationis entis realis umbra est et ab ipso pendet, sic creatura à Deo, et accidens à substantiâ : ergo. ℞. summum esse discrimen. Etenim creaturæ (idem de accidenti) ita à Deo pendent, ut sint tamen vera entia realia, ac proindè in ipsis ratio entis realis propriè intrinsecè reperiatur : quæ ratio cùm sit obiectum formale Metaphysicæ, creaturæ sunt eius obiectum materiale proximum. Ens tamen rationis ita realis entis est umbra, ut nullo modo ens reale sit.

ART. II.

DE METAPHYSICÆ DOTIBUS ET DIVISIONE.

7 I^a conclusio : *Metaphysica est propriè scientia ;* quia verè demonstrat proprietates de suo obiecto. Est *simpliciter speculativa ;* quia nihil operandum præcipit, sed in solâ rerum abstractissimarum contemplatione versatur. Denique licèt de rebus omninò diversis agat, ut de Deo et creaturis, de substantiâ et accidenti, est tamen *unica scientia ;* cùm omnia attingat per ordinem ad unum, scilicet communissimam rationem entis realis, ut abstractam ab omni materiâ, seu ut consideratam sine omni prorsùs materiâ ; at hæc clariùs elucescent cùm de scientiarum unitate erit sermo.

8 II^a conclusio : *Metaphysica est sapientia naturalis.* Prob. ex D. Thomâ in Prol. : Una ex scientiis naturalibus cætera regit ac ordinat, ac proindè est sapientia, cùm sapientis sit alios ordinare ; sed hæc est Metaphysica : ergo. Probantur præmissæ, 1° mai. : Omnes scientiæ ordinantur ad unum, nempè ad hominis perfectionem ; sed quando plura ordinantur ad unum, opus est aliquid ex ipsis cætera ordinare, ut patet in unione animæ et corporis ; corpus enim regitur per animam, et vires irascibiles et concupiscibiles per rationem : ergo. Deindè probatur min. : Illa scientia cæteras ordinat, quæ maximè intellectualis est, seu circa maximè intelligibilia versatur ; sed hæc est Metaphysica : ergo.

9 Mai. constat ; quia aliquem esse ad regendum vel ordinandum idoneum ab intellectu provenit : unde homines, qui intellectu vigent, aliis regendis sunt apti ; qui verò intellectu deficiunt naturaliter serviunt. Min. verò prob. 1° ex ordine intelligendi. Illa enim sunt magis intelligibilia, ex quibus intellectus accipit certitudinem ; et cùm certitudo scientiæ sumatur à causis, præcipuè à primis, consequens est quod maximè intelligibilia sint primæ causæ. 2° ex comparatione intellectûs ad sensum. Nam cùm

intellectus in eo differat à sensu, quòd huius cognitio singularium est: illa sunt maximè intelligibilia, quæ maximè distant à singularibus, nempè magis universalia. 3° ex ipsâ cognitione intellectûs. Res etenim fiunt intelligibiles quatenùs à materiâ separantur, sicque illa sunt maximè intelligibilia, quæ maximè sunt à materiâ separata; sed Metaphysica versatur circa primas causas, circa rationes magis universales, et res magis immateriales: ergo.

10 Hinc Metaphysica tripliciter nominatur: Primò *Theologia*, seu scientia Divina; quia de Deo tractat et aliis spiritibus, quatenùs naturali lumine cognoscuntur. Secundò *Metaphysica;* quia solam rationem entis considerat, et ea quæ ipsam consequuntur. Itaque licèt res sensibiles, quæ sub Physicâ cadunt, etiam speculetur, at in iis eas tantùm proprietates, et affectiones considerat, quæ sensibus non subiiciuntur, et quæ omnibus affectionibus sensibilibus universaliores sint; ut proindè meritò *Metaphysica* dicatur, quatenùs ea considerat quæ utpote magis communia physicis seu sensibilibus, post seu *trans physica* inveniuntur in viâ resolutionis, seu dum rem aliquam in ea quibus constat resolvimus (1). Denique appellatur *Prima Philosophia;* nam cùm Philosophi sit rerum causas investigare, ista primas causas considerat.

11 Ex hactenùs dictis colliges 1° Metaphysicam sic optimè definiri: *Sapientia de rebus omnibus, prout solâ mente percipiuntur, et ab omni materiâ sunt abstractæ, naturali lumine discurrens.* Colliges 3° Metaphysicam in tres præcipuè partes esse dividendam. Prima græcè dici solet *Ontologia*, seu *doctrina de ente;* et hæc rationem communissimam entis, et proprietates quæ ipsam consequuntur, suscipit examinandas. Secunda est *Prima Philosophia* quæ *de causis* agit. Tertia quæ *Pneumatologia*

---

(1) Hæc idonea ac sufficiens visa est huius nominis significatio; sive ad eandem fuerit ab iis assumptum, qui priores illo usi sunt, sive posteriùs excogitata.

græcè dicitur, seu *doctrina de spiritibus*, plura de Deo disserit, de angelis et animâ nostrâ. Nos igitur Inst. Metaph. tribus libris absolvemus. Primus aget de Ente. Secundus de Causis. Tertius de Spiritibus.

LIBER I.

DE ENTE.

12 Quæ de ente in communi sunt in hoc priori libro consideranda, duabus quæstionibus comprehendentur. 1ª de principiis entis aget: 2ª de ipso ente, et eius proprietatibus.

QUÆSTIO I.

DE PRINCIPIIS ENTIS.

13 Principium variè sumitur. Primò pro quolibet initio, ut aurora est principium diei, fons rivuli. Secundò pro primo in aliquâ serie, ut in D. Petro est principium Romanorum Pontificum. Tertiò pro eo quod rationem continet cur illud sit cuius dicitur principium. Et hoc tertio modo sumitur in præsenti; et definitur ab Aristotele V. Met. c. 1: *Primum unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.* Et hinc tria distingui solent principiorum genera, nempè compositionis, causalitatis, et cognitionis. Principia *compositionis* sunt illa ex quibus res constituitur: *causalitatis,* quæ ad eius productionem con-

currunt: *cognitionis* demum, quæ ad eius notitiam ducunt. De principiis causalitatis agemus libro II. nunc de principiis cognitionis et compositionis aliquid est dicendum.

ART. I.

DE PRINCIPIIS COGNITIONIS.

14 Totum *esse maius suâ parte: Æqualibus si æqualia addantur, æqualia remanere*, Mathematica ut certum amplectitur, at ipsa non probat; neque occupatur Physica in ostendendo: *Nihil produci à se ipso: Quæ mutantur non esse simplicia*, cæt., sed ex his quasi certis et evidentibus alias veritates rimandas aggrediuntur. Itaque aliquas esse veritates à nobis certò cognitas omnes scientiæ præsupponunt, et earum nonnullas seligunt suo quælibet scopo magis accommodatas, ex quibus tamquam principiis suas conclusiones inferunt. Ut totum scientiarum ædificium funditùs corruere necesse sit, si cum Scepticis aut Academicis, nihil decerni, nihil affirmari, nihil comprehendi, nihil certè et evidenter sciri posse contendas.

15 Opus est igitur Metaphysicam, utpote naturalium scientiarum primam, huic omnium communi indigentiæ providere, ac universim inquirere quomodò se habeat homo ad veritatem cognoscendam. *Vid. Arist. lib. II. Met. et D. Th. ibid.* Itaque ante omnia stabiliri tamquam fundamentum necesse est, quonam criterio certa veritas dignoscatur. Deinde adversùs Scepticos conficiemus aliquas esse certò cognitas veritates, ex quibus veluti ex principiis scientiæ et artes ad ulteriora progrediantur. Et tandem inquiremus, quænam ex his veritatibus omnium prima sit.

§ I.

De veritatis criterio.

16 Criterium veritatis est: *Regula seu nota discernendæ veritatis;* vel ut aliis placet: *Ratio seu motivum quo intellectus ad securè iudicandum impellitur.* Quare intellectus non est criterium, sed potentia quæ ope criterii iudicium fert. Prænotandum est ergo 1°, quòd intellectus quatuor modis ad res comparatur; nam vel est ignorans seu nesciens, vel dubius, vel opinans, vel certus. Dum ignorat et dubitat, nec propriè verus est, nec falsus; nam, ut ex *Log.* patet, veritas et falsitas intellectûs sine affirmatione vel negatione consistere nequeunt; intellectus autem dum ignorat vel dubitat, nil affirmat aut negat. Est autem verus vel falsus dum determinatum assensum præbet, sive formidolosum ut in opinione, sive firmum ac constantem ut in certitudine.

17 Prænotandum est 2°, solum intellectum aptum esse iudicem discernendæ veritatis aut certitudinis, non verò sensum. Sensus etenim, cùm nec affirmet nec neget, nec verus esse potest nec falsus, nec opinans nec certus; nisi impropriè hæc nomina ipsi tribuantur, quatenùs sensûs ministerio ad verum aut falsum, opinionem aut certitudinem pertingit intellectus. Prænotandum est 3°, veritates naturales (nam supernaturales, quæ solâ revelatione dignoscuntur, non subsunt humano criterio) vel esse purè intelligibiles, ut *bis tria sunt sex;* vel sensibiles, ut *Sol est corpus lucidum;* vel historicas, ut *Hispani è suâ ditione Africanos expulerunt.* In his omnibus quo criterio veritas à falsitate securè se cernatur, exposito priùs criterio quo mens proprios actus certò cognoscit, inquirendum est.

18 I[a] conclusio: Intimus sensus *pro dignoscendâ veritate eorum, quæ apud nos sunt, tutissimum est criterium.*

Prob.: Sensus intimus est tactus quidam interior (1), quo mens de iis quibus afficitur conscia fit, et ideò vocatur etiam *conscientia;* sed fieri non potest ut huiusmodi notâ fallamur: ergo. Min. prob.: Nota quæ cum veritate necessariam coniunctionem habet et menti intimè præsens est, nequit decipere; sed talis est tactus ille interior, cùm ab ipsis actibus simulac insurgunt in ipsâ mente causetur: ergo. Fac enim hominem tactu tristitiæ admoneri, se istâ affici. Hìc sensus intimus fallax esse non potest, cæteroquin tristitia simul esset in mente, et non esset: esset, quia ibi operatur; non esset, ut supponi debet, si fallax est iste sensus.

19 II^a^ conclusio: [1] *Pro rebus intelligibilibus evidentia optimum est veritatis criterium:* [2] *ubi autem non liquet, hominum optimorum consensus constans et uniformis, seu* sensus communis, *ineluctabile veritatis criterium ministrabit.* Prob. 1^a^ pars: Evidentia est clara cognitio connexionis aut repugnantiæ prædicati cum subiecto; sed huiusmodi cognitio mentem reddit de veritate securam: ergo. Min. prob.: Prædicta connexio aut repugnantia veritati, ad quam mens nostra naturâ suâ fertur, arctissimè coniuncta est: ergo. Hinc quando manifesta est hæc connexio aut repugnantia, non liberè sed necessariò propositioni assentimur; nam velim nolim, et *totum non esse suæ parti æquale*, et *bis tria esse sex* assentiri cogor. Quare appositè ait Cic. in *Lucullo* sive *Academ.* II. c. 12: *Necesse est ut lancem in librâ ponderibus impositis deprimi; sic animum perspicuis cedere.* Igitur axiomata seu primæ veritates ut certò veræ sunt amplexandæ, quando evidenter noscimus prædicatum convenire aut repugnare subiecto, et hæc dicitur evidentia *immediata;* Theore-

(1) *Si sint aliqua tangentia quæ in quantitatis ultimis non tangant, dicentur nihilominùs tangere in quantum agunt, secundùm quem modum dicimus quòd contristans nos tangit.....Hic autem tactus non est quantitatis sed virtutis: unde differt hic tactus à tactu corporeo.* D. Th. II. cont. Gent. c. 56.

mata verò seu propositiones ex aliis probatæ, quando ex aliis evidenter veris evidenter inferuntur, et hæc est evidentia *mediata*.

20 Prob. 2ª pars : Si communis sensus *constans* est, seu variationem non patiatur ; *uniformis*, seu non secum ipse pugnet ; et *optimorum hominum*, seu sanâ ratione utentium, à veritate proficiscitur : ergo ubi hæc non est evidens, communi sensu securè tenetur. Ant. prob. : Nequaquam convenire possent homines natione, genio, moribus cæt. discrepantes in eandem sententiam, nisi veritate ducerentur : ergo. Præterea : Consensus omnium hominum vox est naturæ, quæ cum rationis particeps sit in id maximè incumbit, ut veritatem assequatur : contingere ergo nullatenùs potest, ut hac voce ducti decipiamur, quin deceptio naturæ Auctori, qui talem ei inclinationem impressit, tribuatur ; quod indignum est de Deo sentire. Unde Cic. *Tusc.* I. c. 13 : *Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est.... atque hæc ita sentimus naturâ duce, nullâ ratione, nullâque doctrinâ.*

21 IIIª conclusio : Testimonium sensuum *rectè adhibitum, in sensibilibus iudicandis securum est veritatis criterium.* Dixi *rectè adhibitum ;* nam sensibus uti debemus iuxta dicta in *Log.* à. n. 305. Prob. 1° : Supremus naturæ auctor animam corpori coniungens sensus etiam dedit quibus uteretur anima tamquam mediis ad cognitionem ; sed frustrà eos dedisset, si continuè essent fallaces : ergo. 2° : Si sensuum testimonio securè inniti non possemus, nulla esset scientia de rebus naturalibus, quæ per sensus adquiri debet : imò et fides catholica everteretur ; nam hæc est *ex auditu,* ut inquit Apost. *Rom.* X. v. 17. 3° : Sensus fideles sunt ; nam licèt quandoque rem deferant intellectui aliter quàm est in se, non tamen aliter quàm ipsi afficiuntur, ac affici debent in illis circumstantiis. Quare D. Aug. lib. *de verâ Relig.* c. 33, inquit : *Ne ipsi quidem oculi fallunt ; non enim renuntiare possunt animo nisi affectionem suam. Quod si non solùm ipsi, sed etiam omnes corporis sensus ita renuntiant ut afficiuntur, quid ab eis ampliùs exigere debeamus ignoro.*

22 IV^{a} conclusio : Auctoritas humana *numero, gravitate, probitate, ac concordiâ scriptorum conspicua validissimum est in rebus historicis veritatis criterium.* Prob. 1° ex iis, quæ de sensu communi suprà diximus; neque enim convenire possent in eandem narrationem historici plures et graves, nisi veritate ducerentur. 2° ex eo quòd nec falli ipsi potuerunt, nec nos fallere etsi vellent. Primò *non potuerunt falli.* Siquidem historici vel narrant facta coæva, vel præterita. Si *coæva*, falli omnes non posse constat, nisi sensibus cæterisque facultatibus destitutos omnes dixeris : si *præterita,* nec omnes falli potuerunt; cùm incredibile sit, traditionem oralem et antiqua monumenta, quibus ut plurimùm innituntur, malè omnes expendisse. Deinde *nec nos fallere potuerunt.* Etenim fieri nequaquam potest, ut historici plures, loco dissiti, natione differentes, et famæ ut est hominum indoles studiosi in effingendum mendacium conspirent, nemine reclamante in quacumque ætate id fieret, præsertim circa factum publicum. Itaque meritò dixit Tullius lib. I. *de nat. Deor. : Neminem omnes, et nemo umquam omnes fefellit.*

23 Ex dictis colliges 1° quinque esse criteria veritatis, nempè sensum intimum, evidentiam, sensum communem, testimonium sensuum, et auctoritatem humanam; atque intimum sensum ac evidentiam certitudinem parere metaphysicam; testimonium sensuum physicam; sensum autem communem et auctoritatem humanam moralem. 2° certitudinem moralem quandoque ita fulciri, ut ferè æquivaleat metaphysicæ. Imperium Sinense v. g. existere mihi adeò certum est, ut bis tria esse sex; etsi non sit ita evidens. 3° auctoritatem humanam, quando testium numerus aut conditio talis est, ut certam fidem non faciat, etsi probabilem facere possit *(Log. n.* 323 *et* 324 *),* non esse criterium; sicut criterium non est ratio, qua ad aliquid opinandum inducimur : non enim certò assentimur, ut exigit criterium; sed cum formidine deceptionis maiori aut minori, prout fuerit momentum, quo ducimur. 4° regulas Logicæ quodammodò dici posse veritatis criterium, quatenùs iis vera criteria faciliùs deteguntur

et applicantur ; intellectum autem his regulis instructum optimum esse discernendæ veritatis iudicem.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

24 Obi. 1° contra I^m : Sensus intimus etiam falsa testatur : ergo. Ant. pr. : Sensus intimus somniantibus multa audire se et videre testatur, quæ omnia falsa sunt, cùm nihil reverâ videant nec audiant : ergo. ℟. dist. 2^m ant^s. : quæ omnia falsa sunt relatè ad obiecta externa , concedo ; ad animi affectionem , nego. Iam verò sensus intimus ea solùm ostendit, quæ apud nos sunt et aguntur. Cùm autem actus illi seu affectiones in somniantibus reverâ sint, nihil falsum ostendit. Deceptio igitur ab intimo sensu non procedit ; sed ab intellectu impedito sensuum ligamento , qui ea omnia refert ad externa obiecta , quasi præsentia essent : imò sensu intimo somnium à vigiliâ distinguimus ; cùm somnii actus inconnexos et vigiliæ ordinatos eo dignoscamus.

25 Obi. 2° contra 1^m part. $II^æ$ $concl^s$: Sæpè evidentia fallit : ergo non est veritatis criterium. Ant. pr. : Quæ falsa sunt, evidentia apparent somniantibus ; imò sæpè in somnio vigiles nos esse aut dubitamus, aut item credimus : qui ergo scimus an perpetuò somniemus ? ergo. ℟. dist. 2^m ant. : Somniantibus plura apparent evidentia iudicio obscuro, perplexo, et inconstanti, concedo ; iudicio claro, firmo, ac constanti , nego. Nam iudicium in somnio factum sæpè obscurum et perplexum est, semper inconstans seu facilè mutabile ; quod enim firmius est , post pauculas horas deficiente somno evanescit. Quis igitur adeò desipiet, ut somniantium iudicium cum eo comparet, quod vigiles de rebus evidentibus , ut de Supremi mundi Gubernatoris existentiâ efficimus , dum millies deditâ operâ eam indagantes, vires mentis omnes in id contendentes , maiori semper claritate res ipsa nobis obiicitur ? Ergo nimis stultum esset velle dubitare an perpetuò somniemus.

26 Instabis : Evidentia fallit etiam eos, qui iudicio pollent claro : ergo nulla est distinctio. Ant. prob. : Sæpè patentes errores illi defendunt, qui ab evidentiâ duci se clamant : ergo. ℟. dist. 2^m ant. : qui ab evidentiâ duci

se clamant, quæ vera sit aut percepta, nego; quæ fucata est aut præproperè iudicata, concedo. Insistes: Ergo novum criterium sive nota assignari debet, qua veram evidentiam à fucatâ discernamus. Sed nego conseq. Etenim evidentia est veluti lux, qua intellectus rem percipit. Et sicut ut colores alios ab aliis distinguamus, luce opus est; at lux fulgens ut meridiei à subobscurâ auroræ absque novâ luce per se distinguitur: ita propositiones veræ à falsis evidentiâ discernuntur; at ne ipsa evidentia cum obscurâ cognitione confundatur, non aliud requiritur, sed ipsa sufficit.

27 Et sicut lux discernendis coloribus aptissima est, licèt quibusdam pravè affectis oculis etiam meridianâ luce hic color alius videatur; ita evidentia optimum est discernendæ veritatis criterium, quamvis pravè affecta mens sæpè verum pro falso habeat, aut falsum pro vero. Et ut eidem exemplo insistamus, sicut pravam oculorum affectionem aut ex ipsorum turbatione, aut aliorum testimonio facilè colligimus; ita ne præpropero iudicio id evidens æstimemus, quod non est evidens, duo potissimum testes, omni seposito affectu et partium studio, interrogari possunt. Primò *sensus intimus,* qui de evidentiæ perceptione nos conscios facere non potest, nisi ea verè adsit. Secundò *sensus communis;* ut tunc abs dubio ab evidentiâ me collustrari teneam, cùm omnes hi, qui sanâ ratione utuntur, eandem in eâdem re evidentiam cognoscunt.

28 Obi. 3°: Evidentia rei nil est aliud, quàm claritas, et distinctio ideæ eiusdem rei: ergo si veritatis criterium est evidentia, in nullo à nobis differunt Cartesiani dum pro ideâ clarâ pugnant. ℟. Apud nos veritatis criterium non esse evidentiam subiecti aut prædicati, sed solam evidentiam sive mediatam sive immediatam, connexionis aut repugnantiæ inter utrumque. Quòd si Cartesiani solùm contendant veritatis criterium esse non ideas claras ac distinctas subiecti et prædicati, sed claram ac distinctam ideam seu speciem copulæ, seu connexionis aut repugnantiæ inter illa, profectò parùm vel nihil à nobis differunt. Quapropter celebrem Cartesianorum regulam:

Quidquid in ideâ clarâ et distinctâ alicuius rei comprehenditur, de eâ re certissimè potest affirmari, ut veram amplectemur, si quibusdam animadversis, illius sensus aliquantulùm determinetur.

29 1° ut non affirmemus rem existere simulac clarâ ac distinctâ ideâ ipsam apprehendimus; ut si quis suprà cœlos spatium reapse existere putaret, quoniam huius spatii ideam claram haberet. Nam sæpè plurium rerum claras ac distinctas ideas habemus, quæ nec extitere unquam, nec existent, ut palatii Armisdæ, et omnium, quæ in theatris repræsentantur. Sanè fictas à Virgilio Didonis calamitates tam clarâ et distinctâ ideâ D. Aug. in mente habebat, ut ad lacrymas usque frequens commoveretur, ut in *Confes.* ipse testatur.

30 2° ne hoc principium converti posse arbitremur, ut nempè falsa, aut sin minùs incerta ea omnia statuamus, quorum non nisi obscuras, aut indistinctas ideas habemus; nam nedum mysteria fidei, sed et animum corpori coniungi, magnetem attrahere ferrum, duas lineas in infinitum protractas semper propiùs accedere posse et nunquam coniungi, et innumera alia, tum in natulibus, tum etiam in mathematicis, ut certò indubiè vera cognoscimus, quorum tamen non nisi obscuræ ideæ in mente nostrâ sunt.

31 3° cùm affirmatio vel negatio ac proindè propria veritas solùm in propositione sit, summâ diligentiâ cavendum est, ne ideas subiecti vel prædicati confundamus cum ideâ copulæ, seu coniunctionis aut repugnantiæ inter utrumque. Nam primò ideis subiecti et prædicati obscuris existentibus clara esse potest idea copulæ; ut in hac: *Anima coniuncta corpori est movens corpus.* Nam clarè noscimus animam movere corpus; licèt non nisi obscurissimè cognoscamus quomodò anima uniatur corpori, et quomodò ipsum moveat. Secundò idea copulæ sæpè est obscura ut certitudinem parere nequeat, et ideæ subiecti et prædicati claræ ac distinctæ sunt, ut in hac: *Terra circa solem volvitur,* nam quid terra sit, ac volvi circa solem, sat clarè ac distinctè noscimus; non ita tamen reipsâ terram circa solem volvi.

32 4° ne temerè iis assentiamur, quæ clarè nobis ac distinctè videmur percipere, sed quemadmodùm de evidentiâ dicebamus, etiam circa claritatem, et distinctionem idearum *sensus optimorum communis*, non minùs necessarius, quàm idoneus testis adhibeatur. Nam si quilibet de claritate ac distinctione suarum idearum iudex in propriâ causâ pronuntiat, nemo ampliùs valebit contradicentem aliquem ab errore etiam absurdissimo revocare; nam semper edoctum se contenderet à suâ clarâ ac distinctâ ideâ, quæ fallere nequaquam potest.

33 Obi. 4° contra 2^{m} part. $II^{æ}$ concl.: Ubi deficit evidentia, sensus communis certa veritatis nota esse non potest: ergo. Ant. prob. 1° : Opinio ideò non est criterium veritatis, quia caret evidentiâ: ergo. 2° : In quibusdam nationibus polytheismus et superstitio, errores scilicet circa id quod maximè homines interest, communis sensûs dogmata fuere: ergo. ℟. nego ant. et ad 1^{m} prob. dist. ant.: Opinio non est criterium, quia caret evidentiâ præcisè, nego ant.; quia caret stabilitate aut firmitate quocumque ex capite oriatur, conc. Hanc autem firmitatem, quæ tutò ducit ad verum, præ opinione habet sensus communis, qui extingui nequit iuxta illud Cic. lib. II. de nat. Deor. c. 2: *Opinionum commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.* Ad 2^{m} prob. dist. ant.: communis sensûs dogmata fuere quoad existentiam *in genere* alicuius numinis, et cultûs ei debiti, concedo; quoad *specialem* huius numinis et cultûs ei debiti cognitionem, nego. Nam in hoc turpiter et variè erratum est; in primo autem constans et uniformis consensus adest. Quæ cont. III. concl. obiiciuntur § seq., ubi corporum existentiam propugnabimus, dissolventur.

34 Obi. 5° cont. IV^{m}: Testis unus vel auctor in rebus historicis plenam fidem non facit: ergo nec duo, nec tres, et sic nec tota testium collectio; nam testimoniorum naturam collectio non mutat: ergo. 2°: Historicæ narrationes temporis decursu maximas mutationes subeunt: ergo adminùs scriptoribus non coævis detrectanda fides est. 3°: Auctores quamplures sæpè dicto nituntur unius, quem omnes exscribunt; sed tunc idem est, ac si uni-

cus esset auctor, qui probabilem tantùm fidem facit: ergo. 4°: Quid? nonne in gravium scriptorum historiis facta nonnulla narrantur quæ severioris critices usu ad aniles fabulas amandantur? ℟. ad 1^m, meram esse fallaciam, quam *soritem* diximus in *Log. Rud.* n. 112. Equidem definiri non potest in quo numero testium moralis incipiat certitudo, vel desinat probabilitas; at certò definiri potest, hoc vel illud factum numerum illum habere, qui moralem certitudinem facit.

35 Ad implicitam prob. dist.: testimoniorum collectio horum naturam non mutat nec vim auget, nego; non mutat, auget tamen quàm maximè eorum vim, concedo. Certè in physicis corporum collectio auget vim et pondus, etsi naturam non mutet: quidni in moralibus testimoniorum collectio? Ad 2^m dist. ant.: mutationes subeunt quoad minutas circumstantias, concedo; quoad narrationis summam, subdist.: aliquando, concedo; semper, nego. Nam si factum publicè patratum sit, aut publicis monumentis consignatum, hanc mutationem non subit. Ad 3^m, non de illo auctorum numero loquimur, nisi primus ille quem omnes exscribunt, rem narret publicam coram multis testibus patratam, nec contradicentibus. In cuius facti specie, nego min.; quoniam auctor unicus testium numero roboratur. Quis enim prudens Iulium Cæsarem domuisse Gallos dubitabit, quamvis ab ipso uno Cæsare confectis commentariis posteriores auctores factum hoc accepissent? Ad 4^m, facta illa conditionibus illis caruere, quas ad certam faciendam fidem exquirimus; ideò severior critice falsa deprehendit.

§ II.

An sint aliqua principia seu veritates certò cognitæ?

36 Haud facilè mihi persuadere possum homines ratione utentes eo dementiæ pervenisse, ut non nisi apparentia seu visa admitterent; nulla ut apparent reipsâ existere sibi persuaderent: à totâ Universi machinâ res omnes

excludentes, non nisi mentis phantasmata, seu species admittentes, et quod plùs est de horum etiam phantasmatum, imò de sui ipsorum existentiâ dubitantes. Sanè plures Scepticos facilè crederem iocantes; et ut ingeniosi haberentur, contra ea quæ ipsi sentirent adeò rationi adversa paradoxa sumpsisse propugnanda: ut meritò tamquam cavillatores, aut deliri homines irridendi potiùs quàm confutandi videantur. Sed quoniam hac ætate Scriptores nonnulli, qui variâ eruditione præstantes habentur, eodem morbo infecti, aut Scepticorum nomen in suis Dictionariis extollere, aut eorum deliria ac vanas argutiolas ubiquè spargere consuescunt, de iis aliqua dicenda sunt; pauca tamen, ne rem nimis perspicuam ac minimè dubiam, obscuram ac dubiam argumentando faciamus.

37 Dico igitur 1°: *De existentiâ actuum mentis nostræ nullo pacto dubitare possumus.* Siquidem de eâ sensu intimo quisque convincitur; ut proindè qui eam in dubium vertat, is non Philosophis ut arguatur, sed Medicis ut sanetur tradendus sit. Unde S. Aug. cont. Acad. in *Enchir. ad Laur.* n. 7. seu cap. 20 hæc habet: *Cùm istis verò, utrum loqui debeamus, ignoro, qui non victuros in æternum, sed in præsentiâ se vivere nesciunt: imò nescire se dicunt, quod nescire non possunt. Neque enim quisquam sinitur nescire se vivere: quandoquidem si non vivit, non potest aliquid vel nescire: quoniam non solùm scire, verum etiam nescire viventis est.*

38 Præclarè igitur idem S. Doctor *lib.* 10. *de Trinit.* n. 14. sic eos impugnat: *Vivere se, et meminisse, et intelligere, et velle, et cogitare, et scire, et iudicare quis dubitet? Quandoquidem, etiamsi dubitet, vivit; si dubitat, unde dubitet, meminit; si dubitat, dubitare se intelligit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, iudicat non se temerè consentire oportere.*

39 Dico 2°: *Axiomata plura certa prorsùs sunt et explorata,* ut: *Non posse idem simul esse et non esse: Totum esse maius suâ parte: Bis tria esse sex* etc. Adeò enim in his principiis evidentia fulget, ut mente captus esse

debeat nedum qui neget, sed etiam qui dubitet. Quis enim noscens quid sit totum et quid sit pars, in dubium revocare poterit, an totum maius vel minus suâ parte sit? Sanè in ipso termino *totum* aliquid apprehendit quod est *maius parte;* ac proindè necessariò huic veritati assentitur; nec nisi voce tenus eam potest abiicere. Itaque præclarè ait Aristoteles (*Metaph. Lib. IV. c.* 4.) in primis principiis veritatis iudicem quæreret, non minùs absurdum est, quàm si quis iudicem quæreret, qui vigilantes à dormientibus distingueret. Ut enim hoc per se notum est sensui, ita illud intellectui. Quare

40 Dico 3° : *Etiam sensuum ope tum nostri tum aliorum corporum, atque plurium ipsorum affectionum existentiam ita certò ac perspicuè cognoscimus, ut stultus futurus sit qui de his voluerit dubitare.* [1] Sanè si Scepticus ipse fame triduum fatigetur, ac eidem non dico unus sed omnes homines magnâ eloquentiæ vi persuadere conentur, eum nullum sensum famis sentire, potiùs iudicabit universum genus humanum insanire, quàm se acerbâ fame non esse vexatum. [2] Quid verò mecum disputat, si nec me audire, nec à me ipsum audiri credit? [3] Quid in ignem manus non iniicit, quid in mare se non mergit, si non ampliùs pati potest, quàm si combustio et immersio tantùm per somnium evenirent?.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

41 Obi. 1° cont. II^{m}: Plura principia ratione naturali ut certa habentur, quæ lux superior revelationis divinæ falsa esse ostendit: ergo veritates lumine naturali certò cognitæ nullæ esse possunt. Ant. prob. præcipuè in sequentibus: 1°: Axioma est communiter receptum: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* at fides catholica docet, in mysterio Trinitatis personas esse distinctas, licèt sint idem cum naturâ. 2°: *Anima rationalis et corpus constituunt personam humanam;* at in Incarnationis mysterio falsum deprehenditur, cùm non alia sit persona nisi Divina. 3°: *Totum est maius suâ parte*; at in Eucharistiâ corpus Christi minus est manibus eius, in quibus totum fuit nocte cœnæ. 4°: *Unum corpus nequit*

esse in pluribus locis ; at etiam in Eucharistiâ Christi corpus est in omnibus locis, ubi sunt hostiæ consecratæ. 5° : *Nullus est culpæ reus et pœnâ dignus, nisi existat ;* at omnes homines unum Adæ peccatum culpâ et gravissimis pœnis obstrinxit, cæt.

42 ℟. toto cœlo errasse eos, qui ut ab hac difficultate se expedirent, asseruerunt, aliquid esse posse verum spectato lumine naturali, et falsum attentâ revelatione divinâ ; seu posse aliqua esse philosophicè vera et theologicè falsa. *Ea enim quæ naturaliter rationi sunt insita,* inquit D. Th. lib. I. cont. Gent. c. 7., *verissima esse constat, in tantùm ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare ; nec id quod fide tenetur, cum tam evidenter divinitùs confirmatum sit, fas est credere esse falsum. Quia igitur solùm falsum vero contrarium est ut ex eorum definitionibus inspectis manifestè apparet, impossibile est illis principiis quæ ratio naturaliter cognoscit, prædictam veritatem fidei contrariam esse... Ex quo evidenter colligitur, quæcumque argumenta contra fidei documenta ponantur, hæc ex principiis primis naturæ inditis per se notis non rectè procedere.* Quapropter nego ant., et ad 1m principium in probationem assumptum dist. mai. : quæ sunt eadem in uno tertio *re et ratione* sunt eadem inter se, concedo ; quæ sunt eadem *re*, sed differunt *ratione*, nego. Iam verò licèt tres Personæ sint idem secundùm rem cum essentiâ Divinâ ; tamen in suis propriis rationibus important oppositos respectus, unde distinguuntur ab invicem. *D. Th.* 1. *p. q.* 28. *a.* 3.

43 Ad 2m : Anima rationalis et corpus constituunt personam humanam si propriâ subsistentiâ terminentur, concedo ; si non ita, nego. In mysterio autem Incarnationis subsistunt et terminantur subsistentiâ Verbi Divini. Ad 3m : verum est, si totum et pars accipiantur secundùm propriam rationem quantitatis dimensivæ ; non autem si secundùm aliam rationem : et similiter ℟. ad 4m ; nam Christus secundùm quod est sub Eucharistiæ sacramento comparatur ad locum non secundùm proprias dimensiones, sed secundùm dimensiones specierum sacramentalium ; ita quod in quocumque loco ubi sunt illæ species

est ipse Christus : et quia species illæ potuerunt esse in manibus et in ore Christi, ipse totus Christus potuit esse in suis manibus et in suo ore. Non autem hoc potuisset esse secundùm quod comparatur ad locum per proprias dimensiones. *D. Th.* 3. *p. q.* 81. *a.* 1. Ad 5^m^: nullus est culpæ *personalis* reus et pœnâ ipsi debitâ dignus nisi existat, conc.; culpæ *originalis*, nego: derivatur enim per originem culpa à patre in filium, sicut et peccatum actuale per imitationem. *D. Th.* 1. 2. *q.* 81. *a.* 1. Sed de his Theologi.

44 Obi. 2° : Principia noscuntur inductione, sed hæc nunquam est certa : ergo nec illa. Mai. patet ; nam principia sunt universalia, quæ non cognoscuntur nisi ex singularibus ; inductio autem est, quæ ex singularibus ad universalia ascendit. Min. etiam patet ; nam inductio nequit esse omninò certa, nisi perfectâ omnium partium enumeratione ; in nullo autem principio omnia singularia perspecta habemus. Unde nec istud : *Totum est maius suâ parte* erit omninò certum ; cùm nullus omnia tota viderit, ut certò affirmare possit, nullum esse suâ parte minus.

45 ℟. 1° nego mai., si de omnibus principiis loquatur ; nam licèt omnis nostra cognitio utpote à sensibus orta per singularia incipiat, sunt tamen plura principia, quorum certitudo et evidentia non à singularibus pendet, sed ex eo quòd evidenter percipitur prædicatum esse de essentiâ subiecti. Licèt enim nullum totum singulare novissemus, tamen cognitâ essentiâ *totius* et *partis*, evidenter cognosceremus, totum esse maius suâ parte. ℟. 2° nego min.; nam in materiâ necessariâ, et impossibili non requiritur omnium singularium enumeratio, ut inductio certa sit, ut diximus in *Log. Rud.*

46 Obi. 3° præcipuè contra III^m^ : Corporum cognitio pendet à sensibus ; sed his nil certum confici potest : ergo. Min. prob. : Sensus continuè nos fallunt : ut enim de remo sub aquis inflexo, aut de collo columbæ, de sapore in febricante, aut colore in morbo icterico nil dicam, sanè Sol bipalmaris, stellæ quasi puncta omnibus et semper apparent, cùm ferè immensùm maiora sint :

ergo. Adde, microscopio obiecta millies maiora, et si invertatur millies minora apparere quàm simplici oculo: ergo cùm nesciamus an oculi nostri optima microscopia sint, vel in ipsâ rerum magnitudine ancipites, dubiique hæreamus oportet.

47 ℞. nego min. et ad prob^m nego ant. quod non evincunt adiunctæ probationes. Constat enim sensus causare impressiones proportionatas obiecto, medio, et organo; atque adeò si in his aliqua mutatio accidit quam mens non deprehendit, tunc intellectus non rectè applicato sensuum testimonio fallitur, ut in remo inflexo etc. Sol et stellæ minora quàm sint apparent, at ipsis sensibus mens edocetur obiecta eò minora videri, quò magis distant. Quod de microscopio additur ad summum probat, nos de absolutâ rei magnitudine minùs esse certos; at certissimi sumus leonem esse, formicam esse, hanc illo minorem esse, et infinita huiusmodi. Unde licèt sensuum ope sic sæpè fallamur, præclarè tamen ait Augustinus *De Civ. Dei. lib. XIX. c.* 18. miserabiliùs falli qui nunquam putat eis esse credendum.

48 Obi. 4° contra eandem: Omninò certi non sumus an animus noster ita sit constitutus, ut naturâ suâ possit eas affectiones in se excitare, quas externis corporibus vulgò tribuimus. Etenim licèt nulla corpora essent, nonne ab aliquâ superiori virtute rerum species adeò vividè sensibus, et menti imprimi possent, ac si essent? Sanè à magis, aut à dæmone plura facta sunt, quæ realia videbantur, et non erant: ergo licèt visa aut apparentia sint, certa tamen nulla sunt. Ita urgeri potest hæc Scepticorum argutiola; at facilè infringetur.

49 Nego itaque priorem illam propositionem, et dico, nos omninò certos esse animum nostrum excitare non posse affectiones quas corporibus tribuimus. Primò quia remotis quibusdam corporibus, licèt velimus, dolorem, voluptatem, similesque affectiones, quas ab iis ortas credimus, in nobis excitare non possumus. Quòd qui aliter sentiant, vilioribus cibis ut bruta pascantur, aut potiùs ut dementes virgis ac fustibus castigentur; ipsi verò gas-

tûs, tactûs, omniumque deliciarum affectiones in animo suo excitent.

50 Secundò animum nostrum à nobis non esse certò cognoscimus : atque à Deo esse factum non minùs certò inferimus. Deum verò esse summè bonum summâ evidentiâ scimus; cùm autem non minùs certum ac evidens sit dedecere summam bonitatem, quòd in nobis perpetuò fallendis delectetur ; consequens est periudè certum, evidens ac necessarium, ea *vera* esse, *certa* esse, *realia* esse, quæ nobis vera, certa, ac realia constanter apparent. Atque hinc 2ª argumenti propositio suâ sponte ruit. Quod verò de magis additur, id probat sensibus et imaginatione nos deludi posse, ac sæpiùs fuisse delusos, quod ultrò fatemur : continuè autem falli, id est quod minimè probat.

51 Obi. ultimò : In omni Philosophiâ infinita est opinionum varietas, ut penè de omnibus diversi diversa sentiant. Tanta etenim est veritatis assequendæ difficultas, ut eam expertus Ecclesiastes c. 8. v. 17. hæc habeat : *Intellexi, quòd omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt sub Sole : et quantò plùs laboraverit ad quærendum, tantò minùs inveniat* : ergo in veritate inquirendâ non est frustrà laborandum, sed in summâ rerum omnium ignoratione, aut dubitatione placidè quiescendum. Nec ad veritatis criteria confugiendum ; cùm nullum sit, quod et argumentis communiri, et ab obiectis, quibus impetitur, vindicari non debeat. Porrò regulam, si quæ esset, veritatis certò assequendæ extra omnem dubitationis aleam positam esse oporteret.

52 ℟. Abditas esse quidem rerum essentias et passim incertas causas, de quibus loquitur Eccles. et variè opinantur Philosophi ; at isti in pluribus conveniunt, et Ecclesiastes plura sub Sole facta certò supponit, de quibus homo rationem seu causam aut essentiam non invenit. Unde hominum coarguitur vanitas, qua omnia se scire præsumunt ; non omnis scientia deiicitur. Quod de criterio additur unicè locum habet, si *reflexè* examinetur ; non verò si *directè* inspiciatur. Siquidem dum bis tria

sex esse affirmo, ab evidentiâ directè impulsus sum, quæ nullam patitur tergiversationem : si verò de hac evidentiâ mecum reflexè contendere velis, et inquirere num vera sit, aut errori obnoxia ; ea omnia recurrent, quibus hoc criterium vel fulcitur, vel impugnatur.

53 Ex dictis colliges 1°, quòd licèt singularia sint contingentia, duplici tamen viâ potest eorum certa haberi cognitio. Primò quia nil est adeò contingnes, quin in se aliquid necessarium habeat ; et hoc certò cognoscitur ab intellectu. Sicut Socratem *currere* est contingens ; at necessarium est *Socratem moveri si currat.* Et sic de singularibus certa habetur cognitio, quatenùs singularia sunt partes universalium ; sicut hæc, *Socrates si currit, seu currens movetur*, et pars huius : *Omnis currens movetur,* quæ omninò necessaria est. Unde necessitas, et infallibilitas propositionum singularium pendet ab infallibilitate propositionum universalium sub quibus continentur : sicut infallibilitas minùs universalium pendet ab infallibilitate magis universalium seu primorum principiorum.

54 Ratio enim quò universalior est, eò est magis necessaria. At quo iure, inquies, ratio eò magis necessaria statuitur quò universalior? *Nempè quia contingentia omnis ex* materiâ *est ; nam contingens est quod potest esse et non esse, et potentia pertinet ad materiam. Necessitas autem consequitur rationem* formæ, *quia ea quæ consequuntur formam ex necessitate insunt. Cùm igitur ratio universalis accipiatur per abstractionem* formæ *à materiâ particulari, ideò quò ratio est universalior est magis abstracta à contingentiâ, sicque magis necessaria. Vid. D. Th.* 1. *p. q.* 85. *a.* 6. *et q.* 86. *a.* 3.

55 Secundò de singularibus certa habetur cognitio, quia licèt singularium existentia sit *absolutè* contingens, est tamen necessaria ex *suppositione quòd sint ;* id est, licèt contingens sit singularia esse, tamen necesse est ea esse dum sunt; et hac ratione etiam ipsius existentiæ singularium evidens ac certa haberi potest cognitio ; scilicet ope sensuum. Si tamen seriò inspiciamus, sensuum ope ea solùm certò dignoscimus, quæ aut ad vitæ usum, aut ad humanam societatem sine controversiâ requiruntur.

Sic sensus ostendunt existere corpora, plures item eorum proprietates, ut differentiam rerum durarum à mollibus, et aquæ à vino : ex voce ac vultu Petrum à Paulo distinguunt : plures animi motus demonstrant, etc.

56 Itaque, an aliqua spatiola omninò vacua sint, aliqua sit ignis sphæra supra aëream, maris fluxus à lunâ attrahente vel comprimente oriatur, sol volvatur circa terram, et alia similia, quæ circa rerum aut suorum modorum existentiam à Philosophis agitantur, cùm contingentia sint, nec eorum cognitio aut servando corpori aut vitæ sociali requiratur, ut certa ac necessaria evidenter cognosci nullo modo possunt ; atque adeò in illis solùm quod probabilius sit aut verisimilius quærendum est, non quod omninò certum et exploratum. Ut in huiusmodi quæstionibus nulli magis contra veram philosophandi rationem peccent, quàm ii, qui sententiam suam ut certam ac indubiam venditant, contrariam irrident, aut contemnunt ; et argumenta quibus utuntur demonstrationes vocant, quamquam probabilitatis mensuram vix adimpleant.

57 Cæterùm inquiet aliquis : [1] Nonne id est posteaquàm scepticismum funditùs diruimus ipsum denuò erigere ? [2] Quid ? Si in his omnibus quæstionibus certa veritas frustrà expectatur, stulti Physici, qui in iis investigandis tamdiù immorantur. ℞. ad 1^{m} omnibus in hoc corollario dictis firma consistere, quæ tribus conclusionibus contra Academicos statuimus ; at ab ipsis prudenter præceptum iudicamus à rebus incertis assensionem esse cohibendam ; ut enim ait Cicero *De nat. Deor. lib.* 1. *c.* 1 : *Quid tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate atque constantiâ, quàm aut falsum sentire, aut quòd non satis exploratè perceptum sit et cognitum, sine ullâ dubitatione defendere?*

58 ℞. ad 2^{m} prudenter Physicos de iis quoque agere, quæ certò ac evidenter cognoscere minimè sperant, ut de cœlorum naturâ et motibus, continui compositione etc. Nam si in moribus, artibus et omni humano commercio certitudine raró, ferè semper probabilitate ducimur, quid ni id scientiis etiam dum veritas latet, probabilitas aut verisimilitudo indaganda est? Porrò dum in his abstru-

sis physicis quæstionibus immoramur, ut alia commoda taceam, quàm necessaria sit Divina revelatio perpetuò admonemur. Ipsa etenim mentis nostræ in iis, quæ manibus contrectamus, obscuritas clarè demonstrat ad altissimarum rerum cognitionem opus esse perfectiori aliquâ intelligentiâ nobis obscura revelante.

59 Colliges 2° opportunè iis qui veritatem investigare volunt ab Arist. præceptum esse, ut *benè dubitent*, id est ut benè considerent ea de quibus dubitandum est. Nam [1] faciliùs vinculum solvet, qui nodum habet benè perspectum: [2] rectiùs iudicabit qui tamquam adversarios collitigantes omnes utrinque rationes oppositas audiat: [3] constantiùs ad veritatem usque progredietur, [4] et in eâ securiùs consistet, qui anteà meditatus fuerit, quò tendendum sit. Et ex hac Arist. doctrinâ nata est illa scholasticorum consuetudo, ut de rebus omnibus in utramque partem disserant; sive oppositæ sententiæ priùs argumenta ponantur, deindè propriæ et denique priora illa solvantur: sive propriâ sententiâ priùs stabilitâ et probatâ, posteà obiectiones subdantur singulæ suis solutionibus sociatæ, sive etiam aliâ ratione fiat: dummodò, quod caput est, utriusque partis momentis adductis et difficultatis nodus innotescat, et id quod quæritur sciatur, neque inauditâ alterâ parte iudicetur.

60 Colliges 3° quòd generalis *dubitatio Cartesiana*, seu ad tempus de rebus omnibus etiam certis ac manifestis, ut de propriâ, ac Dei existentiâ ex animo dubitare, *ad veritatem inveniendam inutilis est, ac perniciosa, imò omninò impossibilis.* Inutilis quidem; nam quæ utilitas dubitandi an Sol sit, an manus habeam, an homo sim, si post quasdam verborum circuitiones vera iterum credenda sunt? Perniciosa etiam; nam primò temporaneus saltem atheismus inducitur, dum etiam de Dei existentiâ dubitari præcipitur. Secundò in novum præiudicium incidimus, si de iis dubitamus, de quibus prudens homo nullus dubitat; non minùs enim rationi adversum est ad tempus dubitare de certis, quàm ad tempus constanter adhærere incertis. Est denique impossibile homini mentis compoti de omnibus dubitare, ut de propriâ existen-

tiâ, et aliis perspicuis, ac evidentibus: ut enim n. 19 ex Cicer. dicebamus, ipsâ rei evidentiâ ad assensum compellimur (1).

§ III.

Quænam veritas sit primum cognitionis principium?

61 Prænotandum est 1° ex § præc. aliquas esse veritates seu propositiones ita perspicuas, ut ab omnibus admittantur: ita certas, ut nullis cavillationibus eas aliquis respuat: ita claras, ut per alias clariores vix probari possint. Et hæc dicuntur primæ veritates, seu cognitionis principia. *Primæ veritates*, nam sine alterius præcedenti cognitione immediatè à nobis cognoscuntur. *Cognitionis* autem *principia*, quoniam per ipsas ad aliarum plurium cognitionem devenimus. Quærimus autem nunc quænam ex his veritatibus sit omninò prima, seu primum cognitionis principium; id est omnium clarior et certior, ut ipsa nec illustrari, nec probari per aliam ullo modo possit; imò sit lucis ac certitudinis primus fons, ut per ipsam omnes aliæ quodammodò probentur ac illustrentur.

62 Prænotandum est 2° primas veritates esse duplicis generis. Nam aliæ sunt axiomata (de quibus § præc. con-

---

(1) *Hæc generalis dubitatio dicitur* Cartesiana, *quoniam Cartesius in suis Medit. et Cartesiani omnes ab Academicorum dubitatione Philosophiam exordiuntur: quamquam non in sterili dubitatione cum Academicis et Scepticis perpetuò hærendum præcipiant, sed ab ipsâ ad veritatis investigationem adeundum. Quæ tamen germana fuerit Cartesii mens, an scilicet de omnibus dubitandum voluerit solùm ex hypothesi, aut item hyperbolicè, an seriò et ex animo, aliis inquirendum relinquimus.*

clusione II^{a} seu propositiones universales, quarum prædicatum est de essentiâ subiecti, et dicuntur æternæ veritatis, ut : *Quodlibet est vel non est : Totum est maius suâ parte : Ex nihilo nihil fit : Operari sequitur ad esse.* Aliæ sunt propositiones singulares, seu particulares, aut conscientiâ aut etiam sensibus evidentur cognitæ (de quibus § præc. concl. I^{a} et III^{a}) ut : *Ego sum unus, non duo homines : Sum liber : Sunt alii homines præter me.* Prænotandum est 3° nullam ex posterioribus his primis veritatibus esse posse omninò primam seu primum cognitionis principium ; quoniam licèt directè et immediatè à nobis cognoscantur, reflexâ tamen cognitione per propositiones universales illustrantur et probantur. Est igitur primum cognitionis principium aliqua veritas universalis. Ut autem videamus quænam, sit

63 Conclusio : Primum cognitionis principium est istud : *Impossibile est idem simul esse, et non esse.* Ita passim Arist. et D. Th. Prob. : Inter omnia principia illud est omninò primum, quod per aliud probari nequit, per ipsum verò cætera omnia probantur ; sed utrumque convenit allato principio : ergo istud est omninò primum. Prob. 1ª pars min. : Hoc principium indicat contradictionem entis et non entis ; sed hæc per aliud probari nequit : non *ostensivè,* cùm nil prius et universalius ente sit : nec *per reductionem ad impossibile,* seu ad inconveniens ; quia nullum maius impossibile, aut maius inconveniens, quàm idem simul esse et non esse : ergo.

64 Prob. 2ª pars ; nam facilè fieri possunt demonstrationes quibus cætera principia per nostrum probentur. Sit exemplum in illo plurium Recentiorum : *Quidquid in ideâ clarâ et distinctâ alicuius rei comprehenditur, certò illi convenit.* Sic enim prob. : Impossibile est idem simul esse et non esse ; sed si illud quod comprehenditur in ideâ clarâ alicuius rei illi non conveniret, idea simul esset clara et non clara : ergo quidquid in ideâ clarâ et distinctâ alicuius rei comprehenditur certò illi convenit. = Rt. contrarii : Etiam nostrum principium ideò esse verum, quia in ideâ entis comprehenditur impossibilitas non entis, et sic etiam nostrum principium

probari ex suo. = Contrà : Dum suum principium probatur ex nostro, probatur à priori ; nostrum verò à posteriori probatur ex suo : ergo nostrum est prius.

65 Ad probationem antecedentis audiatur D. Thomas *IV. Met. lec.* 16. ubi ad nostram probandam conclusionem hæc habet : *Sciendum est quod cùm duplex sit operatio intellectûs, una quæ vocatur indivisibilium intelligentia, et alia quæ componit et dividit, in utrâque est aliquid primum. In primâ quidem operatione, quod primò cadit in conceptione intellectûs est hoc quod dico* ens... *Et quia hoc principium :* Impossibile est idem simul esse et non esse, *dependet ex intellectu* entis, *sicut hoc principium :* Omne totum est maius suâ parte, *ex intellectu seu cognitione* totius *et* partis ; *ideò hoc etiam principium est naturaliter primum in secundâ operatione intellectûs.... Sicut enim totum et partes non intelliguntur nisi intellecto ente ; ita nec hoc principium :* Omne totum est maius suâ parte, *nisi intellecto illo principio firmissimo :* Impossibile est etc.

66 Ex quo sic arguitur : Dum per apprehensionem cognoscuntur ens et idea clara, prius cognitum est ens, quàm idea clara : ergo pariter dum per iudicium cognoscuntur eorum affectiones seu proprietates, per prius cognoscitur affectio entis, nempè eius *incompossibilitas cum non ente,* quàm affectio ideæ claræ, nempè eius *certitudo :* ergo dum certitudo ideæ claræ probatur per incompossibilitatem entis et non entis, probatur per aliquid priùs cognitum, seu per principium prius in cognitione.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

67 Obi. 1° : Nostrum principium pendet ex isto : *Quodlibet dum est, est :* ergo non est primum. Ant. pr. : Hoc principium est propositio simplex, nostrum verò est propositio composita ; sed propositio composita pendet à simplici tamquam à priori : ergo. ℟. dist. min. : pendet à simplici tamquam à priori in *ratione propositionis,* conc. ; *in ratione principii,* nego min. Nostrum ergo principium, quia compositum, in quantum tale dependet à

simplici illud componente, non tamen in evidentiâ et certitudine, ratione quarum dicitur primum principium; imò in hoc simplex à composito pendet. Non enim certi essemus, quòd aliquid dum est, est, nisi priùs certi essemus impossibile esse quòd aliquid simul sit et non sit.

68 Contrà 1° : Propositio affirmans et absoluta non probatur per negantem et modalem, quia neque ex neganti inferri potest affirmans, neque ex modali absoluta; sed plures propositiones sunt affirmativæ et absolutæ, v. g. hæc : *Ens est id quod est;* nostrum verò principium est propositio negativa et modalis : ergo illæ nequeunt per istud probari. Contrà 2° : *Quodlibet dum est, est*, et alia principia, quæ solùm pendent à cognitione seu intellectu entis, nil habent prius et universalius à quo probentur, cùm nil sit prius ente : ergo non probantur per aliud, sicque etc. ℟. ad 1m dist. mai. : non probatur per modalem directè et ostensivè, conc.; indirectè seu per reductionem ad impossibile, nego mai., et permissâ min., nego consm.

69 ℟. ad 2m dist. cons. eodem modo : non probantur directè, conc.; indirectè, nego. Itaque principia omnia, quæ non ex hoc termino *ens*, sed ex aliis coalescunt, ut *Totum est maius suâ parte,* directè et ostensivè probantur ex nostro; quæ tamen fiunt ex ipso termino *ens*, licèt ex nostro ostensivè non probentur, probantur tamen per reductionem ad impossibile, quia nullum principium ita evidenter ac nostrum præsefert summum inconveniens, absurdum aut impossibile. At plures ex propositionibus, quæ ex solo ente fiunt, cum nostro principio coincidunt, ut : *Nihil simul est, et non est* : *Quodcumque est quamdiu est, necesse est esse etc.* Quòd si à nostro in sensu differant, per ipsum *indirectè* probantur, et quodammodò illustrantur.

70 Obi. 2° : Ideò certò affirmamus, quòd impossibile est idem simul esse et non esse, quia in ideâ entis clarè videmus impossibilitatem non entis : ergo principium nostrum probatur per aliud. Ant. pr. : Si in ideâ entis non videretur clarè impossibilitas non entis, non affirma-

remus quòd impossibile est etc. : ergo. ℟. nego ant. si tò *quia* innuat rationem à priori. Ad probationem 1°, nego etiam ant. Nam plura certò cognoscimus, quorum claram ideam non habemus, ut mysteria fidei; et etiam in naturalibus plura quæ licèt obscurè cognita ex principiis tamen evidentibus necessariò inferuntur.

71 2° dist. ant.; et hoc probat ideam claram esse aliquando principium *quo* cognitionis certæ, conc.; principium *quod* sit primò cognitum, nego. Nam ut res certò cognoscatur non requiritur ideam claram esse priùs cognitam, sed ad summum esse ideam seu speciem claram *qua* res cognoscatur. Nunc autem non loquimur de principiis *quo* intellectionis.

72 Obiicies ultimò: Primum principium est illud Cartesii : *Ego cogito* : *ergo sum :* ergo non nostrum. Ant. prob. : Ordinatè philosophari volenti quod primò certò occurrit est *se cogitare*, et quod primò ex illo infert est *se existere :* ergo primum certæ cognitionis principium est etc. Hinc licèt aliquis extra se nil cognosceret, non posset tamen ignorare dum cogitat se cogitare et existere. ℟ nego utrumque ant. Nam ideò Philosophus certus est se cogitare, seu *esse cogitantem*, quia certus est se *esse dum* est, adeòque esse cogitantem dum est cogitans; ideò autem certus est se *esse dum est*, quia certus est esse impossibile quòd simul sit et non sit : ac proindè certitudo quàm habet suæ cogitationis ex nostro principio pendet. Similiter positâ cognitione certò infert se esse, quia certus est quòd *operari sequitur ad esse,* nam huic principio evidenter innixa est illatio Cartesiana.

73 Nec contendimus necessarium esse his omnibus expressè attendere; sicut nec Cartesius contendet Philosophos omnes rerum certitudinem ex propriâ existentiâ, et hanc ex propriâ cogitatione *expressè* colligere. Contendimus solùm quòd si dum aliquam propositionem certò cognoscimus, reflexâ meditatione indagare volumus quid nos impellat, ut absque hæsitatione certò illi assentiamus, semper inveniemus aliquam aliam propositionem certiorem, ex qua prior illa inferatur, et quæ nos impellat ut illi assentiamus; donec perveniamus ad nos-

trum principium. Si autem de nostro principio sciscitemur, quid nos impellat, ut illud ut certò verum habeamus, nulla occurret propositio, seu nullum obiectum cognitum quod illud illustret aut probet; sed veniendum est ad principia *quo* cognitionis, seu ad criterium veritatis, quo certò verum cognoscimus.

74 Quæres: Quid sentiendum de hoc principio: *Nihil est in rerum naturâ sine ratione sufficiente?* ℟. apprimè conducere ad probandum rerum existentiam, tamen non esse primum. Etenim ratio sufficiens ea est, qua potiùs res sit quàm non sit, hoc vel illo modo. Cùm autem nihil sit in mundo, quod ab aliquo non determinetur ad existendum, alioquin eodem iure dici posset quòd existit, quàm quòd non existit: ergo nihil est in rerum naturâ sine ratione sufficiente. Hoc tamen principium probatur per illud: *Impossibile est cæt.* Nam si positâ ratione sufficiente, res non existeret, ratio esset simul sufficiens, ut asseritur, et non sufficiens, quia rem non determinaret: similiter si res existeret sine ratione sufficiente, non esset ratio sufficiens ut supponitur, aliunde esset, quia rem determinavit; sed impossibile est idem simul esse et non esse: ergo per hoc principium probatur illud, atque adeò non est primum.

75 Ad rectam dicti principii applicationem adverte 1°: licèt possimus tutò asserere, existere id, cuius ratio sufficiens dari evidenter constat, aut tutò negare, cuius non dari evidenter cognoscimus; non tamen negandum est omne illud, cuius rationem sufficientem non cognoscimus: nam ex eo quòd illam non assequamur, ut sæpissimè contingit, nullatenùs inferri potest, eam non extare. 2°: rationem sufficientem *proximam* existentiæ rerum in principiis rerum reperiri; at *ultimam* tandem resolvi debere in Divinam voluntatem rem sic determinantem. Cuius tamen voluntatis ratio sufficiens si quæratur, in ipso Deo quærenda est, nempè in Divinâ bonitate, ob quam Deus ab æterno voluit rem existere, et tali tempore ac tali modo existere.

ART. II.

DE PRINCIPIIS CONSTITUTIVIS ENTIS.

76 Dico 1°: *Principia constitutiva entis sunt actus, et potentia.* Prob.: Nullum datur ens reale, quod non sit actus, vel potentia, vel aliquid ex utroque constitutum, aliàs assignetur: ergo. = Obi. tamen 1°: Principia constitutiva entis sunt materia prima et forma, ut dicitur in Physicâ: ergo non sunt actus et potentia. 2°: Genus et differentia, essentia et esse, natura et subsistentia sunt principia entis: ergo. Ad 1^{m} ℟. 1° dist. ant.: sunt principia entis mobilis, seu substantiæ corporeæ, conc.; omnis entis, nego; nam non sunt principia Dei, Angelorum, et accidentium. ℟. 2° dist. ant.: sunt principia distincta ab actu et potentiâ nego; in iis contenta, conc. Materia enim est potentia, et forma est actus. Et hinc patet ad 2^{m}. Nam genus, essentia, et natura sunt potentiæ respectu differentiæ, existentiæ, et subsistentiæ, quæ sunt eorum actus.

77 Dico 2°: Actus ut definit D. Th. 1. p. q. 5. a. 3. est *perfectio quædam.* Unde *esse actum* est esse perfectionem, et *esse in actu* est suam habere perfectionem. Dico 3°: Actus dividitur in actum *purum* et actum *impurum.* Actus *purus* est qui non est admixtus potentiæ. Duobus autem modis actus admiscetur potentiæ. Primò quia est actus alicuius potentiæ; ut anima est actus corporis. Secundò quia ipse est in potentiâ ad ulteriorem actum, sicut Angelus est in potentiâ ad suam existentiam. Ita actus simpliciter purus est qui nec est actus alicuius potentiæ, nec est in potentia ad alium actum, seu qui nec aliud recipi, nec in alio recipitur, et talis est solus Deus.

78 Actus *impurus* dicitur ille qui est admixtus potentiæ, id est qui vel est actus alicuius potentiæ, vel ipse est in potentiâ ad alium actum. Dividitur in *actum primum* qui alium non supponit, ut forma substantialis, et *actum secundum* qui supponit alium, v. g. accidentia, quæ supponunt formam substantialem. Actus primus dividitur in *subsistentem*, qui solus potest existere, ut Angelus; et

non subsistentem, qui non potest saltem naturaliter existere, nisi cum materiâ seu potentiâ, ut forma lapidis. Actus *subsistens* subdividitur in subsistentem *completè*, qui ita est in se ipso, quod non potest recipi in potentiâ, ut Angelus; et in subsistentem *incompletè*, qui licèt possit esse in se ipso, petit tamen esse in potentiâ, ut anima rationalis.

79 Nota autem potentiam significare *principium actûs*: quod potest esse dupliciter, nimirùm *activè*, seu principium agendi à quo fit actus: et *passivè*, seu principium patiendi quod recipit actum. Potentia activa cùm ipsa sit actus, metaphysicè non est potentia. Unde dico 4°: Potentia passiva est: *Aptitudo ad actum habendum*. Unde *esse potentiam* est esse ipsam aptitudinem seu habitudinem ad actum; *esse in potentiâ* est esse aptum ad actum absentem.

80 Dico 5°: Potentia dividitur primò *in puram* quæ nullum habet actum, sicut materia prima, de qua in Physicâ: et *non puram* quæ iam habet aliquem actum, sed cum ordine ad alium, sicut potentia subiecti ad accidentia. Secundò in *physicam* quæ recipit actum importantem mutationem sensibilem seu physicam, ut aqua respectu caloris; *metaphysicam* quæ recipit actum abstractum à materiâ sensibili, ut intellectus respectu scientiarum; et *logicam* quæ recipit actum solùm per intellectum distinctum ab ipsâ potentiâ, sicut potentia generis ad differentiam. Tandem, omissis aliis divisionibus, potentia alia est *naturalis*, alia *obedientialis*. Naturalis est potentia ad actum naturæ viribus proportionatum, sicut potentia aquæ ad calorem. Obedientialis dicitur illa potentia, quam habent creaturæ in quantum obediunt Creatori, ad accipiendum ab ipso actus excedentes naturam, sicut potentia ad accipiendam gratiam, et alia dona supernaturalia.

81 Super hactenùs dicta hæc axiomata fundantur.

I. *In tantum aliquid est perfectum in quantum est i actu, imperfectum verò in quantum est in potentiâ.*

II. *Actus omninò purus est omninò perfectus.*

III. *Actus in aliquo ordine purus in eo ordine omninò perfectus est.*

IV. *In tantum aliquid agit in quantum est in actu; patitur verò, in quantum est in potentiâ.*

V. *Potentia nequit se reducere ad actum, sed reduci debet ab alio existente in actu;* nam reducere ad actum est agere et perficere, potentia verò in eo ad quem est potentia, nequit agere et perficere.

VI. *Omne ens mutabile constat actu et potentiâ;* nam res mutatur, vel quia incipit esse actu id quod erat in potentiâ; vel quia desinit esse id quod actu erat.

QUÆSTIO II.

DE ENTE ET EIUS PROPRIETATIBUS.

82 Ens in Logicâ consideravimus in ordine ad inferiora ad quæ extenditur; nunc ens in suâ ratione contemplandum aggredimur: quid scilicet in ratione entis comprehendatur, quæque proprietates ad ipsam ita necessariò consequantur, ut in omni eo esse debeant quod intelligatur ens. Hanc autem quæstionem quinque articulis complectemur; quorum 1° entis rationem seu essentiam aliquantulùm explicabimus, et aliquas entis divisiones, iis quæ in Logicâ adductæ sunt, superaddemus. In 2° quomodò essentia à suo actu seu existentiâ differat inquiremus: in 3° quot sint proprietates entis; quæ in 4° et 5° sigillatim declarabuntur.

ART. I.

Quid et quotuplex sit ens?

83 Cùm *ens* dicatur ab *esse*, eo modo aliquid dicitur **ens**, quo se habet ad esse. Hinc quod solùm esse habet

quatenùs menti obiicitur, dicitur *ens rationis*, de quo in *Log. Inst.* à n. 26; quod autem præter esse obiectivum in mente, in ipsâ quoque rerum naturâ habet esse, dicitur *ens reale*, de quo in præsenti. Hoc autem nomen *ens* significat rem ut dicit ordinem ad existentiam. Et sumi potest dupliciter, participialiter scilicet et nominaliter. Sumptum *participialiter*, seu prout est participium verbi *sum es est*, significat rem ut actu existentem: sicut *amans* in vi participii eum significat qui actu amat. Sumptum verò *nominaliter*, seu in vi nominis, significat rem ut potentem existere, sicut *amans* si sumatur ut nomen etiam significat eum qui potest amare.

84 Hìc autem sumitur *ens* nominaliter, id est, ut dicit quidem ordinem ad existentiam, non tamen ad existentiam ut actu habitam, seu ut præscindentem ab actuali et possibili. Et sic describi potest: *Quod habet essentiam realem: Quod potest realiter existere*: vel potiùs: *Id cuius actus est esse.* Hinc in ente duo distinguimus, nempè *quid sit*, et *quod* iam *sit*; seu actum essendi, et rem quæ hunc essendi actum habet. Actus essendi dicitur *existentia.* Res verò, cuius est hic actus, dicitur *essentia.* Unde essentiam hominis v. g. seu quid sit homo integrè possumus intelligere, quin de eius existentiâ cogitemus, seu an re ipsâ existat an non.

85 Essentia definiri solet: *Id quo aliquid constituitur in determinatâ rei specie: Id quod primum in re concipitur: Id sine quo res intelligi nequit: Id quod definitione explicatur*: *Id quo respondemus ad quæstionem quid est?* Unde dicitur etiam *quidditas*, aut item *ratio rei*, quòd sit ratio ob quam res est id quod est, vel quòd menti ac rationi obiiciatur. Etiam dici solet *forma*; nam sicut in rebus materialibus forma determinat materiam ad hanc entis speciem; ita in rebus omnibus essentia est id quo res constituitur in determinatâ specie.

86 Existentia quoad nominis impositionem est quasi *sistentia extra nihil et causas*; quoad rem autem significatam describi potest: *Ultima actualitas essentiæ.* Existentiam ab essentiâ cui convenit intellectu differre nemo

3*.

dubitat ; nam quid sit homo, quid circulus intelligimus, quin de eorum existentiâ cogitemus : imò scientiæ omnes circa rerum essentias versantur ab existentiâ præscissas. Solùm quæstio est an re ipsâ, seu ante omnem actum intellectûs, distincta sint, de quo art. seq.

87 Ens reale dividitur 1° in *increatum* seu creatorem, nempè Deum, qui est à se ipso ; et *creatum* seu creaturam, quæ est ab alio. 2° in *necessarium*, quod ita est ut non possit non esse seu non existere ; et *contingens*, quod deperdere potest *esse* quod habet. Solus autem Deus est absolutè necessarius ; nam creaturæ Deo volente in nihilum redigi possunt. Earum tamen nonnullæ dicuntur entia necessaria, ut Angeli et anima rationalis, quatenùs à Deo à quo solo pendent indefectibiliter conservantur. 3° in *spirituale*, cuius esse nulli materiæ immixtum est, ut Deus et Angeli ; et *materiale*, quod in materiâ esse habet, ut terra et planta. Anima nostra, licèt in se spiritualis, materiæ seu corpori ut eius forma unitur ; et hac ratione dicitur quandoque medium inter ens spirituale completè subsistens, et materiam (1).

88 Huc spectat divisio entis in *possibile*, *futurum*, *præsens*, et *præteritum*, quæ non tamen est divisio entis in varia genera quàm in varios status ; nam idem ens, quod anteà erat futurum, nunc est præsens, et posteà erit præteritum. Itaque cùm à Dei Omnipotentis voluntate seu decreto pendeat, quòd ens fiat vel non fiat ; ideò possibilia dicuntur ea, quæ cùm produci possint, ea tamen producere Deus non decrevit ; quæ tamen Deus fieri voluit, ea sunt futura antè quàm fiant, præsentia dum existunt, præterita posteà quàm amiserint existentiam.

89 Ut tamen *possibilis* notio clarior fiat, advertendum 1° possibile aliud esse *physicum*, alium *metaphysi-*

---

(1) *Tandem omissis aliis divisionibus, dividitur ens in* completum *et* incompletum. Completum *verò in decem prædicamenta, de quibus sicut de analogiâ entis plura in Log. Instit. Disp.* 2ª, *quæ nunc speciali quodam iure recolenda est.*

cum. Possibile physicum est illud quod dividitur contra præsens, præteritum et futurum; et ideò dicitur *physicum*, quia sic possibilitas est peculiaris entium classis seu status ab aliis entium statibus seu classibus diversus. Sic enim alter mundus v. g. est possibilis, non autem hic mundus qui est præsens, nec Adam qui est præteritus, nec Antichristus qui est futurus. Possibile metaphysicum dividitur contra impossibile; et dicitur *metaphysicum*, quia sic possibilitas est quasi metaphysica attributalis passio consecuta ad ipsum ens, sicque omni enti in omni statu conveniens. Unde hoc modo nedum alter mundus est possibilis, sed etiam hic mundus, Adam et Antichristus, imò et omnia quæ non sunt impossibilia.

90 Advertendum 2° possibile metaphysicum describi posse: *Id quod esse non pugnat,* seu ut ait Arist.: *Id quo posito nullum sequitur impossibile*; aut etiam: *Id quod ab aliquâ causâ produci potest.* Unde duo importat. Primò non repugnantiam ex parte rei. Secundò potentiam activam ex parte causæ effectricis. Et hinc possibile dupliciter dicitur: scilicet *absolutè,* quod ei non repugnet esse; et *respectivè,* quod à causâ fieri possit. Iam verò causa aut increata est, aut creata. Si de creatâ loquimur, plura absolutè possibilia sunt, seu in se non pugnant, quæ respectivè sunt impossibilia, seu ab agente creato fieri nequeunt. At si de causâ increatâ sit sermo, sic possibile absolutum et respectivum convertuntur: id est, quidquid in se non pugnat à Deo fieri potest; et quidquid à Deo fieri potest in se non pugnat.

91 Advertendum 3°, absolutam seu *intrinsecam* rerum possibilitatem non pendere à liberâ Dei voluntate, neque ab eius omnipotentiâ; quamvis ab his pendeat possibilitas rerum respectiva seu *extrinseca.* Etenim possibilitas intrinseca sita est in non repugnantiâ terminorum: hæc autem similiter concipitur, priusquam concipiatur velle Deum res producere vel non producere. Pendent nihilominùs possibilia à Deo primo ente, à quo rationem aliquam entis participare possunt, alioquin non essent possibilia, seu pendent à Divinâ essentiâ diversimodè participabili. Quare nulla concipi potest possibili-

tas ante Divinam essentiam, quæ nostro intelligendi modo attributa omnia antecedit; ante omnipotentiam verò et liberam Dei voluntatem potest. Inde etiam possibilia sunt infinita, et positivè ab æterno, non in se ipsis, sed in Deo, cuius essentia est ab æterno infinitè participabilis.

ART. II.

An in creatis existentia realiter differat ab essentiâ?

92 Ens *increatum* seu à se existens eo ipso necessarium est, cùm sufficientem rationem essendi in se habeat; et eo ipso per suam essentiam existit, cùm sit ipsum esse. Ex quo etiam illud consequitur, ens à se omnem plenitudinem entis in se continere, atque adeò quidquid perfectionis excogitari possit. Nam ut ratiocinatur D. Th. l. cont. Gent. c. 28.: *Nobilitas cuiuscumque rei est sibi secundùm suum esse..... Sic ergo secundùm modum quo res habet esse, est suus modus in nobilitate... Igitur si aliquid est cui competit tota virtus essendi, ei nulla virtus nobilitatis deesse potest, quæ alicui rei conveniat. Sed rei quæ est suum esse, competit esse secundùm totam essendi potestatem.... Non potest ergo carere aliquâ nobilitate, quæ alicui rei conveniat.* Quapropter ad ens *creatum* præsens contrahitur disputatio.

93 Conclusio: *In omni ente finito et creato essentia reipsâ distinguitur ab existentiâ, ut potentia à suo actu: unde creaturæ realiter componuntur ex essentiâ et esse ut ex duobus essendi principiis.* Ita perpetuò D. Th.; unum tamen locum adducemus, nempè 1. p. q. 54. a. 3. ubi ait: *In omni ente creato essentia differt à suo esse, et ad ipsum comparatur, ut potentia ad actum.*

94 Pr. 1° conclusio: Actus realiter distinguitur à potentiâ in qua recipitur; nam nil se ipsum recipere potest; sed esse seu existentia creaturæ recipitur in eius essentiâ: ergo realiter ab illâ distinguitur. Min. prob.; tum ex communi loquendi more, quo dicimus creaturas recipere à

Deo esse seu existentiam; tum etiam ratione: Existentia creaturæ nequit esse subsistens seu irrecepta; sed in nullo recipi potest nisi in essentiâ, ut patet: ergo. Mai. in qua est difficultas prob. 1° : Existentia irrecepta est actus purus; sed existentia creaturæ nequit esse actus purus: ergo. Mai. prob.: Deus est actus purus, quia nulli potentiæ admiscetur; sed existentia irrecepta nulli potentiæ admiscetur: ergo.

95 Min. prob.: Actus miscetur potentiæ vel quia est actus alicuius potentiæ, vel quia ipsa est in potentiâ ad alium actum; sed existentia irrecepta non est actus alicuius potentiæ, cùm in nullâ recipiatur: nec tendit ad ulteriorem actum, cùm sit ultimus in lineâ entis: ergo. =Dices existentiam creaturæ, licèt irreceptam, recipere tamen aliquid, nempè subsistentiam. = Contrà: Potiùs suppositum recipit existentiam, est enim id quod producitur, id est ducitur ad esse: ergo subsistentia non recipitur in existentiâ, sed è contrario. Itaque existentia est ultima essendi actualitas, seu ut ait D. Th. 1. p. q. 3. a. 4. et q. 4. a. 1. ad 3. *est actualitas omnium rerum etiam formarum; unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed sicut receptum ad recipiens.*

96 2° prob. illa mai.: *Esse* irreceptum seu subsistens debet esse unicum et infinitum in essendo, ac proindè simpliciter; sed existentia creata nequit esse unica et infinita: ergo nec irrecepta. Mai. prob. 1°: Omnis actus seu forma irrecepta est unica, et infinita in suâ specie seu ordine: ergo et esse irreceptum etc. Ant. prob.: Omnis forma irrecepta continet in se omnem perfectionem suæ speciei; sed si non esset unica in specie iam ipsi deficeret perfectio quam haberet aliud individuum eiusdem speciei: et si non esset infinita in illâ specie iam non haberet eam perfectionem cuius defectu limitaretur: ergo.

97 Mai. prob.: Forma irrecepta est actus purus in suâ specie; sed actus purus est omninò perfectus in suâ specie: ergo. Mai. patet; nam cùm forma sit actus speciei, solùm potest esse potentialis in suâ specie per hoc quòd recipiatur in materiâ seu potentiâ speciei; nil enim in suâ specie recipere potest; sed si aliquid recipit est alterius

speciei : unde si est irrecepta est actus purus in suâ specie. Min. verò prob. : Actus, ut omnes admittunt, idem est ac perfectio, sicut potentia idem ac imperfectio : ergo actus purus in aliquâ specie, seu sine potentiâ eiusdem speciei, est omninò perfectus in eâdem specie, seu sine imperfectione eiusdem speciei.

98 2° prob. mai. n. 96 : Actus solùm limitatur et multiplicatur per potentiam in qua recipitur (1) : ergo esse seu existentia, quæ est actus irreceptus, est una et infinita in esse, id est simpliciter. Ant. exponitur, et prob. : Nam cùm naturam à materiâ abstrahimus, ipsâ vi abstractionis una fit, ut unum quid concipitur, unicâ definitione definitur, ac totius speciei rationem complectitur, estque ab infinitis individuis participabilis. Unde si sic abstracta subsisteret in re, esset unica in re ac infinitè participabilis : ergo ex eo constat formam seu actum abstractione à suo subiecto adunari, ac totam suæ rationis amplitudinem complecti ; receptione verò in suâ potentiâ multiplicari et limitari (2).

---

(1) *Hoc principium, nempè* : Actus limitatur et multiplicatur per potentiam, à qua proinde si liber sit, erit unicus et infinitus in suâ lineâ, *licèt plerisque videatur mysterium, adeò clarum et certum D. Th. visum est, ut frequens eo utatur tum ad alia, tum ad Dei unitatem et infinitudinem demonstrandam. Platoni quoque adeò constans visum est, ut cùm naturas abstractas et irreceptas statueret, unamquamque in suâ specie unicam, et infinitè participabilem ipso abstractionis iure esse diceret.*

(2) *Ut autem clariùs intelligatur quomodò actus ipsâ receptione in materiâ limitetur et multiplicetur, habendum præ oculis, quòd cùm actus sit perfectio, et potentia imperfectio, actus omninò purus ut Deus continet in se totam essendi plenitudinem ; potentia verò pura, nempè materia prima, summam essendi imperfectionem. Et ideò quò magis actus accedit ad potentiam seu materiam eique immergitur, eò magis finitur, minuitur, imperficitur, adeòque multiplicatur, quia* quæ sunt uni-

99 His rationibus occurrere conantur Adversarii duplici viâ; nempè quòd licèt in creaturis essentia identificetur cum existentiâ, tamen possunt creaturæ recipere accidentia ex quibus et substantiâ fiat compositio: et aliundè pendent à Deo, et hac dependentiâ finiuntur seu limitantur. = Contrà: Si creaturarum esse et essentia identificarentur, nec creaturæ, saltem Angeli, possent recipere accidentia, nec à Deo penderent: ergo ruit utraque solutio. Prob. 1ª pars: Esse susceptivam accidentium est proprietas substantiæ finitæ: ergo per prius debet intelligi finita quàm susceptiva accidentium; sed Angelus ante potentiam ad accidentia, cùm non habeat materiam et formam, non potest finiri nisi per receptionem *esse* seu existentiæ in essentiâ: ergo si hæc sunt indistincta, Angelus non potest intelligi finitus pro priori ad accidentia, sicque nec illa recipere.

100 Prob. 2ª pars: Ideò creatura est dependens ab alio, quia est ens finitum, limitatum, et potentiale: ergo dependentia à Deo non efficit creaturam finitam sed supponit; sicque si non esset finita per compositionem essentiæ et esse, creatura non penderet à Deo. Ant. prob.

---

ta in superioribus, sunt multiplicata et divisa in inferioribus.

Contra verò quantò magis recedit à potentiâ, tantò magis accedit ad Deum, qui est plenitudo essendi; ideòque magis perficitur et ampliatur, et consequenter adunatur; quia quæ sunt dispersa in inferioribus sunt unita in superioribus. *Unde sicut potentia deprimit actum, ita quoque eum multiplicat et limitat. Et ideò actus qui in suâ specie non habet potentiam seu materiam, est in suâ specie unicus et illimitatus, ut verum sit illud apud D. Th. frequens:* Omnis forma completè subsistens est in suâ specie perfectissima ac proindè unica. *Imò actus qui sit liber ab omni potentialitate et materiâ erit expers omnis limitationis et multiplicitatis. Meritò igitur ut evidentissimum passim usurpat D. Th. hoc effatum:* Actus irreceptus est unicus et infinitus.

1° : Ideò Deus est independens ab alio quia ex se est ipsa plenitudo essendi, et actus purus, sicque nullo alio indigens: ergo etiam etc. 2° : Dependentia creaturarum à Deo fundatur super eius limitatione et potentialitate in lineâ entis : ergo. Ant. prob. : Ideò creatura dependet seu indiget Creatore in essendo, quia supponitur quasi in potentiâ ad esse, quod ex se non habet, ac proindè indiget alio à quo illud recipiat, scilicet Creatore : ergo.

101 Prob. nunc simul utraque pars : Si creaturarum esse et essentia identificarentur, creaturæ essent ens infinitum secum identificans omnem perfectionem essendi : ergo nec ab accidentibus nec à Deo perfici possent. Ant. prob. : Tunc creaturæ secum identificarent ultimam actualitatem seu perfectionem omnis generis : ergo essent etc. Ant. prob. : Secum identificarent ultimam actualitatem in essendo seu in genere entis; sed ens transcendit omnia genera : ergo. Mai. prob. : Existentia est ultima actualitas in genere entis : ergo. Ant. pr. 1° : Ultima actualitas in genere entis est quæ correspondet enti generice sumpto, seu in totâ suâ latitudine; sed talis est existentia, nam subsistentia soli substantiæ convenit, et sic de aliis : ergo. 2° : Illa est ultima actualitas in essendo qua positâ nil deficit rei ad essendum, sicque est; sed positâ rei existentiâ, nil rei deficit ad essendum : ergo. 3° : Omnia alia etiam ipsæ formæ non habent actualitatem nisi ratione existentiæ : ergo ipsa est ultima actualitas quam omnia expectant.

102 Tandem prob. conclusio : Quod accidentaliter convenit alicui realiter ab illo distinguitur; sed existentia accidentaliter convenit essentiæ creatæ : ergo. Min. prob. : Hæc propositio : *Animal rationale est existens*, est contingens; sed in tali propositione existentia prædicatur de essentiâ : ergo. = Si dicant Contrarii existentiam accidentaliter advenire essentiæ positæ intra causas, non verò positæ extra illas = Contrà : Existentia advenit accidentaliter essentiæ cui convenit; sed existentia non convenit essentiæ intra causas, quia tunc non est existens : ergo. Addes : Si existentia realiter identificaretur cum essentiâ, hæc priùs denominaretur existens quàm producta; sed

hoc est ridiculum : ergo. Mai. prob. : Res per prius denominatur ab eo quod secum identificat, quàm ab eo à quo realiter differt ; sed essentia dicitur *existens* ab existentiâ, et producta à *productione* à qua differt : ergo si etc.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

103 Obi. 1° : Existentia nequit recipi in essentiâ : ergo nec ab illâ distingui. Ant. prob. : Existentia non potest recipi in nihilo ; sed essentia, exclusâ existentiâ, est nihilum : ergo. ℟. dist. min. : essentia, præscissâ existentiâ, est nihil *nihilitate existentiæ*, conc. ; *nihilitate essentiæ*, nego. Cùm enim distinguamus in ente duo principia constitutiva, scilicet essentiam et existentiam, seclusâ existentiâ, essentia non est aliquid existens ; ideòque potest dici nihil nihilitate *existentiæ*, sicut materia seclusâ formâ non est aliquid actu. Attamen sicut materia, præscissâ formâ, habet realitatem potentialis : ita quoque essentia, præscissâ existentiâ, habet realitatem propriam seu essentiæ, quamvis non existentem ex se ipsâ, sed quatenùs actu est subiectum existentiæ.

104 Contrà : Quod non est extra causas est omninò nihil ; sed essentia, præscissâ existentiâ, non est extra causas, nam existentia est *extra causas sistentia* : ergo. ℟. dist. min. : essentia, ut præscissa ab existentiâ præscissione realis separationis, non est extra causas, conc. ; ut præscissa solùm præscissione distinctionis realis, nego. Explicatur : Essentia potest dupliciter præscindi ab existentiâ. Primò præscissione separationis, ita ut realiter destituatur omni existentiâ. Secundò præscissione distinctionis realis, quatenùs licèt sit sub existentiâ, attamen sumitur ut res distincta ab illâ tamquam à suâ actualitate. Primo modo sumpta essentia non est extra causas, nec potest esse in rerum naturâ, sicut nec materia separata ab omni formâ. Secundo verò modo sumpta dicit aliquid

in re et extra causas, scilicet subiectum participans actualitatem essendi (3).

105 Obi. 2°: Si essentia distinguitur ab existentiâ, confunditur cum materiâ primâ : ergo. Ant. prob. : Materia prima est potentia essendi ; sed essentia quoque esset potentia essendi : ergo. ℟. summum esse discrimen ; nam materia est pura potentia nedum in lineâ existentiæ, sed etiam in lineâ essentiæ ; quia ex se non est determinata ad certam essentiæ speciem, sed determinatur per formam quæ est actus essentialis. At rursùs compositum ex materiâ et actu essentiali seu formâ, quod dicitur *essentia*, comparatur ad existentiam tamquam ad suam ultimam actualitatem. Et ideò forma dicitur *actus primus*, et existentia *actus ultimus.* Unde, ut ait S. Th. q. de Spir. Cre. a. 1., in corporeis substantiis duplex est compositio : prima materiæ et formæ ad constituendam essentiam ; secunda essentiæ et existentiæ ad constituendum ens perfectum. At verò in Angelis est tantùm unica, nempè essentiæ et existentiæ.

106 Obi. 3° : Existentia creata suam quoque habet essentiam ; sed hæc ab ipsâ existentiâ realiter non differt : ergo nec aliarum rerum essentia. ℟. existentiam propriè non habere essentiam, sed esse actum omnis essentiæ. Quòd si in existentiâ dicimus esse saltem impropriam essentiam, ista non existit ut *quod*, sed ut *quo*; idest, est id *quo* alia existunt ; essentia autem quæ à suâ existentiâ realiter differt est quæ existit ut *quod.* Unde sicut agens creatum, ut agat, indiget actione distinctâ ;

---

(3) *Aliter distingui potest et fortè clariùs : essentia* obiectivè *sumpta non est extra causas, conc.* ; subiectivè *sumpta, id est, ut actu subiicitur existentiæ tamquam propria potentia proprio actui, nego. Item responderi posset, essentiam, præscissâ existentiâ, non esse completè et ultimatè extra causas, esse tamen extra illas incompletè et inchoativè ; quemadmodum de materiâ primâ solent dicere Physici, quòd, præscissâ formâ, est inchoativè extra causas.*

actio verò ut suo modo agat non indiget aliâ actione: ita omne creatum ut existat indiget existentiâ à se distinctâ; attamen ipsa existentia, qua res existunt, non eget aliâ existentiâ, sed per se ipsam suo modo existit.

107 Obi. 4°: Licèt essentia identificaretur cum existentiâ non esset infinita: ergo. Ant. prob.: Essentia et existentia creata sunt aliquid finitum; sed finitum additum finito non facit infinitum: ergo. ℟. dist. min.: finitum additum finito cum distinctione reali, conc.; additum per identitatem, nego. Id est, aliquid nunc finitum si identificaretur cum alio nunc finito fieret infinitum; quia ipsi deficeret principium limitationis seu finitudinis, quod est receptio activa vel passiva. Unde sicut omnes fatentur quòd si natura creata secum identificaret suam operationem esset infinita, licèt tam natura quàm operatio finita sint: ita nos dicimus de essentiâ et existentiâ.

108 Contrà: Essentia identificata cum existentiâ, licèt nec recipiens nec recepta, esset tamen à Deo producta: ergo et finita. Ant. prob.: Res priùs intelligitur producta, quàm receptibilis: ergo. Ant. prob.: *Receptibile* est prædicatum differentiale formæ receptibilis, et *producibile* est prædicatum commune receptibili et recipienti; sed prædicata communia sunt priora differentialibus: ergo. ℟. dist. ult. min.: priora in prædicando, conc.; in constituendo, nego: sic enim prior est differentia constitutiva rei; et ideò nequit essentia intelligi producta quin priùs intelligatur receptiva, neque existentia quin priùs intelligatur receptibilis: ideò enim res producitur, quia est ens per participationem, seu quia ex suâ essentiâ non habet esse, ac proindè essentia debet recipere *esse*, et ipsum *esse* debet recipi in essentiâ. Et hinc ait D. Th. 1. p. q. 7. a. 2. ad 1^m: *Est contra rationem facti, quòd essentia rei sit ipsum esse eius, quia esse subsistens non est esse creatum.*

109 Obi. ultimò: Quæ non possunt separari non distinguuntur; sed existentia nequit separari ab essentiâ: ergo. ℟. 1° nego mai.: Plura enim distinguuntur quæ separari non possunt, ut materia nequit separari ab omni formâ. ℟. 2° etiam de facto existentiam posse separari ab essen-

tiâ ; nam in Christo essentia seu humanitas fuit realiter separata à suâ existentiâ ; existit enim existentiâ Verbi. Pro coronide advertas essentiam pro priori ad existentiam intelligi finitam, quatenùs intelligitur in *potentiâ* ad existentiam, licèt illam *actu* non habeat.

110 Quæres autem 1°, an accidentia existant per existentiam substantiæ cui inhærent? ℟. accidentia existere existentiâ propriâ. Patet 1° in Eucharisticis. 2° in supernaturalibus, quæ non possunt existere per existentiam alterius ordinis, aut naturalem qualis est existentia sui subiecti. 3° in omnibus ; nam adveniunt substantiæ iam existenti, et novâ productione seu eductione sæpè fiunt, cùm tamen nova productio novam communicet existentiam. Hinc ait D. Th. 3. p. q. 17. a. 2 : *In Sorte v. g. ponitur aliud esse secundùm quod est albus, et aliud secundùm quod est homo.* = Quæres 2°, an etiam in accidentibus distinguatur essentia ab existentiâ ? ℟. affirmativè ; nam hæc distinctio non petitur à ratione substantiæ aut particularis entis, sed ab ipsâ ratione entis finiti et limitati ; accidens autem ens finitum est. Unde meritò D. Th. loquens de accidentibus Eucharisticis, ait (3. p. q. 77. a. 1. ad 4.) *quòd sunt composita ex esse et quod est*, sicut Angeli.

111 Quæres 3°, quid sit *subsistentia?* Ante responsionem nota quòd substantia completa differt ab accidentibus et entibus incompletis, quòd sit sui ipsius, in se subsistens, et terminata. At verò accidentia non sunt sui ipsius sed alterius, scilicet subiecti, et partes sunt sui totius. Unde si substantia completa, v. g. homo, aliquid operatur, operatio tribuitur ipsi. At verò si accidens vel pars hominis agat, v. g. si musica causet cantum, et manus percutiat, nec manus nec musica dicuntur agere, sed homo per musicam et manum. Manus enim et musica non sunt sui ipsius, sed hominis. Hæc perfectio per quam substantia ita completur, ut sistat in se ipsâ, sitque sui ipsius et non alterius, dicitur *subsistentia ;* quasi *in se ipso sistentia.* De illâ quærimus quid sit, et quomodò ab essentiâ et existentiâ distinguatur.

112 ℟. ergo 1° : Subsistentia est : *Actualitas qua natu-*

ra sustentatur in se ipsâ, ut non egeat communicari alteri ad essendum et operandum. Dico *non egeat*, quia natura Divina, quamvis sit subsistens in se ipsâ, est tamen ulteriùs communicabilis tribus Personis; non quidem ex necessitate aut indigentiâ, sed ex infinitâ fœcunditate. Concretum subsistentiæ nedum dicitur subsistens, sed etiam *suppositum* seu *hypostasis*. Quòd si natura est intellectualis, tunc suppositum dicitur *persona*: non enim dicimus personam equi aut lapidis; sed personam Divinam, vel angelicam, vel humanam. Unde persona nil addit supra suppositum, nisi excellentiam quamdam petitam ex naturâ intellectuali.

113 ℟. 2°: *Subsistentia est quid positivum, realiter distinctum à naturâ seu essentiâ et etiam ab existentiâ.* Est *positiva*; quòd enim natura sit sui ipsius et non indigeat altero sustentante est perfectio et actualitas quædam: ergo subsistentia exprimit aliquid positivum. Unde S. Doctores dicunt Verbum Divinum non assumpsisse subsistentiam naturæ humanæ, sed eam consumpsisse, et loco eius Divinam subsistentiam subrogasse; quod dici non posset de purâ negatione. Et hinc etiam apparet *subsistentiam esse ab ipsâ naturâ distinctam*; nam in Incarnationis mysterio natura humana separata fuit à suâ subsistentiâ: ergo distinguuntur. Denique *differt ab existentiâ*; nam hæc cùm solùm dicat ultimam actualitatem essendi, et substantiis convenit et accidentibus; subsistentia verò convenit tantùm substantiis quas complet.

ART. III.

Quot sint proprietates entis?

114 Prænotandum est quòd proprietas, proprium attributum, seu passio est *quæ ab essentiâ dimanat et cum ipsâ convertitur*, seu convenit omnibus, solis, ac semper iis quibus ipsa essentia convenit. Proprietas, ut in *Log. Inst. n.* 135 dicebamus, aut est *physica*, seu realiter distincta ab essentiâ, aut *attributalis*, seu distin-

cta solùm per intellectum (1). Ens igitur utpote omninò simplex nequit habere proprietates physicas; quia tamen ipsa simplex ratio entis varia respicit, ideò considerans intellectus hos varios respectus seu ordines, eos rationi entis attribuit, seu in varia attributa seu proprietates distinguit. Sit igitur

115 Conclusio : Proprietates entis sunt quatuor, scilicet *unum, verum, bonum,* et *aliquid*. Prob. : Quod dimanat ab ente et explicat aliquid non explicatum per ens est proprietas entis ; sed hæc quatuor ita se habent : ergo. Mai. patet ; nam cùm proprietates entis non sint physicæ, non addunt rem aliquam supra ens, sed explicant id quod nomine *ens* non explicabatur. Min. quoad 1^{m} partem, nempè quòd hæc dimanent ab ente, ex eorum consideratione innotescet. Quoad 2^{m} prob. : *Unum* explicat indivisionem in se, *verum* ordinem ad intellectum, *bonum* ordinem ad voluntatem, et *aliquid* divisionem ab aliis; sed hæc non explicantur per *ens* : ergo. Min. prob. : Ens solùm explicat ordinem ad actum essendi seu existentiam : ergo.

116 Dicet aliquis frustrà post *unum* addi *aliquid*, cùm divisio ab aliis sufficienter explicetur per *unum*. Contrà 1° : Licèt *unum* inferat divisionem ab aliis, eam tamen non explicat; sed hoc sufficit ut sint proprietates distinctæ, nam entis proprietates, utpote transcendentes, solùm differunt penes id quod explicant, seu penes explicitum, aut imperfectè : ergo. Mai. pr. : *Unum nihil aliud significat quàm ens indivisum, seu carentiam divisionis*, iuxta D. Th. 1. p. q. 11. a. 1 : ergo. Hinc ut ait q. 1. de Ver. a. 1 : *Sicut ens est* unum *in quantum est indivisum in se, ita dicitur* aliquid *in quantum est divi-*

---

(1) Attributalis *dicitur* logica *aut* metaphysica : *at si propriè loquamur solùm est* logica, *quando est ratio univoca ut mortale ; nam proprium logicum, sicut omne prædicabile, debet esse univocum : est autem* metaphysica, *quando est ratio Divina aut etiam transcendens ; nam de his agit Metaphysica.*

sum ab aliis. Contrà 2°: Ut observat D. Th. ibid., *unum* est modus entis in ordine ad se, *aliquid* autem, *verum* et *bonum* sunt modi entis in ordine ad alia; sed *aliquid*, *verum*, et *bonum* sunt proprietates inter se distinctæ: ergo potiori iure ab illis distinguitur *unum*.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

117 Obi. 1°: *Res* est etiam proprietas entis: ergo sunt plures quàm assignatæ. Ant. prob.: Res convenit omni enti et explicat aliquid non explicatum per ens: ergo. ℟. dist. 2m ant.: et dimanat ab ente seu est posterior ente, nego; et est prior ente, conc. Nam res (q. 1. de Ver. a. 1.) exprimit quidditatem sive essentiam nudè sumptam; atque adeò non consequitur imò antecedit ens, quod exprimit essentiam cum ordine ad actum essendi seu existentiam. Hìc observa, quòd cùm res exprimat quidditatem, ideò quibus valdè imperfecta quidditas est, solent non *res* dici sed rerum *modi*, ut in *Log. Inst. n.* 222; quamquam modi, sicut sunt entia, etiam res sint, licèt imperfectæ, et ut ita dicam minutissimæ quidditatis.

118 Obi. 2°: Plures aliæ sunt proprietates entis: ergo manca est divisio. Ant. prob. 1°: Principium, causa, elementum, et alia plura de quibus Arist. toto lib. V. Met. sunt generales quædam entium affectiones: ergo et proprietates. 2° pr. ant.: Possibile ut dividitur contra impossibile convenit omni enti reali, nam nullum ens reale est impossibile; sed explicat aliquid non explicatum per ens: ergo est vera proprietas entis. Min. prob.: Possibile explicat respectum ad causam, scilicet ad Deum à quo fieri potest; sed hic respectus non explicatur per ens: ergo.

119 ℟. ad 1m nullum ex his quæ lib. V. exponuntur, præter iam assignata in conclusione, explicare aliquid omni enti conveniens, sicque nec dici posse generalem entis affectionem aut proprietatem, ut ex singulorum consideratione facilè colligitur. Hìc etenim Arist. ea nomina exponere aggreditur, quorum in omnibus ferè

scientiis usus est (2); atque adeò nedum rationes omni enti convenientes, sed eas quoque in quas altissima entis ratio primò dividitur. Et licèt totius libri summam exhibere huius loci proprium foret, quia tamen omnia alibi exposita aut exponenda sunt, ideò nunc duximus omittenda.

120 ℟. ad 2^m dist. 2^m mai.: possibile respectivè sumptum, seu prout possibilitas est denominatio extrinseca, conc.; sumptum absolutè, seu prout possibilitas est aliquid intrinsecum rei possibili, nego. Itaque possibile, ut diximus, denominatur tale et extrinsecè à divinâ Omnipotentiâ, et intrinsecè à non repugnantiâ ad essendum. Neutro autem modo possibilitas est proprietas entis: non primo, nam illa denominatio extrinseca non convenit ipsi Deo, sicque nec omni enti: nec secundo, nam sic possibile solùm explicat ordinem ad existentiam non repugnantem: hunc autem ordinem iam explicat ipsum nomen *ens;* licèt minùs clarè explicet non repugnantiam, quàm tò *possibile.*

ART. IV.

DE UNO ET ALIQUO SEU DISTINCTO.

121 Prænotandum est, *unum* esse duplex, prædicamentale scilicet et transcendentale. Primum est principium numeri, et addit supra ens aliquid pertinens ad genus quantitatis. Secundum convertitur cum ente, nec addit supra ens aliquid positivum, sed solam indivisionem in se. Itaque unum transcendentale est *ens indivisum;* et hinc probat D. Th. (1. p. q. 11. a. 1.) *unum* converti cum ente; nam omne ens vel est simplex et sic

---

(2) Horum generalium vocabulorum explicationem adeò Metaphysicæ propriam existimant aliqui Recentiores, ut Ontologiam *appellent* Lexicon *quoddam generale philosophicum, ex quo in singulis disciplinis faciliùs et sine ullâ ambiguitate philosophamur.*

indivisum, vel compositum, quod solùm existit dum partes sunt indivisæ et unitæ, sicut homo non existit dum anima à corpore divisa est.

122 I^a conclusio: Unum *dicitur ipsum ens prout connotat indivisionem, seu carentiam divisionis in se; et* aliquid *prout connotat divisionem ab aliis.* Prob.: Unum est ens indivisum, et aliquid est ens divisum: similiter unitas est entitas indivisa, et aliquidditas est entitas divisa: ergo primariò et principaliter dicunt entitatem positivam; indirectè autem indivisionem et divisionem. Adde, quòd unum et aliquid sunt positivæ proprietates entis et cum ente convertuntur: ergo sicut ens primariò significat aliquid positivum, etiam unum et aliquid. Est igitur *unum* ea proprietas, qua ens in se indistinctum est; *aliquid* verò ea, ratione cuius unum ens ab aliis omnibus differt: ut idem sit aliquidditas ac distinctio, esse aliquid seu *aliud quid,* ac esse distinctum.

123 II^a conclusio: *Unitas ac distinctio in plura eademque membra dividuntur.* Nam ex distinctione deducitur carentia unitatis: unde quæ de distinctione dicantur unitati facilè aptabuntur. Itaque distinctio 1° dividi potest in realem et rationis, fundamentalem seu virtualem, et actualem, et alias, de quibus in *Log. Inst.* à n. 90. 2° realis dividitur in *entitativam*, quæ est inter duas entitates, ut inter Petrum et Paulum; et *modalem,* quæ vel est inter entitatem et modum, ut inter Petrum et eius sessionem: vel inter duos modos, ut inter sessionem et stationem. 3° in *positivam*, quæ versatur inter duas res positivas, sive coniunctas, ut corpus et animam: sive separatas, ut solem et lunam; et *negativam*, quæ vel est inter duo negativa, ut cæcitatem et tenebras: vel inter positivum et negativum, ut inter Petrum et cæcitatem. Hìc obiter advertas distinctionem semper denominari ab extremo minùs nobili; unde inter rem et modum, dicitur *modalis*: et inter ens et carentiam, dicitur *negativa.*

124 4° in *adæquatam*, scilicet inter totum et totum, aut partem et partem, ut inter Petrum et Paulum, corpus et animam; et *inadæquatam,* seu inter totum et eius

partem, ut inter Petrum et eius corpus. Denique dividi etiam potest distinctio in *numericam, specificam* et *genericam*, quæ quid sint ex Logicâ patet; ubi etiam advertimus (*in Inst.* à *n.* 75) unitatem, aut distinctionem specificam et genericam formaliter sumptas in solo intellectu esse; in rebus enim solùm earum fundamentum est. De unitate et distinctione numericâ nunc agendum superest, unde scilicet oriantur; seu quæ sit causa cur in rebus quædam intra eandem speciem sint solo numero distinctæ ac multiplicatæ?

125 III^a conclusio: *Unitas et multiplicatio purè numerica substantiarum sumitur à materiâ connotante quantitatem.* Est Arist. et D. Th. passim; et hinc ille probat Deum non multiplicari numero, et iste idem probat de Angelis, imò et Plato de suis ideis separatis; quia scilicet nec ideæ, nec Angeli, nec Deus habent materiam. Prob. 1°: Multiplicatio numerica fit per solam divisionem partium eiusdem rationis seu similis essentiæ, ut patet in duabus guttis aquæ, aut duobus ignibus; sed habere partes eiusdem rationis essentialiter convenit materiæ, ut connotat quantitatem: ergo. Min. prob.: Essentiale munus quantitatis est distribuere partes eiusdem rationis; sed materia essentialiter exigit quantitatem: ergo.

126 2° prob.: Unitas numerica proximè oritur à differentiâ individuali; sed hæc sumitur à materiâ: ergo et unitas numerica. Mai. patet; nam differentia individualis est id quo individuum est unum numero diversum ab alio individuo eiusdem speciei, v. g. Petreitas est id quo Petrus est unus homo numero diversus à Paulo: Lentulitas, et Appietas sunt id quo familia Lentuli, et familia Appii sunt numero diversæ tum inter se, tum ab aliis familiis minùs nobilibus (1). Et hinc differentia individualis dici solet *hæcceitas,* quia per ipsam natura fit *hæc.*

---

(1) *Hìc obiter advertas* Lentulitatem, *sicut et* Appietatem *apud Ciceronem legi* (lib. 3. Epist. ad Fam. Ep. 7). *ad nobilitatem iis nominibus seu familiis propriam sig-*

127 Min. verò prob.: Differentia individualis vel sumitur à materiâ, vel à formâ, vel ab accidentibus; nam in individuo nil aliud est; sed non à formâ nec ab accidentibus: ergo à materiâ. Prob. 1ª pars min.: Differentia formalis, seu quæ dimanat à formâ, est essentialis et specifica, nam differentia prædicabilis, quæ constituit speciem est quæ sumitur à formâ; sed individua non tam differunt: ergo. Prob. 2ª pars: Petrus et Paulus nedum in accidentibus differunt, sed etiam in substantiâ, non enim eadem omninò est utriusque substantia: ergo eorum differentia est plùs quàm accidentalis.

128 IVª conclusio: *Unitas purè numerica accidentis sumitur à subiecto prout connotante actionem agentis et tempus.* Prob.: Unitas hæc ut diximus, sumi debet à materia; sed materia recipiens accidentia est eorum subiectum: ergo unitas purè numerica accidentis sumitur à subiecto; sed non à subiecto secundùm se sumpto; nam idem subiectum plura accidentia solo numero distincta potest successivè habere: ergo ab ipso non solo, sed ut connotat talem temporis aut durationis circumstantiam, et prout subest actioni accidentis productivæ. Unde nec à materiâ primâ nec à composito seu subiecto cum solâ quantitate sumitur individuatio accidentis; nam unum compositum, etiam cum unicâ quantitate, potest plura solo numero distincta accidentia succesivè recipere.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

129 Obi. 1°. contra III^m et IV^m: Quælibet anima rationalis separata est una numero, et similiter accidens separatum ut in Eucharistiâ; sed nec animæ separatæ habent materiam, nec accidentia subiectum: ergo unitas

---

nificandam. Ita nomina hæc abstracta nec in familiaribus Epistolis exhorrescit ipse latinæ puritatis et eloquentiæ princeps; et nunc delicatuli homines ea fastidiunt in ipsis metaphysicis dissertationibus, in quibus ad locutionis claritatem et compendium plurimùm conferunt.

purè numerica nec in substantiis sumitur à materiâ, nec in accidentibus à subiecto. ℟. dist. min.: non habent materiam aut subiectum *actu* conc.; *aptitudinaliter*, nego min. et cons^{m}. Nam animæ licèt separatæ exigunt materiam, et accidens in Eucharistiâ subiectum. —Contrà: Angeli nec habent nec exigunt materiam; sed quilibet est unus numero: ergo. ℟. dist. min.: est unus numero et etiam specie, conc.; numero tantùm, nego; nam omnes Angeli specie differunt, nunc autem de unitate purè numericâ sermo est.

130 Obi. 2°: Eadem materia pertinere potest ad plura individua, et idem subiectum recipere plura accidentia: ergo. ℟. dist. ant.: eadem materia et idem subiectum si sola considerentur, seu solùm secundùm suam entitatem conc.; prout etiam connotant determinatam quantitatem, et determinatam actionem et tempus, nego. Solùm autem hoc modo ponuntur principium individuationis, seu unitatis numericæ. = At dices: Nonne unitas numerica oritur ab hæcceitate? ergo non à materiâ. ℟. ab hæcceitate seu differentiâ individuali nasci quidem *proximè* unitatem numericam: tot enim numero sunt homines v. g. quot sunt hæcceitates seu differentiæ individuales in specie hominis. Id per se constat: at ultrà indagandum est, cur in eâdem specie plures hæcceitates sunt, seu unde hæcceitatum pluralitas oritur, seu quænam sit prima radix unitatis aut distinctionis purè numericæ? et hanc dicimus esse materiam.

131 Quæres, an unum, et multa opponantur? ℟. affirmativè cum D. Th. 1. p. q. 11. a. 2. Sicque unum quod est principium numeri opponitur multitudini, quæ est numerus: Unum verò, quod convertitur cum ente, opponitur multitudini per modum privationis, ut indivisum diviso. = Obi.: Nullum oppositum prædicatur de suo opposito; sed omnis multitudo est quodammodò unum: ergo. Min. prob.: Quæ sunt multa partibus sunt unum toto: multa numero sunt unum specie: et sic de aliis: ergo. ℟. quòd illa, quæ sunt multa *simpliciter*, solùm sunt unum *secundùm quid*; et è contrario, quæ sunt unum *simpliciter*, sunt multa *secundùm quid*, sic-

que unum simpliciter, et multa simpliciter iam opponuntur.

132 Illud autem est *simpliciter* unum et multa solùm *secundùm quid*, quod est indivisum, vel secundùm id quod pertinet ad essentiam, licèt sit divisum quoad accidentia; vel quia est indivisum in actu, et divisum in potentiâ, sicut quod est unum toto, est divisum secundùm partes. Illud verò est multa *simpliciter*, et solùm *secundùm quid* unum, quod est divisum secundùm essentiam, et solùm est indivisum vel secundùm rationem, vel secundùm principium seu causam, sicut quæ sunt multa numero, sunt unum specie: quæ sunt multa specie, sunt unum genere: quæ sunt multa processionibus, sunt unum principio.

ART. V.

DE VERO ET BONO.

133 Prænotandum est 1° ex dictis in Logicâ, quòd veritas est duplex, scilicet *intellectûs* et *rei*. Illa dicitur *formalis*, hæc autem *obiectiva;* quia quodammodò est obiectum intellectûs. Dicitur etiam *transcendens*, quia in omni ente et in qualibet eius differentiâ invenitur. Prænotandum est 2° quòd veritas transcendens, de qua in præsenti, differt à veritate *signi*, quæ est *conformitas signi cum re significatâ;* secundùm quam locutio dicitur *vera* si congruit rebus per ipsam significatis; si verò concordat menti loquentis dicitur *verax*.

134 Prænotandum est 3° quòd bonum variè dividitur, scilicet primò in *morale*, *naturale* et *transcendentale*. Morale est, *quod est conforme ad regulas morum*. Naturale seu physicum *quod est conforme cum perfectionibus naturalibus subiecto debitis*. Transcendentale verò, *quod est appetibile seu conforme voluntati*. Secundò dividitur in *honestum*, *utile* et *delectabile*. Honestum est, *quod appetitur ratione sui*, sicut sanitas ab infirmo. Utile, *quod appetitur ratione alterius*, sicut potio amara ratione sanitatis. Delectabile verò, *in quo viget appetitus tamquam*

in re desideratâ. In præsenti solùm agimus de bono transcendentali.

135 I[a] conclusio: *Verum est ipsum ens ut connotans rationem cognoscibilis; bonum similiter est ipsum ens ut connotans rationem appetibilis.* Ita D. Th. 1. p. q. 5. a. 1. et q. 16. a. 3. Prob.: Unumquodque in quantum habet esse, in tantum est cognoscibile; nam ideò dicitur quod anima *est omnia*, quia cognoscit omnia. Similiter ens in quantum est ens est bonum; et in tantum deficit à bonitate, in quantum deficit ab entitate: ergo verum et bonum sunt reipsâ idem ens, solùmque differunt, quatenùs verum explicat ordinem ad intellectum, et bonum ad voluntatem. Hinc colliges verum et bonum converti cum ente.

136 II[a] conclusio: *Veritas transcendentalis rei non consistit in entitate ipsius rei nudè sumptâ, sed cum ordine ad intellectum, à quo dependet.* Res enim habet ordinem ad intellectum, vel per se, vel per accidens. *Per se* dum pendet in esse ab intellectu. *Per accidens* verò, dum solùm cognoscitur, et non efficitur ab ipso. Sicut domus v. g. comparatur ad intellectum artificis per se, et ad alios per accidens. Cùm autem iudicium de re non sumatur secundùm id quod est per accidens, sed secundùm id quod est per se; ideò res dicitur vera per ordinem ad intellectum à quo dependet. Sicque artificialia sunt vera per ordinem ad nostrum intellectum; dicitur enim domus *vera* quæ assequitur similitudinem formæ, quæ est in mente artificis. Naturalia verò per ordinem ad intellectum ipsius Dei à quo fiunt; dicitur enim *verus* lapis, quia assequitur propriam lapidis naturam, secundùm præconceptionem intellectûs Divini.

137 Hinc colliges hanc esse differentiam inter *verum* et *bonum*, quòd res dicuntur *bonæ* non solùm extrinsecè à Divinâ bonitate, sed etiam intrinsecè à bonitate propriâ sibi inhærente, ut docet D. Th. 1. p. q. 6. a. 4. At verò res solùm dicuntur *veræ* extrinsecè à veritate Divinâ; sicut medicamentum et pulsus solùm sunt sana extrinsecè à sanitate animalis; ita ut non detur nisi una veritas, nempè Divina, à quo cætera denominantur vera, ut ait D. Th. q. 16. a. 6. Ac proindè (nota benè) *bonum* est

ratio analoga utrâque analogiâ, sicut ens; *verum* tamen solùm est analogum analogiâ proportionis, sicut sanum.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

138 Obi. 1° contra I^{m}: Datur ens, quod non est bonum: ergo bonum et ens realiter distinguuntur. Ant. prob.: Peccata, et materia prima sunt ens; sed non sunt bona: ergo. ℟. quòd peccata, licèt non sint bona moraliter, sunt tamen bona transcendentaliter, seu appetibilia à voluntate, ut nimis patet; in præsenti autem solùm loquimur de bono transcendentali. Attamen materia prima eo modo quo est ens iam est bona; sicut enim est ens in potentiâ et non in actu, ita est bona in potentiâ et non in actu.

139 Obi. 2°: Iuxta Boëtium: *Aliud est in rebus quod sint bona, et aliud quod sint ens*: ergo. ℟. dist. ant.: et aliud quòd sint ens realiter, seu secundùm rem, nego; quantum ad dici simpliciter ens et simpliciter bonum, conc. Licèt enim bonum et ens realiter sint idem, quia tamen distinguuntur per rationem, non eodem modo dicitur simpliciter ens et simpliciter bonum. Res enim dicitur simpliciter ens per esse substantiale, et per esse accidentale solùm dicitur ens secundùm quid. Contrà verò per esse substantiale solùm dicitur bona secundùm quid, et dicitur simpliciter bona per ultimum esse accidentale, nam bonum dicit rationem perfecti seu ultimi. Ita D. Th. 1. p. q. 5. a. 1. ad 1^{m}.

140 Obi. 3°: Etiam non ens est verum: ergo verum, et ens realiter differunt. Ant. prob.: Sicut verum est ens esse, ita verum est non ens non esse: ergo. ℟. dist. 1^{m} ant.: non ens est verum reale, nego; rationis, conc. Nam non ens, seu privationes et negationes sunt entia rationis; cùm autem ens rationis sit etiam cognoscibile seu dicat ordinem ad intellectum; ideò etiam ens rationis est verum, non quidem reale sed rationis. Unde neque ens rationis distinguitur à vero rationis, neque ens reale à vero reali.

141 Obi. 4° contra II^{m}: Ens præscissum ab omni ordine ad intellectum est verum: ergo veritas in solâ en-

titate consistit. Ant. pr. : S. Aug. *lib.* 2. *Solil. c.* 5. ait : *Verum est id quod est;* sed ens ab omni alio præscissum iam est id quod est : ergo. ℟. dist. ant. : est verum fundamentaliter, conc. ; formaliter et completè, nego. Itaque sicut virtus herbæ est fundamentum sanitatis ipsius herbæ, ordo tamen seu respectus ad animal cui medetur est formalis ratio ob quam herba *sana* dicitur : ita entitas rei est fundamentum veritatis ; at forma seu complementum ipsius est respectus ad intellectum ut mensuram. Hinc de veritate fundamentali intelligenda est definitio S. Aug.

142 Contrà : D. Aug. ibid. reiicit hanc veritatis definitionem : *Verum est quod ita se habet ut videtur cognitori :* ergo apud ipsum veritas nullum dicit ordinem ad intellectum. ℟. dist. ant. : et D. Aug. loquitur tantùm de cognitore creato, conc. ; de Deo cognitore, nego. Nam ipse August. lib. de *verâ Relig.* c. 36. ait, quòd *Veritas est summa similitudo principii, quæ sine dissimilitudine est ;* intellectus autem Dei est principium omnium rerum. Dicendum ergo cum D. Th. 1. p. q. 16. a. 1. ad 1^{m}, D. Aug^{m}. excludere à veritate rei comparationem ad intellectum nostrum, ad quem comparatur per accidens : non verò comparationem ad Divinum, à quo per se pendet.

143 Obi. 5° : Saltem intellectus noster dicitur verus per ordinem ad rem veram : ergo si res etiam dicitur vera per ordinem ad intellectum erit circulus. Ant. prob. : Ex eo quòd res est vel non est, opinio vera vel falsa est : ergo. ℟. dist. 1^{m} ant. : per ordinem ad rem *ut ens est*, conc. ; *ut vera est ;* nego. Res enim *ut ens est* causat veritatem intellectûs nostri, et veritas intellectûs est iterum causa veritatis rei ; sicut virtus herbæ causat sanitatem animalis, et posteà sanitas animalis causat sanitatem herbæ. Unde sicut sanitas herbæ pendet à sanitate animalis ; sanitas autem animalis non pendet à sanitate herbæ, sed ab eius virtute ; ita veritas rei pendet à veritate intellectûs, at veritas intellectûs non pendet à veritate rei, sed ab eius entitate ; atque adeò nullus est circulus. D. Th. 1. p. q. 16. a. 1. ad 3^{m}.

144 Quæres, an falsitas sit in rebus ? ℟. cum D. Th.

1. p. q. 17. a. 1. quòd cùm verum et falsum opponantur, et opposita sint circa idem: ideò sicut veritas est in rebus per ordinem ad intellectum, ita etiam falsitas. Unde sicut res dicuntur simpliciter veræ in quantum assequuntur seu adæquant speciem sui repræsentativam, quæ est in intellectu à quo pendent; ita dicuntur simpliciter falsæ quatenùs ab hac similitudine deficiunt. Pendent autem ab intellectu Divino res naturales, sicut ab humano artificiales. Hinc res artificiales esse possunt falsæ simpliciter et secundùm se, quia ab artis formâ deficere possunt, sicut opus falsum dicitur, quod iuxta artis ideam factum non est.

145 Res verò naturales non possunt esse falsæ simpliciter, quia ordinationem Divini intellectûs nil effugere potest; nisi quodammodò peccata quæ ideò *falsitates* dicuntur. Possunt tamen dici falsæ secundùm quid; et hoc dupliciter. Primò secundùm rationem significati; ut nempè res illa dicatur falsa, quæ falsâ voce vel oratione repræsentatur, sicut tragædus est falsus Hector. Secundò per modum causæ; et sic dicuntur falsæ res illæ, quæ utpote quibusdam aliis rebus valdè similes occasio fallendi sunt: sic fel dicitur falsum mel, et stannum falsum argentum.

LIBER II.

DE CAUSIS.

146 Cum omnes causæ præcipuè materialis et formalis in rerum naturalium generationibus facillimè distinguantur; de illis in Physicâ plura disseruntur. Igitur quæ illic non attigimus et de causis disputari solent in

hoc libro quatuor quæstionibus exponemus. In priori communem causæ rationem explicabimus. Quæ quoniam in efficientem, materialem, formalem et finalem dividitur, in 2ª quæstione de efficiente, in 3ª de reliquis erit sermo. 4ª demum de naturâ, arte et violentiâ aget, sicut etiam de casu, fortunâ et fato, quòd rationem causæ habere videantur.

QUÆSTIO I.

DE CAUSIS IN COMMUNI.

147 Quæ sunt in hac quæstione consideranda duobus articulis absolvemus : inquirentes primò, quid et quotuplex sit causa : deinde, quomodò causæ inter se et cum effectibus comparentur.

ART. I.

Quid et quotuplex sit causa?

148 Dico 1° : *Causa* est : *Principium dans esse alii*, nempè effectui. *Effectus* verò est id quod fit, ut ipsa vox indicat. *Fieri* verò est via ad esse : unde effectus propriè est, qui ex non esse ducitur ad esse. Hinc ad rationem causæ duo requiruntur, scilicet distinctio, et dependentia effectûs ab eâ. *Distinctio* quidem ; nam res quæ emergit ex *non esse* eadem esse non potest cum iis à quibus ducitur in *esse*, id est effectus cum causâ; *dependentia* verò, quia ex *non esse* duci ab alio ad *esse* est ab eo pendere in *esse*. Advertas autem to *alii* in definitione esse neutrius generis ; ita ut idem sonet ac dans esse alii *rei*, seu rei alterius essentiæ seu naturæ. Unde licèt Pater æternus sit principium Filii, non tamen causa ; licèt

enim sit *alius* seu alia Persona à Filio, non tamen *aliud*, seu alia res, aut alterius essentiæ (1).

149 Dico 2°: *Causa quadruplex est, scilicet materialis, formalis, efficiens et finalis.* Prob. divisio: Causa est id à quo aliud habet esse; sed ut compositum genitum v. g. habeat esse, requiruntur quatuor: ergo. Prob. min.: Primò requiritur *materia* ex qua fiat, quia ex nihilo, naturæ viribus, nihil fit. Secundò *forma* qua fiat et constituatur in specie determinatâ; nam materia de se indifferens est ad omnes rerum species. Tertiò *agens* à quo fiat; nam nil fit à se ipso. Quartò *finis* propter quem fiat, quia res naturales non sunt temerè sed propter finem, ut dentes ad incidendos cibos: ergo quatuor requiruntur ad esse rei genitæ, scilicet *materia*, ex qua fit; *forma*, qua fit; *agens*, à quo fit; et *finis*, propter quem fit.

150 Obi. tamen: Obiectum est causa scientiæ, aut potentiæ, et eius actûs: idea causa domûs: essentia proprietatum: malleus horologii: et fundamentum relationis. Similiter dispositiones sunt causæ formæ ad quam disponunt: sicut consilians et præcipiens rei ad quam influunt; sed non apparet ad quod genus causæ ex prædictis ista reduci possint: ergo. ℟. hæc omnia reduci ad quatuor causas prædictas. Obiectum scientiæ et potentiæ est causa formalis extrinseca, quia determinat scientiam seu potentiam ad certum genus rei: quoad actus verò, obiectum reducitur ad causam efficientem; nam obiectum per speciem sui fœcundat potentiam ut efficiat actum,

---

(1) Itaque genus neutrum, utpote informe et minùs determinatum significat essentiam; genus verò masculinum utpote determinatius significat personam. Unde quærenti, quis *est iste? Respondemus assignando personam,* Socrates. *Si verò quæratur,* quid *est? Respondemus assignando essentiam,* Animal rationale. *Ex quo patet quòd* alius *in masculino significat distinctionem personæ*, aliud *verò in neutro significat diversitatem essentiæ. D. Th. 1. p. q. 31. a. 2. ad 4.*

quo ipsum obiectum attingit. Idea etiam aut reducitur ad causam efficientem, quia per eam artifex completur et dirigitur ad artefactum conficiendum, aut ad causam formalem extrinsecam, cùm sit ipsa rei forma in mente artificis præconcepta.

151 Essentia reducitur ad causam efficientem respectu suarum proprietatum, quia ab illâ dimanant, ut posteà dicemus; et eâdem ratione fundamentum respectu relationis. Similiter instrumentum ad efficientem pertinet, cui inservit. Dispositiones verò, v. g. calor disponens lignum ut recipiat formam ignis, sunt causa formalis aut materialis. Nam calor est causa formalis respectu ligni; est enim forma in ligno recepta. Est autem causa materialis respectu ignis, quatenùs disponit ipsam materiam, nempè lignum ut fiat ignis, seu formam ignis recipiat. Denique consilians et præcipiens, seu omnis causa moralis, reducitur ad genus causæ efficientis, quam movet.

152 Advertas 1°: materiam et formam esse causas *internas* seu intrinsecas ipsi effectui; agentem verò et finem esse *externas* seu extrinsecas. 2°: agens, materiam, et formam dici causas *physicas* seu *reales*, quia in effectum realiter influunt, aliquid de se illi communicantes: finis verò, causa moralis, et idea dicuntur causæ *intentionales*, quia solùm intentionaliter influunt, seu mediâ sui cognitione; dum ut cognita movent vel dirigunt operantem.

ART. II.

DE COMPARATIONE CAUSARUM INTER SE ET CUM EFFECTIBUS.

153 Dico 1°: *Causa non semper est prior effectu prioritate temporis*, ut Sol non est tempore prior luce quam causat; *at omnis causa est semper prior naturâ;* nam prioritas naturæ in eo consistit, quòd unius natura ab alio pendeat, et ab illo procedat: effectus autem ab omni suâ causâ procedit et pendet. = At inquies: Causa et ef-

fectus sunt correlativa ; correlativa autem sunt simul naturâ. ℟. correlativa ut causam et effectum dupliciter sumi. Primò *relativè*, seu quantum ad respectus formales quos dicunt ad invicem : et sic sunt simul etiam naturâ ; quia nequit causa referri ad effectum, nisi effectus etiam referatur ad causam. Secundò *entitativè*, seu secundùm proprias entitates : et hoc modo causa debet esse prior effectu ; quia entitas effectûs ab entitate causæ procedit et pendet, sicque tamquam à priori prioritate naturæ. *D. Th. 1. p. q. 42. a. 3. ad 2^{m}.*

154 Dico 2° : *Causa materialis et formalis intrinseca sunt minùs nobiles quàm effectus :* nam causant per modum partis seu sunt pars sui effectûs ; pars autem est minùs nobilis toto. *Causa finalis principalis in agentibus benè ordinatis debet esse nobilior effectu :* est enim inconveniens quòd aliquid sit principaliter propter aliud vilius se. *Aliquando tamen ex deordinatione operantis potest esse ignobilior*, ut dum homo dat eleemosynam ad inanem gloriam. Demum *Causa efficiens principalis aut est nobilior effectu*, si nempè est æquivoca ; *aut æquè nobilis*, scilicet univoca. Quod sic probatur : Tota effectûs perfectio præexistit in agente : ergo. Ant. prob. : In tantum aliquid agit in quantum est in actu ; quia actio, ut ipsa vox sonat, est diffusio actûs : ergo agens nullum actum seu perfectionem diffundere potest in effectum, nisi eum actu habeat, vel formaliter in se ipso, vel eminenter ut contentum in alio actu seu perfectione eminentiori.

155 Obi. tamen : Sæpè homo stupidus generat filium ingeniosum, infirmus robustum etc. : ergo aliquando causa efficiens est ignobilior effectu. ℟. dist. cons. : ignobilior in ratione essentiali effectûs, nego ; in accidentibus, conc. Nam hæc accidentia non tam causantur à parentibus, quàm à contemperatione eorum omnium, quæ ad formationem prolis concurrunt : in conclusione autem solùm loquimur de essentiâ, seu essentiali perfectione effectûs. = Contrà 1° : Mulus est essentialiter perfectior asino; sed producitur ab isto : ergo. 2° : Astra sunt causæ efficientes rerum viventium, nam *Sol et homo generant hominem*, ait

Arist. ; sed viventia sunt essentialiter perfectiora astris: ergo. Ad 1^{m} permissâ mai. dic, asinum non esse causam totalem muli, qui à matre equâ habet id in quo asinum excellit. Ad 2^{m} dic, astrum esse movens motum, sicque esse instrumentum causæ illud moventis, nempè Angeli. Astrum verò simul cum Angelo motore aliquid perfectius est viventibus sublunaribus.

156 Dico 3° : *Causæ ita invicem disponuntur, ut causalitas materiæ præcedat causalitatem formæ : causalitas verò agentis præcedat utramque ; et demum causalitas finis sit prior omnibus.* Prob. : In causando is ordo servatur, ut agens motum à fine reducat materiam ad actum, ipsi communicando formam : ergo finis est primus in causando : siquidem movet agens, à quo movetur materia, quæ proinde est posterior agente ; sed tamen præcedit formam in quantum est eius subiectum receptivum. Unde forma est ultima in causando, et à D. Th. dicitur *terminus generationis.* = Dices : Agens supponit materiam ex qua agat : ergo hæc causat priùs. ℟. quòd licet *entitas* materiæ supponatur ad actionem agentis, non tamen eius causalitas ; nam materia numquam causat, nisi priùs agens agat, reducendo materiam ad actum.

157 Dico 4° : *Causalitas formalis est nobilior materiali ;* nam forma est perfectio et actus materiæ, actus autem semper est nobilior suâ potentiâ. *Efficiens verò nobilior utrâque ;* nam materia agenti subditur, et forma est quidam eius effluxus, participatio et similitudo. *Demum causalitas finalis est omnium nobilissima ;* 1 tum quia hic modus causandi est spiritualior ; 2 tum quia hæc causa movet immota, qui modus movendi videtur maximè nobilis et divinus ; 3 tum demum quia est veluti regina cæterarum causarum ; nam agens non agit nisi motum à fine, ipsaque forma ordinatur ad finem, ut forma navis ad navigationem. = Dices : Causa efficiens sæpè est nobilior finali, ut Medicus sanitate : ergo et causalitas. ℟. dist. ant. : in essendo, conc. ; in causando, nego. Licèt enim Medicus causet sanitatem, non est tamen causa cur sanitas sit finis, sed potiùs sanitas est finis et causa

cur Medicus sit Medicus, quia Medicus non exercet Medicinam nisi propter sanitatem.

158 Dico 5° : *Causæ sunt sibi invicem causæ*, illæ scilicet quæ sibi correspondent, ut materia cum formâ, et efficiens cum finali. Unde forma est causa materiæ in quantum illam actuat; materia verò est causa formæ, in quantum eam sustentat seu recipit. Similiter efficiens et finis; nam finis dupliciter consideratur, in intentione et in executione, seu ut ait D. Th. secundùm causalitatem et secundùm esse. Finis ut intentus est causa movens efficientem; efficiens verò est sæpè causa producens finem. Ut sanitas intenta movet Medicum ad applicanda remedia, et Medicus per remedia obtinet sanitatem.

159 Obj. : Idem nequit esse prius et posterius respectu ejusdem; sed causa est prior, et effectus posterior : ergo. ℟. dist. maj. : sub eâdem ratione, seu in eodem genere, conc.; sub diversâ ratione et genere, nego. Unde hinc solùm probatur unam materiam non posse recipi in aliâ materiâ, et illam recipere; agens non posse effici à suo effectu etc. quod ultrò fatemur. Nil autem prohibet materiam recipere formam, et ipsâ actuari seu perfici : finem allicere causam efficientem, et ab ipsâ produci. Uno verbo : Causæ non sunt sibi invicem causæ in eodem genere causæ; benè tamen in diverso.

QUÆSTIO II.

DE CAUSA EFFICIENTE.

160 Quoniam de causâ efficiente plura disserenda sunt, tota hæc quæstio in illius investigatione versabitur, cæteras verò causas omnes sequenti complectemur. Est autem inquirendum 1° quid et quotuplex sit causa efficiens? 2° an hæc ratio solùm conveniat Creatori? 3° an

substantia creata sit proximum principium agendi? et 4° de instrumentis tractandum est, utpote causæ efficienti inservientibus.

ART. I.

Quid et quotuplex sit causa efficiens?

161 Dico 1° : Causa efficiens est : *Principium extrinsecum à quo primò profluit verus motus, seu rei productio.* Per to *extrinsecum* differt à naturâ seu materiâ et formâ quæ intrinseca sunt. = Obj. 1° : Hæc definitio convenit causæ finali : ergo. Ant. prob. : A fine ut à principio extrinseco incipit motus : ergo. 2° : Omnis motus à Deo incipit : ergo ipse solus erit efficiens. ℞. nego à causâ finali incipere verum motum seu physicum ; solùm enim excitat agens ad illum incipiendum, ut pecunia oblata pictori nec movet penicillos, nec colores applicat ; sed excitat artificem, ut motum incipiat quo hæc fiant. Vel dic à fine incipere motum *intentivè*, non *executivè* ; id est, finis causat intentionem incipiendi motum, sed causa efficiens est quæ prima illum exequitur. = Ad 2m dic to *primò* in definitione sumi non absolutè, sed respectu causarum alterius ordinis, formalis nempè et materialis. Cæterùm nil vetat ut rursùs inter efficientes sit ordo, quatenùs vis incipiendi motum ab unâ derivatur ad aliam.

162 Dico 2° : Causa efficiens variè dividitur. 1° in *principalem*, quæ agit virtute propriâ, ut artifex ; et *instrumentalem*, quæ agit virtute alterius, ut malleus. 2° principalis dividitur in *primam*, quæ à nullo pendet, scilicet Deum ; et *secundam*, quæ propriam virtutem et eius usum recipit ab aliâ, ut omne agens creatum. 3° dividitur causa in *universalem*, quæ varii generis effectus causat, ut Deus et sol ; et *particularem*, quæ unam dumtaxat speciem effectûs producit, ut ignis ignem. Hæc dici solet *univoca*, seu eiusdem speciei cum effectu, ut pater et filius ; illa verò analoga aut *æquivoca*, seu diversæ speciei ab effectu, ut sol et vivens, Deus et creatura.

4° in *proximam* seu immediatam, ut pater filii; et *remotam* seu mediatam, ut avus nepotis.

163 5° dividitur causa efficiens in *liberam*, quæ agit ex electione, seu potest non agere, ut homo; et *necessariam*, quæ agit ex impetu naturæ, nec actionem suam consilio regit, ut ignis causans calorem. 6° in *totalem*, quæ sola in suo genere producit effectum, ut ignis alterum ignem; et *partialem*, quæ alterius societatem admittit, ut dum plures equi trahunt rhedam, quilibet est causa partialis. 7° in *physicam*, quæ propriâ actione in effectum directè influit; et *moralem*, quæ solùm excitat præcepto, consilio, vel exemplo. 8° in eam quæ agit *ut quod*, seu quæ producit effectum, v. g. artifex; et in eam quæ agit *ut quo*, seu ipsam virtutem agendi, ut est ars vel industria.

164 Denique dividi potest causa efficiens in causam *per se*, quæ ex se tendit in effectum et cum eo connectitur, ut ignis est per se causa combustionis, et causam *per accidens*, seu cui accidit coniungi effectui. Hoc autem dupliciter contingere potest. Primò ex parte causæ, ut Medicus per accidens est causa cantûs; accidit enim medicinæ ut iungatur musicæ, quæ est ratio canendi. Secundò ex parte effectûs, ut dum effodiens sepulchrum invenit thesaurum, effossio est causa per accidens inventionis thesauri; accidentale enim fuit quòd thesaurus iungeretur sepulchro.

ART. II.

An creaturæ, præcipuè corporales, sint causæ efficientes, aut solùm occasionales?

165 Non defuere Philosophi qui omnem activitatem creaturis etiam spiritualibus denegarent, putantes Deum solum cuncta operari in præsentiâ creaturarum. Ut autem dicemus *lib. III. q.* 1. et fide catholicâ, et evidentissimis rationibus, et intimo sensu certissimè demonstratur, nos dum cognoscimus et amamus reipsâ aliquid agere, ne-

dum Dei impressiones recipere. Hinc mitiùs procedentes alii asseruere spirituales quidem creaturas aliquid agere, corporales verò nil efficere. Has iam dudum obsoletas Avicebronis, et aliorum Antiquorum opiniones restaurare nituntur Recentiores aliqui ex Cartesianis; contra quos sit

166 Conclusio: *Etiam substantiæ corporeæ aliquid efficiunt, seu sunt vera principia activa; illique effectus qui cernuntur in mundo sunt veræ earum effectiones.* Ita D. Th. 1. *p. q.* 115. *a.* 1.—*III. cont. Gent. c.* 69.—*Q.* 3. de *Pot. a.* 7. et alibi. Prob. 1° ex Scripturâ: Licèt Scriptura magnificè prædicet vim divinam omnia in omnibus operantem, non tacet tamen vires activas corporum Deo cooperantium: ergo Deus dare potuit imò et dedit corporibus vim aliquid efficiendi. Ant. prob.: Gen. 1° apertè dicitur Deum dedisse elementis vim ad producenda prima viventia; viventibus verò ad gignenda sibi similia; eâque vi divinitùs inditâ et elementa produxisse viventia, et viventia gignere sibi similia: ergo vim effectricem Deus corporibus communicat. Adde quòd Isaiæ 66. probat Deus sibi vim producendi inesse, ex eo quòd generationem, id est gignendi vim, creaturis contulerit.

167 Prob. 2° experientiâ; qua continuè edocemur, 1 corporibus ut intereundi necessitatem, ita et similia gignendi vim inesse: item Soli vim illuminandi, igni comburendi, animalibus sentiendi etc. 2 Mutationes magnas in rebus contingere: illas ut alicuius corporis passiones, ita alterius actiones esse, agit etenim v. g. ignis, si patitur lignum dum comburitur. 3 Hinc voces illæ *actio, passio, virtus activa, generatio, alteratio, effectus etc.* non artis regulis, sed naturæ instinctu suis rebus accommodantur: ergo natura nil ad aures nostras tam clarè personat, quàm *fieri* et *facere*, *agere* et *pati* locum habere in rebus.

168 Profectò si omnium hominum consensum ex loquendi more comprobatum facilè contemnimus, quomodò ex ipso Dei existentiam cum Cicerone colligemus? Et nonne ridiculi aut deliri habebimur, si non pictorem Dei ope adiutum, sed solum Deum, coram pictore nil prorsùs agente, imaginem pingere: non canem latrare,

sed solum Deum, in illius conspectu latratum efficere affirmamus?

169 Prob. 3° ratione : Quod habet actum essendi habet vim agendi ; sed substantia corporea habet actum essendi, nempè formam, quæ est participatio primi actûs scilicet Divinæ essentiæ : ergo. Mai. prob. : Quod habet essentiam habet proprietates; sed agere, seu vis agendi est proprietas actûs essendi : ergo. Min. prob. 1° : Agere est aliquid in actum reducere ; sed reducere in actum est proprium eius quod habet actum essendi seu est in actu : ergo. 2° : Ens in actu se habet ad actionem, ut ens in potentiâ ad passionem ; sed pati est proprium eius quod est in potentiâ seu habet potentiam essendi : ergo. 3° : Omne ens est participatio et imitatio primi entis ; sed proprium est primo enti, ut sit summè activum, quia est summè in actu : ergo et proprium est aliis entibus suo modo agere, quia suo modo sunt in actu, atque ita ubique vis agendi sequitur actum essendi ut eius proprietas.

170 Adde quòd subtrahere corporibus vim agendi est derogare 1° Divinæ potentiæ, quia virtus causæ relucet in virtute effectûs. 2° Divinæ bonitati, cuius est res *bonas* facere seu suæ bonitatis diffusivas, nam perfectio boni est ut possit se diffundere. 3° Divinæ liberalitati, cui decet ut sicut creaturæ participant divinam essentiam, ita eius activam vim suo quæque modo participent ; est enim vis activa ut appendix ipsius *esse*, sine qua *ens* est ut mortuum et inutile. 4° Divinæ sapientiæ, cuius est res ordinare ; ordo autem est tum in eo quòd alia agant alia patiantur, tum inter ipsas causas, quarum una ab aliâ pendet ; ut hæc planta nascitur ex semine quod productum est ab aliâ plantâ : hæc in seminis productione fœcundatur à corpore cœlesti, hoc movetur ab Angelis, et tandem Angeli applicantur à Deo.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

171 Obi. 1° : Deo tribuendum quod est perfectius ; sed perfectius est effectum se solo producere, quàm cum alterius adminiculo : ergo Deus solus omnia producit.

Confirmatur 1°: Dei virtus sufficit ad omnia producenda: ergo frustrà dedisset corporibus vim activam. 2°: Effectus creati essentialiter non pendent à creaturâ, sed à solo Deo; imò si creatura ageret, eius actio præsupponeret actionem Dei, et esset à Deo: ergo esset superflua. ℟. ad argumentum dist. min.: si adminiculum ponitur ex indigentiâ causæ, conc.; si ex eius fœcunditate, nego. Ex fœcunditate autem Divinæ virtutis est, quòd suis effectibus det vim agendi, quibus proindè utatur ad alios producendos. Et hinc patet ad 1^m Conf^m; nam sufficientissima Dei virtus operatur in omnibus ad modum primi agentis, cuius est non excludere causas secundas, sed magis illis dare vim agendi. Ad 2^m dic, inde probari creaturas non esse causam primam et independentem, sunt tamen causæ secundæ à Deo pendentes.

172 Obi. 2°: Nec ratio nec experientia probant creaturas agere: ergo. Non ratio, 1°: Nam si vis agendi sequitur ad actum essendi, Angelus poterit alium Angelum gignere; sed hoc est absurdum: ergo. Mai. prob.: Angelus cùm sit perfectissimè in actu, seu habeat perfectissimum actum essendi, debebit agere perfectissimè; sed agere perfectissimè est effectum sibi exactè assimilare, seu producere effectum eiusdem speciei: ergo. 2°: Agens debet esse præsens effectui; sed corpus nequit esse præsens effectui producto in alio corpore; nam necessariò est extra illud: ergo nec in eo agere. Deinde nec experientia; nam eâ solùm constat hos effectus fieri præsentibus his rebus, non autem certò experimur fieri ab illis: ergo. Ant. prob.: Idem sanè effectus ad sensum ponetur sive creatura sit vera causa, sive mera occasio: ergo.

173 ℟. nego ant. quoad utramque partem. Ad 1^m probationem primæ, nego ult^m min. Aliàs Deus agens creaturas non ageret perfectissimè. Unde ex eo quòd Angelus sit perfectissimè in actu solùm sequitur ei deberi perfectissimum genus actionis, quæ est immanens; per quam etiam regit actiones transeuntes substantiæ corporeæ, et applicat eius vires activas, ut ait D. Th. *in II. dist.* 1. *q.* 1. *a.* 4. *ad* 2^m. Quòd autem Angelus nequeat alium

Angelum gignere non est defectus suæ virtutis activæ, sed summa dignitas suæ naturæ, quæ utpote immaterialis est ingenerabilis, et à solo Deo creari potest. Ad 2m dic, ut corpus producat effectum in alio, non requiri præsentiam *illapsùs,* qua agens est intra passum; sed sufficere præsentiam *contactùs*, qua agens iuxta passum existens partem eius sibi contiguam immutat, et eâ mediante aliam, sicque succedenter actio interiora passi pervadit.

174 Ad id quod de experientiâ additum est, nego utrumque ant.: Nedum enim conspicio baculum moveri, sed video quoque moveri ad motum et impulsum meæ manûs: hæc verò nedum video quòd moveatur, sed intimo sensu non minùs evidenter percipio quòd movetur à me nedum præsente, sed in motum influente; sicque esse in me internam vim (datam quidem à primo agente, et eius influxu applicatam) plura movendi et agendi. Et hinc non minori certitudine ac evidentiâ colligo, etiam in aliis esse internam vim ea movendi et efficiendi, quæ ab ipsis egredi, sensibus experior. Quòd si eò debilitatis mens deveniat, ut ex his quæ in se certa sunt, ad alia omninò similia in aliis amplectenda progredi non audeat, imò nec intimi sensûs testimonio firma consistat: verendum est ne in profundum Idealistarum barathrum delapsa, corporum, etiam proprii, existentiam non clarè conspiciat.

175 Etenim si baculum et manum meam à me moveri negans, contendam hos motus à solo Deo in mei præsentiâ fieri, proximus sum ut quoque contendam nec manum esse nec baculum, sed in mente seu imaginatione meâ baculi et manûs ideas seu species à Deo imprimi. Si arguam perindè effectus ad sensum ponendos si creatura sit vera causa, ac si mera sit occasio; arguam etiam perindè corpora nobis apparitura si reipsâ existant, ac si solùm eorum ideæ in mente aut imaginatione sint. Itaque omnem influxum et efficientiam negare corporibus, est effrenatiori scepticismo sternere viam.

176 Hìc advertas corpus *nedum transeunter agere, sed etiam immanenter*. Est enim duplex actio, scilicet *imma-*

nens, seu manens in agente, quæ est ipsius agentis actus et perfectio, ut cognoscere et velle; et *transiens*, seu egrediens ab agente, quæ scilicet in passo quodammodò recipitur, et est eius actus et perfectio. Quamvis autem actio immanens videatur spiritualis agentis propria; attamen cùm superius infimi aliquid participet de supremo, hoc tam nobile operandi genus nobilioribus substantiis corporeis, scilicet animalibus, quodammodò convenit; nam nedum animal generat sibi simile, sed etiam aliquatenùs intùs agit, dum per sensibilia cognoscit et appetit.

ART. III.

An substantia sit immediatè operativa?

177 Prænotandum est 1° operationis seu actionis principium esse duplex, scilicet principium *quod* seu id quod agit, et principium *quo* seu vis qua agit. Principium *quod* est suppositum seu totum compositum, non verò aliqua eius pars. Cùm enim operari sequatur ad *esse*, seu sit veluti appendix et fructus ipsius *esse*, eius est operari, cuius est *esse*. Unde sicut forma et alia pars entis solùm est id *quo* totum constituitur in *esse*, ipsum verò totum propriè *est* et subsistit; ita totum compositum est id *quod* operatur seu principium *quod* agendi, partes verò solùm sunt principium *quo*. Pedibus enim v. g. homo currit et oculis cernit, at homo ipse est qui currit et cernit, et hinc dicitur, quod *actiones sunt suppositorum*.

178 Prænotandum est 2° actionem creatam, sive agentis modificationem eam appelles sive accidens, aliquid esse ab agentis substantiâ omninò distinctum. Neque de hoc ullus ambigit. Experimur etenim eâdem manente agentis substantiâ, actiones varias sibi succedere. Prænotandum est 3° principium *quo* actionis esse duplex, *radicale* scilicet et *proximum*. Principium radicale seu prima radix omnium actionum est forma substantialis; nam cùm operari sequatur ad *esse*, principium et radix

essendi est etiam principium et radix operandi; forma autem substantialis est primum principium *quo*, primaque radix essendi, ut aiunt Physici. Quæritur autem an ipsa forma substantialis sit etiam principium proximum actionis, ita ut inter substantiam et operationem nullum mediet accidens, seu nulla vis accidentalis?

179 Conclusio: *Nulla substantia creata est immediatè operativa, sed in omni creaturâ principium proximum operandi, seu potentia operativa est accidens ab eius substantiâ distinctum.* Ita D. Th. 1. *p. q.* 54. *a.* 3: *q.* 59. *a.* 2. et in omnibus locis ubi hanc quæstionem movet. D. Dion. *c.* 11. *Cœl. Hierarch.* ubi in Angelis ponit virtutem operativam, ut mediam inter substantiam et operationem. Et D. Aug. *lib. XV. de Trin. c.* 7. ubi ait: *Mens non est anima, sed aliquid eius.* Hinc inter Philosophos ac Theologos nil tam tritum, quàm *potentias animæ ab eâ oriri, procedere, esse eius proprietates, inter se ipsas, et ab eâ distingui etc.* Prob. experientiâ; nam sæpè substantia operatur ubi non est, imò cùm iam non est. Sic sol plura causat in his sublunaribus: gallo et gallinâ peremptis ex ovo nascitur pullus etc.: ergo sol causat aurum et alia, gallus et gallina pullum non immediatè, sed mediis calore, aut aliis accidentalibus virtutibus, quæ ab ipsis causis diffusæ ad effectum perveniunt.

180 Prob. ratione 1°: Potentia operativa in creaturis non est substantia sed accidens: ergo. Ant. prob.: Potentia operativa cuius operatio est accidens, nequit esse substantia, sed in creaturis operatio est accidens, ut patet: ergo. Mai. prob. 1°: Propriæ potentiæ distinguuntur secundùm proprios actus: cùm enim potentia dicatur ad actum, eæ potentiæ dicuntur diversæ, quarum proprii actus sunt diversi; sed proprius actus substantiæ est *subsistere*, proprius verò actus potentiæ operativæ est *operari:* ergo in quibus *operari* non est *subsistere*, sed accidens ei adiunctum, potentia operativa non est substantia, sed accidens ab eâ distinctum. Ita *D. Th.* 1. *p. q.* 54. *a.* 3.

181 2°: Potentia operativa essentialiter ordinatur ad suam operationem, est enim propter ipsam; sed sub-

stantia nequit ordinari ad accidens ; nam accidens est extra rationem essentialem substantiæ, et substantia est ens per se et in se subsistens : ergo. Hæc ratio est D. Th. 1. p. q. 59. a. 2. = 3°: Potentia et suus actus pertinent ad idem genus, nam dividunt ens et quodlibet genus entis; sed operatio est actus potentiæ operativæ: ergo sunt eiusdem generis, sicque etc. Ita D. Th. 1. *p. q.* 77. *a.* 1. Observa tamen quòd hæ rationes evincunt, substantiam et potentiam operativam distingui ante omnem actum intellectûs.

182 Prob. 2° conclusio ratione : Idem nequit esse unum et multa realiter; sed una forma substantialis habet multas potentias realiter inter se diversas, ut anima intellectum, voluntatem, cæt. : ergo. Min. prob. nempè has potentias esse realiter diversas : Inter illas est ordo, et una movet aliam, ut sensus imaginationem, hæc intellectum, iste voluntatem, hæc appetitum sensitivum; sed ordo naturalis et motus unius ab alio sine reali distinctione concipi nequeunt : ergo. Vide D. Th. *q. de Spir. Cre. a.* 11. = Confirmatur : Forma substantialis licèt prima sit, est tamen limitata : ergo sola satis non est ad omnes perfectiones rei debitas, sicque ipsa determinabit rem ad primariam perfectionem, nempè subsistere, seu esse *per se;* ad alias verò perfectiones quæ in illâ radicantur eget formis accidentalibus; et cùm operari sit accidentalis perfectio, oportet quòd detur immediatè à formâ accidentali.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

183 Obi. 1° : Duo actus subordinati possunt esse immediatè ab eodem principio, ut amor Dei et proximi ab eâdem charitate; imò subsistentia et existentia ab eâdem substantiâ; sed *esse,* et *agere* sunt subordinati : ergo possunt ab eâdem formâ scilicet substantiali immediatè produci. ℟. dist. mai. : Actus subordinati *eiusdem generis,* conc.; *diversi generis,* nego. Tales autem sunt *esse* et *agere*, cùm unus sit actus substantialis, alter accidentalis. = Contrà : Forma accidentalis sæpè hæc duo in se colligit, *esse* et *agere,* ut calor *calet* et *calefacit:* ergo etiam substantialis. ℟. quòd in accidenti *esse* et *agere*

sunt eiusdem generis; præcipuè si accidens sit primariò destinatum ad *agere;* tunc enim *esse* est ipsum *esse acivum*, sicut *calere* idem est ac vim ipsam calefaciendi ormaliter in se habere.

184 Obi. 2°: Substantiam creatam esse immediatè operativam, nec repugnat quia *creata* est, nec quia *substantia:* ergo nullo modo. Prob. 1ª pars: Accidens est creatum; sed est immediatè operativum: ergo. Prob. 2ª pars: Deus est substantia, et immediatè operatur: ergo. ℟. repugnare ex utroque non *seorsim*, sed *simul* acceptis; nam *quia substantia*, nequit ordinari ad accidens; et *quia creata*, debet habere operationem accidentalem, ad quam ordinatur eius immediatum principium. Sicut etiam *operatio creata* nequit esse substantia, licèt aliqua operatio nempè divina, et aliquid creatum v. g. homo substantia sint. Hinc colliges hanc repugnantiam oriri ex substantiæ perfectione imperfectioni mixtâ; nam quòd nequeat ordinari ad accidens ex eius perfectione est: quòd autem eius operatio debeat esse accidens ex eius limitatione, finitudine, atque adeò imperfectione oritur.

185 Contrà: Substantia potest immediatè operari accidens, quin ordinetur ad accidens: ergo. Ant. prob.: Substantia recipit immediatè accidens, quin ordinetur ad illud: ergo etiam etc. ℟. nego consᵐ. Disparitas est, quia potentia receptiva iam constituta in actu primo seu substantiali, non pendet in suo esse ab actu secundo seu accidenti; imo è contrario accidens in suo esse pendet à substantiâ in qua recipitur: neque substantia est propter accidens quod recipit, sed accidens est propter substantiam in qua est. At verò potentia immediatè operativa, seu proxima vis agendi, est propter actionem seu operationem, adeòque ad ipsam operationem ordinatur.

186 Obi. 3°: Idem est principium essendi et agendi; sed forma substantialis est immediatum principium essendi: ergo et agendi. ℟. dist. mai.: idem est principium *radicale* agendi et essendi, conc.; idem est utriusque immediatum principium, nego. Nam sicut agere sequitur ad esse ut secundaria perfectio, ita vis agendi sequitur formam essendi ut forma secundaria, sicque accidentalis.

= Contrà : In tantum aliquid agit, in quantum est in actu ; sed est in actu per formam substantialem : ergo per illam agit. ℟. dist. cons. : per illam agit tamquam per principium *radicale* operationis, conc. ; *proximum*, nego.

187 Obi. 4° : Forma accidentalis est immediatè productiva formæ accidentalis : ergo et forma substantialis alterius substantialis. ℟. nego cons^m. Cùm enim accidens ex suâ naturâ sit virtus substantiæ, et huic detur ut medium operationis, tale debuit esse, ut non egeret alio medio ad operandum, nam *ad unum quo non requiritur aliud quo*. At verò substantia cùm sit propter *subsistere* et non propter *agere*, non debuit talis esse quæ immediatè ageret. = Contrà : Forma accidentalis nequit esse medium, seu principium operativum in productione formæ substantialis : ergo hæc immediatè producitur à substantiâ. Ant. prob. ; Efficiens debet esse perfectius, vel æquè perfectum cum effectu ; sed accidens est imperfectius substantiâ : ergo. ℟. dist. mai. : Efficiens *ut quod*, conc. ; hoc autem est totum compositum quod non est accidens ; efficiens *ut quo*, nego : nunc autem solùm loquimur de principio *quo*, seu vi activâ operationis.

188 Contrà : Si agens *ut quod* debet esse saltem æquè perfectum ac effectus, etiam vis activa : ergo ruit solutio. Ant. prob. : Agens solùm influit in effectum ratione actûs quem habet ; sed actus agentis est eius vis activa : ergo. ℟. dist. ant. : etiam vis activa *radicalis*, conc. ; *proxima*, subdist. : aliquando, conc. ; semper, nego. Itaque in agente *ut quod*, seu composito, sunt duo principia *quo* effectûs, seu duæ virtutes activæ : altera proxima et particulari effectui destinata, v. g. voluntas ad amorem, intellectus ad cognitionem, potentia generativa ad propagationem speciei etc. ; altera radicalis, quæ est ipsa forma substantialis, quæ 1 quoniam *esse* dat ad quod operari consequitur, et 2 ab ipsâ dimanant, et in ipsâ sustentantur omnes virtutes seu potentiæ proximæ operandi, dicitur *radix* et *fons* omnis operationis et effectûs. Et licèt ad omnem effectum influant virtus seu principium radicale et aliquod ex principiis proximis ; non ta-

men eodem modo quando effectus est accidens, ac quando est substantia.

189 Etenim si effectus est substantia, principium radicale est virtus *principalis;* si autem effectus est accidens, ipsum principium proximum est virtus *principalis.* Et ratio est, quia nomine virtutis *principalis* eam intelligimus, quæ ratione sui fœcundat agens ut possit effectum producere: constat autem quòd agens à suâ substantiâ fœcundatur ut producat substantiam, et ab accidenti ut producat accidens. Sic in igne calor est ratio producendi similem calorem in alio subiecto, sicque *virtus principalis* in productione caloris; at ipse calor non est sufficiens ratio producendi alium ignem, sed hæc est ipsa forma ignis, quæ proindè est virtus *principalis* in generatione ignis. Itaque sola virtus *principalis* debet esse tam perfecta quàm effectus, cùm sola sit ratio producendi; ideòque licèt in generatione accidentis utraque virtus, proxima et radicalis, sit tam perfecta quàm effectus, in generatione tamen substantiali sufficit quòd principium radicale seu forma radicalis sit substantia, seu æquet effectum in perfectione.

190 Hinc in generatione substantiali virtus proxima seu accidentalis dicitur virtus *instrumentalis*, non quidem propriè, nam hæc est motio transiens derivata à causâ principali ad instrumentum, ut posteà dicemus, sed dicitur virtus *instrumentalis* impropriè et per similitudinem; nam virtus proxima non attingit effectum substantialem, nisi quatenùs est effluxus aut participatio virtutis radicalis, à qua pendet. Et hinc colligitur, quòd virtus seu potentia proxima non debet recipere à substantiâ aliquam motionem à se distinctam; sicut licèt instrumentum v. g. malleus recipiat ab agente aliquam *motionem*, hæc tamen motio, quæ est virtus instrumentalis, aliâ motione non indiget.

191 Itaque virtus proxima v. g. calor ex naturali colligatione quam habet cum formâ ignis, ut virtus secundaria cum suâ principali, absque omni addito, concurrit activè ad effectum se nobiliorem, nempè alium ignem; sicut etiam calor productus in ligno disponit ad

effectum se nobiliorem, nempè formam ignis, ex solâ naturali colligatione quam habet cum formâ ignis producti. ut effectus præambulus cum suo ultimato. Et hæc naturalis colligatio experientiæ innititur : videmus enim nec ignem produci nisi calore præcedente, nec producere nisi per calorem à suâ formâ dimanantem ; et generatim nunquam substantias gigni nisi mediis dispositionibus, nec gignere nisi mediis activis qualitatibus.

192 Obi. ultimò : Substantia Angeli immediatè gerit vices speciei impressæ in sui cognitione ; sed species impressa effectivè concurrit ad intellectionem : ergo. ℟. dist. min. : concurrit ut *principium* eliciens intellectionem, nego ; ut *obiectum* terminans et complens potentiam cognoscitivam, conc. ; nam species impressa se tenet ex parte obiecti. Non repugnat autem substantiæ immateriali immediatè obiici potentiæ cognoscenti, quia id non affert secundariam perfectionem, sed solùm eius entitatis quam habet exhibitionem, et coniunctionem cum potentiâ eam attingente. At de his fusiùs Theologi.

193 Pro coronide quæres 1°: Quid sit causalitas causæ efficientis? Ante responsionem nota, quòd causa dum actu in effectum influit dicitur esse *in actu secundo :* et dum habet potentiam influendi, at illam nondum exercet, dicitur esse *in actu primo.* Quòd si causæ adsint requisita omnia ad influendum, est *proximè* expedita, sive in actu primo *proximo ;* si deficit aliquod requisitum, dicitur causa in actu primo *remoto.* Hinc actus primus est *virtus causandi* sive proxima sive remota, et actus secundus est *ipsa causatio* seu *causalitas,* de qua quæritur quid sit in causâ efficiente. Dico igitur : *Causalitas causæ efficientis est actio.* Constat ; nam causalitas causæ est id quo constituitur causans in actu secundo ; sed per actionem causa efficiens constituitur formaliter causans in actu secundo : ergo. Advertas autem, quòd licèt *actio* et *agere* idem sint, causalitas tamen meliùs exprimitur per *agere ,* quod exprimit actionem ut exercitam.

194 Quæres 2° : Quid sit dimanatio, seu resultantia ? ℟. quòd est *productio unius rei minùs principalis ad productionem alterius principalioris ex vi naturalis con-*

nexionis quam habet cum illâ; ut illa dicantur ab alio dimanare, quæ, utpote illi connexa, ad eius productionem producuntur. Declaratur: Forma vel est substantialis, vel accidentalis; et hæc vel est communis ad rei integritatem non pertinens, ut calor aquæ; vel propria, quæ naturaliter debetur rei ut perfecta sit, ut sensus animali; nam licèt forma substantialis det primariam perfectionem, cùm limitata sit, eget propriis accidentibus, ut det *esse* omnibus numeris absolutum. Hæ formæ propriæ, ut ex naturâ suâ conspirant cum formâ substantiali ad unum *esse* perfectum, ita oportet, ut naturali nexu ei fœderentur. Et quia unitorum est eadem sors, consequens est, ut nec ista esse possit quin illæ sint, nec fieri quin eâdem actione illæ fiant, et hinc axioma: *Qui dat esse dat consequentia ad esse.*

195 Hanc ergo secundariam productionem proprietatum ad productionem principalioris formæ, cuius appendices sunt, fundatam in naturali connexione, vocamus *resultantiam* seu *dimanationem.* Et hinc colliges, dimanationem non esse actionem distinctam à productione essentiæ, sed eiusdem actionis essentiam esse terminum primarium, et proprietates secundarium. Colliges etiam, essentiam posse dici causam efficientem proprietatum; non quidem *propriè,* quasi eliciat actionem earum productivam, sed *reductivè*, in quantum defert actionem generantis ad proprietates, seu ob connexionem cum illis est ratio cur actio agentis ulteriùs ad proprietates transeat. Deferre enim actionem agentis, et esse in causâ cur ipsa ulteriùs progrediatur, reductivè pertinet ad genus causæ efficientis.

ART. IV.

DE INSTRUMENTIS CAUSÆ EFFICIENTIS.

196 Dico 1° : Instrumentum est : *Causa agens in virtute alterius,* scilicet causæ principalis, quæ agit virtute propriâ. Tripliciter autem agit aliquid virtute propriâ. 1° cùm virtus est proprietas agentis, ut calor ignis. 2° cùm

virtus agendi, licèt non sit proprietas, subordinatur tamen alteri virtuti quæ est proprietas : sic charitas subordinatur voluntati, et per hoc ita appropriatur homini, ut amor Dei sit ab homine tamquam à causâ principali. 3° cùm virtus agendi recipitur in alio tamquam in subiecto : sic aqua calida principaliter calefacit, quia in se recipit calorem seu vim calefaciendi. Quodcumque igitur agens, quod agit aliquâ virtute quæ nullo ex his modis est illi propria, dicitur *instrumentum* seu causa instrumentalis.

197 Dico 2° : *Instrumentum recipit ab agente principali motionem, seu virtutem aliquam transeuntem.* Prob.: Implicat causam producere effectum nisi habeat virtutem eius productivam; sed instrumentum producit effectum causæ principalis : ergo habet virtutem productivam illius effectûs; sed hæc virtus non est ipsi propria, aliàs esset causa principalis : ergo est ab agente principali. Hinc 3. p. q. 62. a. 1. ait D. Th. : *Causa instrumentalis solùm agit per motum quo movetur à principali agente. Est enim* (II. cont. Gent. c. 21. n. 4.) *ratio instrumenti, ut sit movens motum.* Hæc autem virtus, qua instrumentum elevatur à causâ principali, est *transiens*, et *motus* seu *motio* ; quia inest instrumento non ut virtus stabilis, sed ut impulsus tendens ad ulteriorem terminum, scilicet ad *agere* causæ principalis. Sicut *penicillus* recipit à pictore virtutem seu motionem, non qua ipse penicillus in suo *esse* fixo perficiatur, sed qua ut impetu transeunte elevetur ad facere nobilius, scilicet ad faciendam imaginem.

198 Dico 3° : *Instrumentum præter motionem ab alio receptam, aliquam vim activam ex se habet, qua causæ principi cooperetur.* Ut enim ait D. Th. 3. p. q. 62. a. 1. ad 2m : *Instrumentum non perficit actionem instrumentalem, nisi exercendo propriam.* [1] Neque instrumentum distingueretur à medio, [2] aut ad diversa opera diversis instrumentis egeremus, si vires ipsi instrumento propriæ nullatenùs in effectum influerent. [3] Hinc in effectu facilè distinguimus, quid ab ipso instrumento sit, quid à motione quam ab agente recipit : ut in scriptione, quòd

exaratio sit latior, aut gracilior, tersa etc., à calami figurâ, duritie, et flexibilitate oritur; at artificiosa characterum forma artificiosæ motioni respondet, quam calamus ab scribente recepit.

199 Dico 4°: *Instrumentum variè dividitur.* 1° in instrumentum *quod*, seu suppositum serviens alteri superiori à quo movetur, ut baculus homini; et instrumentum *quo*, seu ipsam virtutem agendi minùs principalem. Et hæc adhuc est duplex: una *propriè* dicta, nempè motio ab agente derivata in instrumentum *quod*, ut ab artifice in malleum; et alia *impropriè* dicta, nempè virtus aliqua ipsius causæ principalis, solùm in effectum influens, quatenùs cum aliâ virtute connexa, sicut virtus accidentalis proxima in generatione formæ substantialis. 2° instrumentum aliud est *artificiale*, quod servit artifici, ut malleus: aliud *naturale*, quod servit causis naturalibus, ut manus et pedes animæ; et aliud *supernaturale*, quod Deus adhibet ad effectus supernaturales, ut aquam baptismatis ad sanctificandos homines.

200 3° dividitur in *coniunctum*, quod unitur causæ principali, ut manus animæ; et *separatum*, quod agit ut emissum à causâ principali, ut semen emissum ab arbore aliam gignit virtute impressâ ab arbore à qua decisum est. 4° in *physicum*, quod à principali physicè movetur, ut malleus ab artifice; et *morale*, quod solùm movetur moraliter, ut mandato, pacto, precibus, institutione etc. Sic servus movetur à Domino iubente: scripturæ moventur ab hominibus instituentibus, ut tales talia significent, ad talia obligent etc.

QUÆSTIO III.

DE CAUSIS MATERIALI, FORMALI ET FINALI.

201 Agendum superest de causis materiali, formali et

finali. Et quoniam causa idealis seu exemplaris ad formalem reducitur: est etenim formalis extrinseca, seu ipsa forma extra rem, in mente scilicet artificis præconcepta; ideò nonnulla quoque de ipsâ addemus.

ART. I.

DE CAUSIS MATERIALI ET FORMALI.

202 De materiâ et formâ, ut sunt principia et partes entis naturalis, agunt Physici: nunc in iis solùm consideramus rationem causæ. Itaque dico 1°: *Materia et forma causæ rationem habent ex propriâ suâ entitate, et non ex aliquo sibi addito.* Prob.: Materia et forma solùm causant seu concurrunt cum agente, quatenùs materia se habet ut potentia, inchoatio et fundamentum illius *esse* quod agens causat, forma verò ut actus, determinatio et completio; sed materia ex propriâ entitate habet ut sit potentia, fundamentum et inchoatio essendi; forma verò ut sit actus, determinatio et completio: ergo ex propriâ entitate habent rationem causæ. Hinc etiam causalitas est ipsamet utriusque entitas, non autem aliquid ab iis distinctum. Scilicet causalitas materiæ est eius entitas, ut de facto sustentans formam, quam habet vi agentis; et causalitas formæ est eius entitas, ut de facto perficiens materiam, cui datur ab agente.

203 Dico 2°: *Proprius effectus materiæ et formæ est totum compositum.* Patet; nam earum effectus est id quod earum concursu in *esse* constituitur; sed id est ipsum compositum, cuius propriè est *esse*: ergo. Nihilominùs etiam minùs propriè materia dicitur causa *generationis* per modum subiecti, et *formæ* per modum potentiæ ex qua educitur, et in qua recipitur. Similiter forma dicitur causa *generationis* per modum termini ipsam complentis; *materiæ* per modum actûs dantis ipsi existentiam; et *corruptionis veteris formæ*, quam à materiâ expellit, ut eam possit occupare. Advertas autem quòd ut materia et forma causent, duo requiruntur. Primò influxus causæ efficientis formam materiæ applicantis. Secundò disposi-

tiones, tum prævix quibus materia præparetur ad recipiendam formam, tum concomitantes, quæ reddant materiam capacem retinendi formam.

ART. II.

DE CAUSA IDEALI.

204 Dico 1°: *Necesse est dari causam idealem.* Prob. : Idea est forma intelligibilis rei faciendæ in mente agentis intellectualis præconcepta ; sed necesse est dari talem formam : ergo. Min. prob. 1° : Agens intellectuale debet habere apud se rationem sui operis, aliàs ageret ignoranter et cæco modo, sicque non ut agens intellectuale ; sed operis faciendi ratio mente præconcepta est ipsa idea : ergo. 2° : Artifex est de se indifferens ad plura operum genera, ut ad domum et turrim : ergo debet determinari interiùs per formam intelligibilem. = Obi. : Arist. ait : Dicere ideas esse, vaniloquium est et poëtica metaphora : ergo. ℟. dist. ant : ideas, quæ sint substantiæ extra res ipsas et intellectum divinum subsistentes, conc. ; ideas, quæ solùm sint in mente artificis, nego. Nam Arist. Platonem impugnat qui ideas admittebat subsistentes, sicut fortuna, virtus, fama, furia, ut res subsistentes, seu ut numina quædam plures effectus in rebus producentia à Poëtis finguntur.

205 Dico 2° : Idea definitur : *Forma ad quam respiciens artifex operatur.* Propriè solùm dicitur de similitudine intelligibili quam artifex in mente habet ; at minùs propriè etiam dicitur idea, seu exemplar, opus illud externum quod artifex sibi imitandum proponit, ut tabella famosioris pictoris cuius exemplum alter exprimit. Hinc non omnis similitudo rerum quæ in mente est *idea* dicitur, sed ea sola quæ imitabilis est, seu secundùm quam artifex aliquid efficere intendit. = Unde dum concipio florem et cœlum, conceptus quem exprimo non est *idea,* quia non dicit ordinem ad opus : non enim possum reducere hunc conceptum ad praxim, et illum imitando producere floris vel cœli substantiam : sed dum inten-

do construere domum, cuius formam in mente meâ excogito, ut illam ad opus applicem, talis conceptus est idea (1).

ART. III.

DE CAUSA FINALI.

206 Hoc vocabulum *finis* variè sumitur. 1° pro termino continui, ut punctum est finis lineæ. 2° pro limitibus, ut Pyrenæi sunt fines Hispaniæ. 3° pro completione operis, ut navis iam apta navigationi dicitur finita. 4°: pro consumptione, ut vinum dicitur finitum cùm exhaustum est. 5° pro desitione, ut mors dicitur finis vitæ. Sed missis his omnibus acceptionibus, sumitur hìc finis pro illâ causarum, quæ allicit et invitat agens ad agendum; de qua, Dico 1°: Causa finalis rectè definitur: *Cuius gratia aliquid fit,* cùm enim finis alliciat agens ad agendum, eius gratiâ seu amabilitate, amore aut respectu agens operatur.

207 Dico 2°: *Finis est vera et realis causa.* Nam re ipsâ influit in effectum; reipsâ enim movet agens ad agendum: unde fine sublato agens non ageret, nec effectus sequeretur: ergo vera et realis causa est. Hinc finali causâ assignatâ veram causam nos assignasse censemus. = Obi.: Causa est principium influens; sed finis est potiùs ultimus terminus influxûs: ergo. ℟. dist. min.: finis in *executione* est ultimus terminus, conc.; in *intentione*, nego. Nam licèt finis *obtentus* sit terminus et ultima quies actionis; *intentus* tamen est primum principium excitans ad agendum. = Contrà: Quod non est non causat; sed finis ante actionem sæpè non est: ergo. ℟. dist. min.: finis non est *in re*, conc.; in *apprehensione*, nego. Pro-

---

(1) *Ita licèt quas græci vocant* ideas, *latini* species *dicere possint, apud Scholasticos tamen vox* idea *retenta est ad eas species significandas, quæ artificem in operando dirigunt. Alia tamen est apud Recentiores huius nominis significatio, ut dicemus lib.* 3. *q.* 1. *a.* 4. § 1.

primum autem finis est ut causet apprehensus ; ut sanitas apprehensa movet et excitat ad quærenda remedia.

208 Dico 3° : *Finis variè dividitur.* 1° in finem specialiter dictum *cuius gratiâ*, nempè bonum quod volumus ; et finem *cui*, seu personam cui bonum volumus. Sic divitiæ sunt finis *cuius gratiâ* pater laborat ; et filius finis *cui* laborat. 2° in finem *ultimum* propter quem alia volumus, ipsum verò propter se tantùm ; et *intermedium*, propter quem aliquid volumus, et ipsum rursùs ad alium ordinamus ; ut dum affligimus corpus propter virtutem, et hanc volumus propter Deum. 3° in finem *obiectivum*, seu rem volitam ; et *formalem*, seu eius possessionem. 4° in finem *operis*, ad quem ex naturâ suâ opus tendit ; et finem *operantis*, quem sibi ad libitum operans præfigit. Ut finis operis in eleemosyna est subventio pauperis, et finis operantis aliquando Deus, aliquando inanis gloria. 5° in finem *principalem* seu principaliter intentum, et *secundarium* seu solùm volitum quasi consequenter. Denique in *naturalem*, qui vires naturæ non excedit ; et *supernaturalem*, qui solâ Divinæ gratiæ ope adquiri potest.

209 Dico 4° : *Solum bonum, verum vel apparens, habere potest rationem finis ; nunquam verò malum sub ratione mali.* Ita D. Dion. 4. de Div. Nom. dicens : *Nemo intendens malum operatur.* Prob. 1° : Finis est appetibilis, seu conveniens appetitui ; sed malum dicitur quod est appetitui disconveniens : ergo. 2° : Malum ut malum est nocivum seu non est *gratum*, et hinc definitur *id quod omnia fugiunt*, sicut bonum *id quod omnia appetunt* : ergo malum ut malum caret *gratiâ*, qua excitet ad aliquid faciendum, sicque non est finis. = Obi. tamen 1° : Voluntas est libera, seu indifferens : ergo sicut ferri potest ad bonum, etiam ad suum oppositum seu malum. 2° : Damnati appetunt *non esse* : Diabolus ipsum peccatum : Turcæ paradisum Mahometis etc. ; sed hæc non sunt bona, sed mala : ergo. 3° : Potest aliquis facere hunc actum : *Volo malum præcisè ut malum est* : ergo talis habebit pro fine malum ut malum.

210 ℟. ad 1m dist. cons. : etiam malum eodem modo

ac bonum, nego; diversimodè, conc. Nam sicut intellectus respicit verum et falsum, verum assentiendo, falsum dissentiendo: ita voluntas respicit bonum et malum, sed bonum appetendo ut finem, malum verò fugiendo. Nec ampliùs probat libertas voluntatis, quæ licèt amando ferri possit ad opposita ut ad virtutem et vitium, non tamen amando ferri potest ad malum, quia non continetur sub obiecto voluntatis, quod est appetibile. Ad 2^{m} dist. min.: non sunt bona vera et *realia*, conc.; *apparentia* seu existimata, nego. Nam damnato ipsum *non esse* apparet bonum, quatenùs esset terminativum pœnæ: Diabolo ipsum peccatum, quatenùs ex illo redundat quædam quasi vindicatio Dei, quem odio habet: Turcæ in paradiso mille delectabilia bona fingunt. Ad 3^{m} nego cons^{m}: nam etiam in illo actu aliquid boni quærit, nempè exercere libertatem. Unde impossibile est ut voluntas aliquid velit, quod rationem boni saltem apparentis non habeat.

QUÆSTIO IV.

DE QUIBUSDAM CAUSIS PARTICULARIBUS.

---

211 Cum natura, ars, et violentia, imò casus, fortuna et fatum videantur habere rationem causæ, iisque sæpè homines tribuant effectus, qui in mundo cernuntur; de ipsis quoque agendum est, ut absoluta causarum institutio habeatur. Sit igitur

ART I.

Quid et quotuplex sit natura?

212 Prænotandum est hoc nomen *natura* multipliciter sumi. 1° pro *nativitate*; sic hæres est naturâ prælatus

fratribus. 2° pro *rerum universitate ;* sic Petrus est in rerum naturâ, non autem Chimæra. 3° pro huius universitatis auctore, scilicet *Deo ;* sic à naturâ dicimus factum hominem liberum. 4° pro *stabilito rerum ordine,* seu legibus quibus Universum Deus gubernat ; sic dies naturâ succedit nocti. 5° pro *rei essentiâ :* sic Angelus est naturâ spiritualis. Denique sumitur pro *intrinseco principio mutationum sensibilium ,* id est pro intraneâ radice illorum motuum, quos non agentis externi vis extorquet à rebus, sed ipsæ res sese ultrò effundere videntur ; ut casus lapidis, ascensus flammæ, palpitatio cordis, germinatio arborum, quæ omnes uno ore naturæ tribuunt, id est fonti cuidam interno, ac radici rebus ipsis insitæ.

213 I^a conclusio : Natura in hac ultimâ acceptione est: *Principium et causa motûs et quietis eius in quo est, primò et per se , et non secundùm accidens.* Hæc Arist. definitio nil aliud est quàm accuratior explanatio notionis illius, quam omnes habent de naturâ, cùm ei tribuunt ultroneos illos motus, de quibus mox dicebamus. Dicitur *Principium ,* id est radix et prima origo : *et causa,* id est verè influens, *motûs* verè talis seu sensibilis : *motûs ,* inquam, *et quietis ,* id est illius alternationis, qua res sponte suâ modò moventur ut lapis ad centrum, modò quiescunt ut lapis in centro ; aut illius uniformitatis, qua res quædam perpetuò moventur ut sidera, aut perpetuò quiescunt ut globus terrestris : hæc enim verba sunt accipienda in sensu accommodo. Additur *eius in quo est ,* quia natura est causa interna , seu insita ipsis rebus. Dicitur demum *primò per se, et non secundùm accidens ,* quia non omne principium internum est natura, sed solùm primum et essentiale.

214 Atque hinc colliges 1° rationem naturæ non obtinere habitus nec infusos nec adquisitos : non enim sunt in re ut prima motûs principia, insita et essentialia, sed ut secundaria subsidia rei addititia et accidentalia. Humores quoque noxii, aut extraneæ substantiæ rebus intrusæ, licèt plurium motuum sint causæ, à naturæ tamen ratione excluduntur ; quia non sunt de essentiâ rei, imò ut hostes datâ opportunitate expellendi. Colliges 2° *natura-*

le, seu illud quod fit à naturâ, distingui primò ab *artificiali*, seu quod fit ab arte, nam ars est extrinseca rei quæ arte fit : secundò à *violento*, nam quæ violenta sunt ab extrinseco impellente fiunt, ut quòd lapis sursùm tendat : tertiò à *supernaturali*, quod nullis naturæ viribus effici potest, ut quòd sol in medio cursûs immotus stet.

215 II^a conclusio : *Materia prima et forma sunt propriè natura.* Patet ex dictis. Hæc enim sunt duo intranea et prima principia substantiæ sensibilis ; atque adeò omnes motus ab essentiâ nascentes, in illis primitùs originantur : ita tamen quòd materia semper est principium passivum, forma verò aliquorum motuum est passivum, eorum scilicet quos res quidem ipsa non excitat in se, sed naturaliter exigit ab alio habere, sicut forma cœli exigit moveri ab Angelo ; aliorum verò etiam activum, eorum scilicet quos ipsa res in se excitat, ut sunt motus vitales. Hinc colliges 1° quòd anima rationalis dum corpori unita habet rationem naturæ ; quia plurium sensibilium motuum est intrinsecum activum principium : à corpore verò separata non est natura, quia tunc solùm est intrinsecum principium intellectionis et volitionis, qui nec sensibiles motus sunt, nec tunc à sensibilibus pendent.

216 Colliges 2° totam essentiam seu compositum aliquo modo dici posse naturam ; nam est radix et origo suorum motuum ; et licèt ex aliis principiis seu naturis componatur, scilicet materiâ et formâ, hoc non impedit quominùs sit primum principium *totale*, contra cuius rationem non est, ut constet principiis partialibus. Ob hanc tamen rationem addimus *aliquo modo ;* nam compositum propriè magis est *à naturâ*, idest constans naturâ seu materiâ et formâ, quàm *natura.* Colliges 3° nec Deo nec Angelis propriè convenire rationem naturæ ; siquidem nec Deus nec Angeli habent in se motus sensibiles, sed sunt supra omnem illam mutationem et vicissitudinem. Unde si quando in ipsis dicitur esse natura, intelligendum est in aliquâ ex priùs allatis acceptionibus.

217 Obi. tamen contra II^m : Si materia esset natura, omnes motus essent naturales, v. g. aquæ naturale esset

calefieri et corrumpi : ergo non est natura. Ant. prob. : Materia est indifferens ad omnes motus : ergo. ℟. dist. 2^{m} ant. : materia *se solâ*, conc. ; quatenùs est *sub aliquâ formâ*, nego. Nam materia quatenùs est sub aliquâ formâ ligatur ab illâ et eius dispositionibus. Unde reduplicativè ut est pars compositi, et subiacet dispositionibus alicuius formæ, violentum ipsi est quidquid composito et formæ repugnat. Cæterùm si materia præscissè sumatur, sic nullus motus est ipsi violentus ; et in hoc sensu etiam corruptio aliquando dicitur *motus naturalis*.

ART. II.

Quid sit ars, et quomodò efficiat opera naturæ?

218 I^{a} CONCLUSIO : Ars est : *Recta ratio factibilium ;* unde artificialia sunt *quorum principium est extra*, scilicet in mente fabricantis. Ars imitatur naturam. 1° *ex parte principii ;* nam sicut naturalia sunt à ratione Divinâ, ita artificialia à ratione humanâ. 2° ex *parte modi procedendi ;* nam utraque aptat instrumenta ad finem intentum, ut natura oculos ad videndum, et ars limam in dentes exasperat ad corrodendum. 3° *ex parte termini ;* nam finem sibi proportionatum intendit utraque ; à quo cùm aliquando vel impedimentorum vitio, vel concausarum defectu aberret, hinc ut ait Arist. in naturâ et arte invenitur peccatum, quod in naturâ dicitur *monstrum*. Atque hinc patet quantum ars à naturâ deficiat ; nam et naturæ *principium* est perfectius, et *opus* nobilius, et etiam naturæ *finis* est maius bonum, scilicet bonum Universi, cùm tamen finis artis sit nostra commoditas, delectatio, aut conservatio. Ut enim ait D. Th. *II. Phys. l. 4 : Nos sumus finis omnium artificialium.*

219 II^{a} conclusio : *Formæ artificiales esse nequeunt principia motûs ; eum tamen iuvare possunt.* 2^{a} pars patet ; nam ferrum arte figuratum faciliùs scindit. Prob. 1^{a} : Ars solùm in materiâ inducit varium situm ; sed situs non est principium motûs ; nam corpus ex se non habens vim movendi ex vario situ eam non adquirit : ergo. Mai.

prob.: Omnis forma propriè artificialis consistit vel in figurâ ut forma clavis, vel in compositione ut formæ unguentorum, vel in ordine ut forma horologii; sed istæ ex vario materiæ naturalis situ per artem effecto resultant: ergo. Adde: Formæ artificiales sunt ab intellectu creato, sicut naturales à Divino; sed licèt Divinus sit efficax ad extra, unde formis naturalibus indere possit vim movendi et agendi, creatus tamen est ad extra inefficax: ergo formis à se excogitatis, ut sunt omnes artificiales, vim et energiam dare nequit. Hinc planta plantam gignit, non statua statuam.

220 III[a] conclusio: *Ars potest efficere opera et motus naturæ, non quidem virtute propriâ, et per formas artificiales, sed utendo virtutibus naturalibus*, seu ut dici solet, applicando activa naturalia passivis, idest proprias virtutes propriis subiectis. Patet conclusio ratione; nam virtus naturalis quantùm ad applicationem plerumque subiacet arti: ergo ars potest illam applicare, sicque effectus producere. Experientiâ quoque: Sic enim medicus sanat adhibendo naturalia remedia per artem suam. Sic præcipuè dæmones qui exactè norunt animantium, herbarum, rerumque omnium naturalium vires, varia et mira producere possunt per eiusmodi virtutes naturales: ut in Ægypto magorum ministerio conficiebant serpentes, ranas, et alia huiusmodi: ergo.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

221 Obi. 1° contra II[m]: Plura feruntur artefacta se se moventia, ut Architæ Tarentini columba lignea quæ volabat, et aurei pincernæ, qui Brachmanorum regi in convivio ministrabant, si fides habenda est Philostrato in vitâ Apollonii: ergo. ℟. motus illos fuisse à naturali quodam agente per artem applicato, et scitè temperato; ut in omnibus horologiis rotas, et in quibusdam etiam parva simulacra seu sigilla moveri conspicimus, vel à gravitate ponderis centrum naturaliter repetentis, vel ab elasticitate laminæ chalybeæ violenter complicatæ, et paulatim se se explicantis.

222 Obi. 2°: Artificiales figuræ plura operantur: ergo

Ant. prob.: Imagines sub certis constellationibus fabricatæ omninò efficaces sunt ad fugandos serpentes, ad conciliandam gratiam et felicitatem, et similia. Inter quas celebres sunt cereæ illæ statuæ, quibus hominis repræsentati fata ita adhærent, ut quidquid in imagine fit sentiat ipse prototypus. Imò vel ipsis characteribus utuntur magi ad ægritudines sanandas: ergo. ℞. vel ipsos auctores, qui his vanitatibus patrocinantur, fateri, non vi figuræ artificiosæ, sed cœlestis influxûs per figuram tamquam per conditionem attracti, hæc omnia fieri. Sed addendum cum D. Th. *Opusc.* 34. eiusmodi characteres, figuras et imagines esse meras nugas et inania malè credulorum præsidia, seu potiùs meras superstitiones, quibus uti, et in quibus confidere peccatum est.

223 Quæres autem 1°, Quid sit Magia? ℞. *Magiam* primò summam sapientiam significasse; ut apud Persas et Chaldæos ii essent Magi, qui Prophetes apud Hæbreos, Philosophi apud Græcos, Sapientes apud Latinos. Imò ipsi Reges apud Orientales Magi vocabantur, teste Tullio lib. *de Divin.* At nunc *Magia* est: *Ars patrandi mira et insolita*, quæ si illicitis mediis ut pacto implicito aut explicito cum dæmone utatur, dicitur Magia *diabolica* aut *illicita*, de qua Theol.; sin autem licita media adhibeat, licita est, et duplex artificialis scilicet et naturalis. Dicitur *artificialis*, cùm mira efficiuntur præcipuè per humanam industriam, ut aquila Ioannis Regiomontani, quæ Carolo V. Norimbergam ingredienti obviam ex urbis portâ evolavit, et ad eandem comitata est: cœlum vitreum Archimedis quod rotabatur: plura horologia diversissimos motus, imò et astrorum eclipses exhibentia etc.

224 Magia *naturalis* dicitur cùm mira perficiuntur applicando occultas naturæ vires, ratione quadam seu methodo quæ vulgò incognita est. Solet etiam dividi Magia in operatricem et divinatricem. *Operatrix* est quæ singulari dexteritate mira efficit applicando activa passivis, seu res rebus. Sic ex magnetis, herbarum, fossilium et aliorum viribus mira efficiuntur, ut attramentum magicum etc. Ad hoc Magiæ genus pertinet *Cryptogra-*

phia, seu ars occultè scribendi, *Pyrothecnica* seu ar- faciendi ignes artificiosos mediis etiam in aquis ardens tes, etc.

225 Magia *divinatrix* in abditis et futuris coniiciendis versatur; et dividitur in *Astrologiam naturalem*, quæ prædicit eclipses, ventos, pluvias etc. : *Astrologiam iudiciariam*, quæ ex siderum aspectu temerariè iudicat de futuris ab hominis libertate pendentibus : *Physiognomiam* quæ ex pilorum et membrorum colore et habitudine coniicit de temperamento, valetudine, item inclinatione, ingenio etc. Hæc licita est quamdiù intra fines naturalium rationum sistat; at facilè in superstitionem decidit. Faciliùs tamen *Chiromantia*, quæ eadem coniicit ex inspectione et combinatione variarum linearum, monticulorum, et similium quæ in volâ præcipuè sinistræ manûs observantur.

226 Quæres 2° : Sperandum ne est verum aurum à Chimicis efformandum esse? ℟. quòd adminùs est omninò ridiculum in tantâ ignoratione et materiæ ex qua fit, et causæ à qua fit, sperare ab arte brevi tempore efficiendum aurum. Quid? tam utilem artem omniscius Salomon ignorasset? Sciens verò ad nostram Hispaniam tam longâ navigatione appulisset, ut post triennales summos labores aurum sibi compararet? Unde si quando in historiis verum aurum arte factum fuisse narratur, id vafrorum hominum fraudibus tribuendum est, qui aurum aut ferreo colore tingentes, aut aliis metallis obtegentes, dum igne adhibito se se conspiciendum præbebat, de novo produci incautis persuasere. Nemo sanè hac arte dives effectus est; imò qui fictitium illud aurum quærunt proprias opes in fumos tandem vertunt.

ART. III.

Quid sit violentia, et an inferatur à Deo?

227 I^a^ CONCLUSIO : Violentia est : *Cuius principium est extrà, passo non conferente vim, imò positivè resistente.* Unde violentia duo dicit, nempè [1] quòd non fluat ab es-

sentiâ, sed sit à principio extrinseco; et [2] quòd passum repugnet seu activè nitatur in contrarium, eius actionem quoad possit enervans. Atque hinc *violentum* nedum differt à *naturali*, quod est iuxta intimas rei inclinationes, ut motus lapidis deorsùm; sed etiam à *supernaturali*, quod non est iuxta nec contra sed super rei exigentiam, ut instrumentaria vis aquæ ad causandum gratiam in baptismate; et à *præternaturali*, quod nec est iuxta, nec contra, nec supra, sed præter rei naturalem inclinationem, ut formæ statuæ in ligno.

228 In rebus autem præter *particulares inclinationes* ex propriis formis emanantes, quibus sibi peculiares perfectiones exigunt, est quædam *universalis inclinatio* ad bonum totius Universi, vi cuius omnia Deo subiiciuntur, sicut etiam naturæ inferiores aliis superioribus et magis activis. Res enim naturales aptissimè ordinatæ sunt. Ordo autem est cùm alia aliis convenienter subiiciuntur; sicut cernimus in homine cuius dispositio est umbra quædam dispositionis Universi. In eo enim omnia membra subiacent animæ, et in ipsis membris alia aliis præsunt, ut cor sanguini, cerebrum nervis. Etiam in potentiis vis motrix subiacet appetitui, hic imaginationi, et hæc rationi.

229 Sic igitur et in istâ magnâ mole Universi par est ut quædam corpora sint aliis ut superioribus subiecta à quibus scilicet suum esse, inclinationem et motus habeant. Et quemadmodum in humanis membris experimur universalem quamdam inclinationem ad bonum totius corporis, vi cuius pro totius corporis aut etiam alicuius ex nobilioribus partibus conservatione, minùs nobilis etiam cum proprio damno movetur, ut manus in casu ad tuendum caput: ita in rebus naturalibus universalis quædam inclinatio ad bonum totius Universi iure ponitur, vi cuius ad nutum Dei, aut superioris causæ influxum, etiam insolitis motibus inferiora omnia moveantur. Et hinc

230 II[a] conclusio: *Motus à Deo creaturæ impressus non est ei violentus, sed maximè naturalis.* Est D. Aug. *lib.* 26. *contra Faustum c.* 3. ubi ait: *Deus creator et*

conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit; id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, ordo naturæ. Idem innuitur Sap. 19. per hæc verba: *Ignis ut nutrirentur iusti etiam suæ virtutis oblitus est: creatura enim tibi Creatori deservit.* Quasi diceret, creaturam dum movetur à Deo ad aliquid quod est contra propriam inclinationem, oblivisci illius inclinationis, eamque subiicere Creatori suo. Prob. 1°: Quidquid Deus in creaturis facit non est contra sed iuxta præcipuam earum inclinationem: ergo non est eis violentum. Ant. prob.: Connaturalius est creaturam subiici Creatori, quàm corpus animæ; sed non est contra sed iuxta inclinationem corporis, ut quò anima voluerit tendat et moveatur: ergo. *Ita D. Th. 1. p. q.* 105. *a.* 6.

231 Prob. 2°: Omnis inclinatio creaturæ est et pendet à Deo: ergo à Deo flecti potest in quamlibet partem, sicque quidquid Deus in creaturâ faciat nunquam erit contra ipsius inclinationes. Conf.: Non est contra rationem artefacti, quòd in eo artifex aliquid operetur, et addat formæ priùs datæ; nec instrumenti, quòd iterum moveatur à propriâ principali causâ à qua pendet; sed omnis creatura est artefactum divinæ Sapientiæ, et instrumentum Dei ut causæ principis: ergo non est contra sed iuxta inclinationem creaturæ, ut Deus aliquid in eâ operetur, eamque moveat etiam præter ordinem consuetum. Hinc non fuit violentum Soli, quod cursum suum retinuerit ad vocem Iosue: nec aquis quòd quasi pro muro steterint filiis Israël mare Rubrum transeuntibus, quia hæc omnia operabatur supremus naturæ Dominus ex illo dominio, cui omnis creatura spontaneâ servitute paret.

232 Obi. tamen 1°: Quod est contra inclinationem est violentum; sed Deus retinens Solem agebat contra eius inclinationem: ergo. 2°: Dæmones in inferno, imò animæ in purgatorio, violentiam patiuntur; sed non à creaturis: ergo à Deo. 3°: Deus concurrendo cum causis secundis concurrit ad violentiam, ut concurrendo cum manu, quæ vim infert lapidi, eum sursùm pellendo: ergo ipse solus

etiam infert violentiam, quando idem præstat. ℟. ad 1^{m} quòd inclinatio Solis, cùm sit et conservetur à Deo, solùm est ad motum dum Deus aliter non imperat; tunc enim est ad quietem. Ad 2^{m} dic, dæmones in inferno, et animas in purgatorio pati violentiam ab igne, cui alligantur. Dæmones tamen præter hanc *physicam* violentiam aliam *moralem* patiuntur; quatenùs suâ perversâ voluntate Deo resistunt: at hæc violentia, utpote malum morale, ab ipsis non à Deo est.

233 Ad 3^{m} dic, quòd cùm Deus agit cum causâ secundâ sese ei accommodat; nam in unoquoque agit iuxta propriam eius conditionem. Unde quia conditio unius contrarii est, ut vim inferat suo contrario; ideò actio contrarii, quamvis sit à Deo tamquam à primâ causâ, est tamen violenta suo contrario. Sed cùm Deus agit, ipse solus agit iuxta modum suum, idest ut Dominus naturæ: ideòque illi sic agenti omnia sponte suâ obediunt. Et hinc verisimilius apparet, *Deum operari non posse ut agens particulare, et hoc modo inferre violentiam creaturis.* [1] Nam Deus solus operans ab universo rerum dominio præscindi nequit; [2] nec creatura potest ipsi immediatè operanti resistere; [3] et Deus sibi ipsi contrarius existeret, si dum creaturæ aliquem motum imprimit, in ipsâ creaturâ conservaret oppositam inclinationem, qua Dei motum expellere niteretur, imò huic creaturæ conatui Deus ipse cooperaretur.

234 Unde impossibile videtur, quòd Deus *per se ipsum immediatè* violentum morbum alicui inferat: v. g. costam ab Adamo *immediatè* evelleret servatâ repugnantiâ et naturali horrore, quo natura sensitiva refugit sui corporis læsionem, atque adeò Adamo dolente, repugnante, clamante. Dicimus ergo quòd Deo immediatè Adamo costam detrahente, necessarium erat, quòd in Adami naturâ suspenderetur repugnantia et dolor, quo refugit animal sui corporis lacerationem, imò ipsa natura inclinaretur ad abigendam hanc partem, ut iam individuo superfluam. Quòd si Deus voluisset torqueri Adamum in costæ detractione, opus fuisset mediam aliquam causam

adhibere, ut ignem adhibet ad torquendos dæmones in inferno et animas in purgatorio.

ART. IV.

DE FORTUNA ET CASU.

235 Fortuna apud Gentiles erat numen quoddam, à quo res istæ sublunares, præcipuè humana negotia, cæco impetu versarentur. Unde Fortunam fingebant cæcam, furenti similem, super volubilem globum altero pede stantem, coronas, divitias, egestatem, carceres, victorias cæt. indiscriminatim spargentem. Apud nos verò fortuna et casus propriè sumpta sunt : *Causæ per accidens efficientes, ex quibus effectus præter intentionem sequitur.* Dum enim causa effectum intentum sortitur non est fortuita et casualis : ut si saggita scopum attingat non est fortuna et casus; at si vento deturbata occidat amicum, dicitur fortuitum et causale.

236 Fortuna et casus quodammodò differunt, quòd fortuna frequentiùs usurpetur in causis liberis, et casus in naturalibus. Omnes enim causæ suo modo agunt propter finem; à quo nonnunquam deficientes effectum minimè intentum sortiuntur : quòd si causæ naturali accidat, *Casus est :* si liberæ, *Fortuna* est. Sic quòd intumescentia flumina domos et agros absorveant, *Casus* est. Quòd homo in suis negotiis in aliquod inopinatum bonum aut malum impingat : ut quòd Absalon ramis arboris capillamento implicetur; quòd agricola, ut arborem pangat terram altè effodiens, thesaurum inveniat, *Fortuna* nunc prospera, tunc adversa est.

237 Obi. tamen 1° : Felices eventus semper intendimus : ergo nunquam sunt fortuiti, aut causales. 2° : In rebus nil accidit præter intentionem Dei : ergo non est fortuna et casus. ℟. ad 1m quòd felices eventus licèt in communi voliti, aliquando tamen eveniunt ex actione quæ ad id non destinabatur, ut sanatio intestini tumoris ex ictu inimici, et tunc dicuntur fortuiti. Ad 2m dist° cons.; nil est fortuitum respectu Dei, conc.; respectu

creaturarum, nego. Sicut enim domino per diversas vias mittente duos servos ad eundem locum, uno de altero nesciente, servorum occursus ipsis fortuitus est, non autem domino: ita Deo omnia prævidente, et vel permissivè vel effectivè præordinante, causis secundis plura præter intentionem accidunt; sicut Angelo Custodi fortuitum est quòd cliens, dum ex Angeli inspiratione it ad Ecclesiam, inimicum obvium interficiat.

ART. V.

DE FATO.

238 NOMINE *fati* intelligitur *Immobilis quædam eventuum præordinatio ab aliquo sapiente præscita et præfata.* Fatum enim à *fando* deduci videtur. Circa fatum variè erravere Antiqui. Quidam enim rerum contingentiam, et hominis libertatem evidenter experti, fatum omne negabant, seu omnem certam et immobilem eventuum præscientiam et præordinationem. Alii constanti rerum ordine convicti, mundum providentiâ regi; et hominis libertatem, et rerum contingentiam inficiabantur, et sub fati nomine nescio quam necessitatem aut in corporibus cœlestibus, aut in causarum concatenatione fingebant; cui vel ipsi Dii nedum homines subiicerentur; seu cuius fatalis necessitatis leges, quasi in tabulis æneis descriptas, ipse Jupiter legere posset, emendare non posset. At sanior Philosophia (fateamur ingenuè, revelationis luce manuducta) utrumque extremum coniungit, nempè rerum contingentiam et hominis libertatem cum æternâ immobili rerum omnium in liberis Dei decretis præordinatione ac præscientiâ. Et in hoc sensu

239 Conclusio: Verè est fatum, seu ut ait Boëtius, *Immobilis rerum mobilium dispositio, per quam Dei providentia suis quæque ordinibus nectit.* Et ut breviùs illud definit D. Thomas 1. *p. q.* 116. *a.* 4: *Ordinatio causarum secundarum ad effectus divinitùs provisos.* Prob. conclusio ratione: Omnia quæ hìc à nobis temporaliter aguntur, quamvis libera et contingentia sint, Dei

providentia disposuit et ab æterno præscivit : ergo talis dispositio in sensu sat proprio dici potest *fatum*. Nihilominùs hoc vocabulo cautè utendum, ne cum Gentibus consentire videamur ; sed ut monet D. August. *Lib. V. de Civ. Dei c.* 1 : *Si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem fati nomine appellat, sententiam teneat, et linguam corrigat.*

LIBER III.

DE SPIRITIBUS.

240 NOBILIOREM ac sanè iucundissimam Metaphysicæ partem aggredimur. Non iam de rationibus agimus, quæ, licèt mentis ope à materiâ segregatæ, in ipsâ tamen materiâ sæpè reperiantur immersæ : res aggredimur ab omni prorsùs materiâ reipsâ distinctas. Scilicet cùm Metaphysica ab omni semper materiâ abstrahat seu præscindat ; hactenus in rebus *intentiones* quasdam *immateriales* prosecuta est, ut ens et causam ; nunc *res ipsas immateriales* speculatur, nempè Deum et Angelos. Etiam animam nostram ; quamquam huius consideratio ob intimum commercium, quod habet cum corpore, à pluribus ad Physicam transferatur. Unde hæc Metaphysicæ pars in *Psychologiam*, quæ de animâ, et *Theologiam naturalem*, quæ de Deo et Angelis pertractat, distribui solet. Tribus autem quæstionibus hæc omnia complectemur. Agemus itaque 1° de Animâ rationali. 2° de Angelis. 3° de Deo.

QUÆSTIO I.

DE ANIMA RATIONALI.

241 In homine sæpè pro eodem sumuntur anima, animus et mens: dicitur *anima*, quatenus vitæ principium est: *animus*, quatenus ipsâ dolores et voluptates sentimus: *mens* denique, prout vim habet, seu facultatem intelligendi. Nihilominùs si propriè loquamur, *mens* non est ipsa anima, sed ut ait D. Aug. XV. *de Trin.* c. 7. *est aliquid eius*: scilicet ea potentia seu vis, qua intelligit. Unde solùm per synecdochen ipsa anima dicitur mens.

242 *Animo ipso animum videre in homine maximum est*, præclarè ait Cic. *lib. I. Tusc. c.* 22: ut proinde Dicæarchi opinio, cuius meminit ipse Tullius, animum *nomen inane* reputans intimo sensui adversetur, qui principium hoc, quo homo est et intelligit, perspicuè demonstrat. At si nihil est homine dignius, nihil quo magis et à belluis distet, et ad Divinitatem accedat, quàm in eo quod est se ipsum posse cognoscere, penès id quod in ipso nobilius est, scilicet animum; nunquam etiam maioribus difficultatibus irretitur, nunquam in summos errores faciliùs prolabitur, quàm dum solius rationis naturali lumine ductus animi sui provinciam perlustrare aggreditur.

243 Ita sanè experti sunt plures, etiam magni nominis inter recentiores Philosophos, qui opinionum in Scholâ receptarum odio et novandi desiderio correpti, absurdissimis erroribus, aut ab oblivione exsuscitatis, aut etiam de novo adinventis, totam hanc materiam implicarunt. Lokius materiam induxit cogitantem, Leibnitzius harmoniam præstabilitam, Wolfius animas à mundi

exordio creatas et suis organicis corporibus iam inclusas, Malebranchius rerum cognitionem in Deo tamquam in ideâ, cæt. cæt. Nec defuere tamen ex ipsis Recentioribus qui ab ipsis Scholasticis, præcipuè ab eorum Principe D. Thomâ (1) doctrinâ mutuatâ, cuncta hæc portenta validissimè impugnarent.

244 Horum insistentes vestigiis, quæ de animâ nostrâ disseruntur, utpote nobilissimam et gratissimam rem versantes, fusâ oratione lubenti animo persequeremur. At quoniam instituti nostri ratio non tam postulat à verâ Philosophiâ devios revocare, quàm ipsam ingredientes rectâ viâ manuducere, in erroribus impugnandis pauci erimus. Et operæ pretium fecisse existimabimus, dummodò adolescentes nostri suo modo intelligere, probare et exponere valeant: 1 animas in singulis hominibus singulas creari: 2 esse immateriales: 3 immortales: 4 intelligentes ac præterita memorantes: 5 volentes, et liberas: 6 spiriritualibus habitibus nobilitatas: 7 aut corporibus unitas: 8 aut à corporibus separatas.

ART. I.

DE ORIGINE ANIMÆ.

245 De origine animæ fuit olim apud antiquos Philosophos nobilis controversia. Quidam è materiâ educi: alii à parente cum semine in corpusculum prolis traduci: alii è cœlo, vel ab astris, vel nescio quo loco in humana corpora induci: alii demum à Deo creari, et in corpora, cùm primùm generantur, infundi animos defendebant.

---

(1) *Genuensis admonet, Met. P. 3. prop. 14. n. 12. D. Th^m. de incorporalitate, et immortalitate animorum* accuratè prorsùs, et subtilissimè *disputare. P. 2. def. 14. de libertate, et voluntate hominis* cæteris accuratiùs, et solidiùs. *Def. 24. virtutem, contra ac Recentiores soleant,* clarè, perfectè, verè et secundùm essentiam *exponere: eius doctrinâ passim utitur.*

Qua ultimâ sententiâ in pace dominante, controversia penè sopita erat; quousque sæculo 17. à recentioribus Philosophis subtiliter disquirentibus iterum in scenam revocata est, Traducianorum et Inducianorum sectis turbas nimis multas in scholas inducentibus, ut ait Verneius *de Re Met. Lib. I. c.* 4. Nos autem sententiam nostram duabus conclusionibus exponemus.

246 1ª conclusio: [1] *Anima rationalis cum semine non traducitur,* [2] *sed à solo Deo creatur.* Prob. 1ª pars, 1°: Virtus materialis nequit extendere suam actionem ad producendum effectum immaterialem; sed virtus seminis est materialis, ut patet, et anima intellectiva est immaterialis, ut dicemus: ergo. 2°: Licèt anima generantis sit intellectiva, tamen virtus seminis non agit in vi animæ generantis, quatenùs est intellectiva: ergo nequit extendi ad productionem animæ intellectivæ, quæ est in genito. Ant. prob.: Anima quatenùs est intellectiva non utitur corpore; sed semen agit in vi animæ, quatenùs est actus corporis utens ipso corpore in suâ operatione: ergo.

247 2ª pars, quæ etiam ex 1ª colligitur, prob. sic: Anima rationalis debet fieri ex nihilo; sed producere ex nihilo est creare, quod est proprium Dei: ergo. Mai. prob.: Substantia incorporea debet fieri ex nihilo; sed talis est anima, ut dicemus art. seq.: ergo. Mai. prob.: Substantia incorporea nequit fieri ex materiâ corporali, nam sic esset naturæ corporalis; sed deinde non est materia spiritualis, ex qua substantiæ incorporeæ fiant, aliàs essent corruptibiles: ergo. = Dices, animam non per se fieri, sed quasi resultare ex actione producente totum compositum, scilicet totum hominem.

248 Contrà: Anima rationalis nequit resultare ex actione producente aliquid aliud, sed debet fieri per actionem directè terminatam ad ipsam: ergo. Ant. prob.: Quo modo rei competit esse, etiam fieri, nam fieri est via ad esse; sed anima rationalis per se est seu subsistit, id est existit independenter ab alio: ergo etiam per se propriè fit, sicque etc. Min. prob.: Quod per se et independenter ab alio operatur per se est seu subsistit; sed anima rationalis operatur etiam independenter ab omni alio:

ergo. Min. prob. : Licèt anima eliciat aliquas operationes organo corporeo, v. g. sensationem; intellectionem tamen et volitionem elicit absque omni organo corporeo : ergo. Unde anima rationalis est quoddam medium inter formas purè informantes, quæ nil operantur absque materiâ, et formas purè subsistentes, quæ nil operantur dependenter à materiâ; et ut dici solet, est *subsistens incompletè. D. Th.* 1. *p. q.* 118. *a.* 2 : *q.* 90. *a.* 2. : *et q.* 75. *a.* 2.

249 II^a conclusio : [1] *Animæ non fuerunt ab initio mundi creatæ omnes,* [2] *sed cùm fœtus ritè organizatus est singulæ creantur, et ipsi infunduntur.* Prob. 1^a pars : Si animæ essent creatæ ab initio mundi, vel fuissent creatæ sine corpore, vel alicui corpori iam tunc unitæ; sed utrumque repugnat : ergo. Prob. 1^a pars min. : Animæ creatæ sine corpore, vel naturâ suâ exigerent corpori uniri et ipso indigerent, vel non exigerent nec indigerent. Si naturâ exigerent : ergo Deus creans illas sine corpore, creasset sine perfectione ipsis naturaliter debitâ, quod est inconveniens. Si non exigerent : ergo quærènda est ratio cur uniantur; sed hæc non est earum voluntas; nam 1° esset irrationabilis, si non indigens corporis vellet ei uniri. 2° nulla ratio esset, quare huic animæ à principio mundi creatæ post tot tempora voluntas accesserit, ut nunc corpori uniatur : ergo uniri cum corpore esset præter naturam et præter voluntatem animæ, sicque ipsi quodammodò violentum : ergo nasci supplicium foret, non beneficium : sceleratos verò morte plecti, præmium esset, non pœna. *D. Th.* 1. *p. q.* 118. *a.* 3.

250 Prob. 2ª pars min. : Si ab initio mundi animæ fuissent corporibus unitæ, vel Pythagoricâ metempsychosi à corpore in corpus migrarent, vel singulæ fuissent iam inclusæ suis organicis corporibus, quæ fœtuum rudimenta continerent; sed utrumque pugnat : ergo. Prob. 1^a pars min. : 1° cur non recordaremur eorum, quæ in aliis corporibus gesserimus? 2° nimis ridiculum est quamlibet animam quodlibet corpus induere, ut eadem anima nunc in lupo fugiat canes, nunc in cane insectetur lu-

pos, nunc in homine utrosque cognoscat; sed quæ est proportio animæ hominis ad corpus hominis, eadem est animæ huius hominis ad corpus huius hominis: ergo neque ab uno humano corpore ad aliud humanum potest anima transire.

251 3° hinc Pythagorica metempsychosis apparet erronea in Philosophiâ; nam hæc determinatis formis et motoribus assignat determinatas materias et determinata mobilia; sed anima est forma et motrix corporis: ergo. Et etiam hæretica in fide, quæ animam in resurrectione idem corpus resumere prædicat, quod deponit. *D. Th. II. cont. Gent. c.* 44. *n.* 6. *et c.* 83.

252 Prob. nunc animas ab initio mundi non fuisse singulas suis corporibus inclusas. 1° nulla huius præexistentiæ animarum sufficiens ratio, necessitas nulla assignari potest: ergo frustrà statuitur. 2° in hoc systemate omnia organica corpuscula, et omnium hominum animæ debuissent iam esse inclusæ in Adæ aut Evæ corpore. Quis autem hominum præteritorum, præsentium et futurorum innumerum numerum animo contemplans sibi persuadebit in modico unius mulieris aut unius viri membro totidem moleculas organicas animatas, ut ut minutissimas, latitare?

253 3°: Gratis absdubio fingeretur omnes viros et fœminas, qui aut pueri decedentes aut casti viventes nullum filium genuerunt, nullum de facto generare potuisse, et eos etiam, qui aliquos genuerunt, non plures generare potuisse, quàm quos genuerint: ergo ut certum habendum in iis innumeras moleculas suis animabus iam informatas fuisse præcontentas; et eas scilicet, quæ ex ipsis immediatè ortæ fuissent, et eas etiam, quæ continuâ successione usque ad finem mundi emanassent. De hac ergo innumerâ animarum multitudine, quæ omni vitæ exercitio semper orbatæ manebunt, licèt non temerè diceretur aliarum numerum superare, cùm non temerè plures gignere potuerint viri et fœminæ quàm de facto genuerint: de his, inquam, animabus, quid Philosophia dicet, Religio quid decernet? Iure igitur in hac Wolfii opinione eius soliditas et gravitas desideratur.

254 Atque hinc facilè colligitur altera conclusionis pars, scilicet animas singulas creari, et simul corpori infundi, cùm fœtus humanus ita est organis corporeis instructus, ut animam recipere valeat; eaque in ipso aliquam functionem obire. Nam nulla congruens ratio est, ut antè creetur anima, imò plura incommoda, ut diximus: est autem ratio sufficiens ut creetur simulac aliquid in fœtu agere potest, saltem vegetationem. Quando verò id accidat, dicant Medici.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

255 Obi. 1° contra I^{m}: Homo generans hominem producit sibi simile; sed homo est homini similis potiùs quoad animam, quàm quoad corpus: ergo generat animam. ℟. quòd homo generat sibi simile et quantùm ad corpus, et quantùm ad animam, quia generat compositum habens corpus simile et animam similem; generat autem compositum quatenùs unit animam cum corpore, licèt nec producat animam, nec materiam seu corpus. = Contrà: ergo producit compositum: ergo existentiam compositi; sed hæc est eadem existentia animæ: ergo producit existentiam animæ, sicque animam. ℟. dist. 2^{m} cons.: producit existentiam compositi, quantùm ad *esse*, nego; quantùm ad *inesse*, seu unionem, conc. Id est uniens animam corpori facit totum compositum existere per existentiam animæ iam creatam à Deo.

256 Contrà: Generans hominem producit ultimam dispositionem ad animam rationalem; sed producens ultimam dispositionem ad formam, producit formam: ergo. ℟. dist. mai.: ultimam dispositionem ad animam rationalem, quoad eius existentiam, nego; quoad eius unionem cùm corpore, conc. Id est generans hominem ultimò disponit materiam ut ipsi uniatur anima, non autem ut ex ipsâ anima producatur. Si obiciatur illud Genes. 46. ubi animæ dicuntur egressæ ex femore Iacob, dic animas per synecdochem totum hominem significare.

257 Obi. contra II^{m} 1°: Genes. 2. dicitur: *Requievit Deus ab omni opere, quod patrarat*: ergo non quotidie novæ creantur animæ. 2°: Finis rei respondet eius prin-

cipio ; sed anima intellectiva remanet destructo corpore : ergo incepit esse ante corpus. ℟. ad 1^m : Deum die septimo non cessasse à novis individuis condendis, sed à novis rerum generibus et speciebus ; animæ autem, quæ nunc creantur, eiusdem speciei sunt cum animâ Adæ, quæ inter prima opera creata fuit. Unde Universum secundùm numerum specierum ab initio completum et perfectum fuit, licèt in numero individuorum continuè perficiatur. = Ad 2^m dic, quòd animam remanere sine corpore contingit per corporis corruptionem, quæ est ex peccato. Unde non fuit conveniens quod ab hoc inciperent Dei opera. Quia sicut scriptum est *Sap.* 1. Deus mortem non fecit, sed impii manibus et verbis accersierunt eam. Ita D. Th. 1. *p. q.* 118. *a.* 3. *ad* 1. 2 *et* 3.

258 Pro coronide adverte quòd Origenes, ut errorem excluderet, quo plures Antiqui rerum diversitatem ex duobus oppositis principiis repetebant, altero scilicet boni, altero mali ; in novum incidit, et sanæ Philosophiæ, et veræ Religioni perindè adversum. Statuit enim à Deo omnia creata esse æqualia ; ac primò quidem creaturas rationales tantùm, easque omnes æquales. Ex quarum tamen libero arbitrio rerum inæqualitas exorta est, dum earum plures magis vel minùs in Deum conversæ ad diversos Angelorum ordines pro meritorum diversitate promotæ sunt, aliæ tamen magis vel minùs à Deo aversæ pro diversitate peccati diversis corporibus in pœnam alligatæ : ut proindè vel ipsorum corporum diversitas ad liberum rationalium arbitrium consequeretur.

259 Itaque hominum animas ponit sub mundi exordium cum Angelis creatas, dein in supplicium peccati quod admiserant corporibus inclusas. At nimis ridicula est hæc opinatio. 1°: Cur non recordamur anteactæ vitæ et peccati in eâ commissi, præcipuè cùm eam sine corpore transegerimus, atque adeò nunc retineamus totam substantiam, ac omnes potentias quas tunc habuimus? 2° : Si esse in corpore animæ supplicium est ; unde congenitus omnibus mortis horror, longæ vitæ desiderium? 3°: Sanè stulti Principes, qui eos punire arbitrantur,

quos è corporis ergastulo liberant, cet. cet. *D. Th.* 1. *p. q.* 47. *a.* 2. *etc.*

ART. II.

Utrum anima rationalis sit immaterialis?

260 Animæ naturam dignoscere quantùm intersit, is solùm negabit, qui aut de suâ in posterum sorte, aut de præsenti suâ dignitate, nullâ unquam cogitatione tangatur. Nihilominùs quod omnium nervos et lacertos excitare debuit, ut honorem in quo positi sumus pro virili quisque tueretur, nonnullos invenit, qui vel mentis imbecillitate ut Philosophi Gentiles aliqui, vel huius vitæ voluptatibus ut Libertini omnes delusi, vix hominis animam à pecudis animâ distinguunt, in mechanismo materiæ variâ explicatione collocantes. Igitur quocumque modo sic explicare velint, eorum doctrinam evertet hæc

261 Conclusio : *Anima rationalis est substantia spiritualis, seu à materiâ vel corpore diversa.* Prob. 1° quòd sit substantia : Anima non est ipsa cogitatio, sed id quod cogitat; atqui id quod cogitat non est accidens sed substantia : ergo. Min. patet; nam 1° id quod cogitat est cogitationis subiectum, cogitatione enim perficitur et modificatur ; modorum autem seu accidentium subiectum est substantia. 2° id quod cogitat est id quod operatur, scilicet cogitationem ; accidens autem non est id quod operatur, sed ad summum id quo substantia operatur. Prob. ergo mai. 1° : Cogitationes in nobis continuo fluxu mutantur ; sed anima manet eadem : ergo. 2° : Anima in memoriæ receptaculo innumeras habet ideas sibi peculiari modo inhærentes, quas revocare potest, licèt actuali cogitationi præsentes non sint : ergo anima non est ipsa cogitatio, sed cogitationis subiectum, seu id quod cogitat.

262 Prob. nunc animam esse spiritualem, et 1° ex ipsâ intellectione seu cogitatione : Cogitatio seu intellectio non potest esse actio alicuius corporis seu materiæ ; sed est actio animæ rationalis : ergo hæc non est corpus, sed spiritus. Prob. mai. : Si cogitatio esset actio materiæ, vel

esset tota in singulis partibus materiæ, vel partim in unâ et partim in alterâ ; sed neutrum : ergo. Non 1m : aliàs tot essent substantiæ cogitantes, quot partes ; imò si materiæ partes sunt in infinitum divisibiles, essent in nobis infinita entia cogitantia ; quod et ridiculum est, et intimo sensui adversum, quo noscimus unum aliquid simplex in nobis cogitare. Non 2m: nam sectâ in partes cogitatione nemo posset affirmare se aliquid percipere, siquidem unaquæque pars non totum aliquod, sed aliquam dumtaxat totius partem cogitaret ; nec ipsa cogitationum partialium collectio totam rem perciperet, cùm una earum nesciret quid perciperet altera.

263 Dices, non partes cogitare, sed solùm totum. = Contrà 1° : Nihil extenso seu materiæ tribui potest, quod suo modo diversis partibus non tribuatur, ut patet in motu, loco, pondere etc. : ergo si non cogitant partes extensi, neque totum. 2° : Totum extensum solùm partibus addit variam dispositionem, seu variam inter se distantiam, motum, quietem et similia ; sed hæc nil continent, quod ullam possit cogitationem producere : ergo. Adde : Nullum corpus aliquid continet, nisi per commensurationem quantitatis : unde si se toto totum aliquod continet, et partem parte continet, maiorem quidem maiore, minorem autem minore ; sed intellectus non comprehendit rem intellectam per quantitatis commensurationem, cùm se toto intelligat et comprehendat totum et partem, maiora in quantitate et minora : ergo nulla substantia intelligens est corpus, sicque anima rationalis etc. *Ita II. cont. Gent. c. 49. n.* 1.

264 Prob. 2° conclusio ex quibusdam peculiaribus intellectionibus. 1° : Si anima esset corporea non intelligeret nisi corpora ; sed intelligit spiritualia ut Deum et Angelos : ergo. Mai. prob. : Nihil agit supra suam speciem, nisi ut instrumentum : ergo. Ita D. Th. ib. n. 4. = 2° : Non intelligeret nisi particularia seu formas individuatas ; sed intelligit universalia seu rationes abstractas : ergo. Mai. prob. : Non posset intelligere nisi per formas omninò individuatas : ergo. Ant. prob. : Mens intelligit per formas, quas in se habet, ut patet ; sed si esset

corporea solùm reciperet seu haberet formas individuatas: ergo. Min. prob.: Forma non nisi individuata recipi potest in corpore: ergo. Ant. prob.: Quod recipitur in corpore seu extenso, recipitur in eo secundùm extensionem seu quantitatis divisionem; sed ab hac oritur formarum individuatio (n. 125): ergo. 3°: Non posset supra se aut proprios actus reflectere, sicut nec ipsam visionem cernimus, nec audimus auditum, nec ipse olfactus olet, etc. (ibid. n. 7). 4° nec unum alteri comparare, possibilia et impossibilia, seu ipsas entium negationes attingere, cæt. cæt.

265 Præclarè igitur Cic. I. Tuscul. quæst. c. 10. ait: *Arist. cùm quatuor nota illa genera principiorum* (nempè elementa) *esset complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quamdam naturam censet esse, è qua sit mens. Cogitare enim, et providere, et discere, et docere, et invenire aliquid, et tam multa alia meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari; hæc et similia eorum in horum quatuor generum nullo inesse putat.* Et c. 27: *Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terrâ natum, atque fictum esse videatur. Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis cogitationis habeat, quod et præterita teneat, et futura provideat, et complecti possit præsentia.*

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

266 Obi. 1°: Plures antiqui Philosophi Christiani hominis animam, imò et Angelos corporeos admiserunt: ergo anima nostra non est spiritualis. ℟. passim Antiquos nomine *corpus* Stoicorum more non nisi substantiam intellexisse (*Log. Inst. n.* 165). Quòd si aliqui, ut de Tertuliano multi opinantur, animam subtilissimâ quadam materiâ constantem crediderunt, in hoc sanè errarunt; quorum error iis temporibus excusatione ac veniâ dignus erat. Nunc autem, quando rationes, quibus animæ spiritualitas demonstratur, in tam clarâ luce positæ sunt, illam velle materialem esset in Philosophiâ temerarium;

imò et in fide periculosum, cùm contrà pugnet concors omnium Theologorum sententia, et concilium Lateran. magnum in Confessione fidei hæc profiteatur: *Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam corporalem et spiritualem, angelicam scilicet et mundanam. Deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.*

267 Obi. 2°: Ut in Concilio Viennensi definitum est, *Anima rationalis est forma substantialis corporis,* sicque est corporis perfectio; sed perfectio corporis debet esse aliquid corporeum: ergo. Adde, quòd in homine anima rationalis est prima radix quantitatis, et aliarum affectionum corporearum: ergo debet ipsa esse corporea. ℟. dist. min.: perfectio corporis debet esse aliquod corporeum seu corpore nobilius, conc.; determinatè corporeum, nego. Nihil enim prohibet, minùs perfectum ab aliquo perfectiori perfici. Unde anima rationalis, formis omnibus corporeis longè sublimior, in suâ entitate eminenter continet omnem actualitatem, seu perfectionem formæ corporeæ; sicque dum materiam informat, potest et ipsam perficere, et ipsi præstare seu in ipsâ radicare quantitatem et omnes affectiones corporeas, quas forma corporea si adesset.

268 Contrà: Anima ita corpus informat, ut sit ipsa corporea: ergo ruit solutio. Ant. prob.: Anima ita corpus informat, ut à corpore in operando pendeat; nam vel ipsa vis cogitandi ita à cerebro pendet et patitur, ut læso cerebro aut non cogitemus omninò, aut pravè, ut in paralysi, lethargo, ebrietate, amentiâ; sed à corpore pendere cum spiritûs nobilitate pugnat: ergo. ℟. dist. mai.: anima pendet à corpore, ut ab instrumento, conc.; ut ab agente principali, nego mai. et min. in sensu dist. Nam volens Deus hominem ex animâ et corpore constare, disposuit ut corpus esset animæ instrumentum; ut anima nullum haberet obiectum sibi præsens, nisi ope sensuum corporeorum; imò ut ad motum animæ alius in corpore consequeretur, et vicissim in animâ ex motu corporis. Atque hinc oritur quòd vis intelligendi, eadem omninò in se manens, ex varietate instrumentorum seu or-

ganorum corporis videatur turbari in amente, perire in lethargo, sicut crescere in iuvene, debilitari in sene, omninò extingui in dormiente.

269 Contrà: Ex solutione sequitur animam esse nunc veluti intra corpus occlusam, sine cuius ministerio operari non potest; ita ut si separaretur ab illo perfectiùs intelligeret; sed hoc est falsum: ergo. Min. patet; nam si ita esset, animæ lubenter è corpore exirent, cùm contrarium experiamur. Mai. verò prob.: Anima separata à corpore intelligeret per species magis universales, ex influentiâ scilicet Divini luminis participatas; cùm corpori unita solùm intelligat dependenter à phantasmatibus; sed ille modus intelligendi est longè perfectior isto: ergo. ℟. dist. 2^{m} min.: ille modus intelligendi est perfectior absolutè, conc.; respectu animæ nostræ, nego.

270 Nam animæ nostræ utpote infimæ inter substantias intellectuales est magis proportionatus infimus modus intelligendi; scilicet per species minùs universales, quales sunt desumptæ à phantasmatibus seu rebus sensibilibus. Et hinc anima naturaliter refugit exire à corpore, quòd in ipso perfectiùs cognoscit. At de his iterum art. 4. § 1. *Perfectiùs*, inquam, si loquamur de lumine naturali animæ separatæ, non autem si de lumine gloriæ. Unde qui lumine gloriæ illustrari firmè sperant, cum D. Paulo mori seu dissolvi cupiunt.

271 Obi. 3°: Sine ratione negatur Deum creare posse materiam cogitantem: ergo ex cogitatione animæ non colligitur esse immaterialem. Ant. prob.: Sine ratione negatur Deum creare posse materiam cogitantem, nisi omnes possibiles materiæ modos cognoscamus; sed non cognoscimus: ergo. ℟. nego mai.; nam licèt non omnes materiæ modificationes cognoscamus, tamen certò scimus ipsi convenire non posse modos contradictorios, quales ipsi convenirent si cogitaret, ut patet ex dictis. = Contrà: Animæ brutorum cogitant; sed sunt materiales: ergo. ℟. Brutorum animas nec cognoscere immaterialia, nec universalia, nec supra proprios actus reflectere; et hæ sunt cognitiones, quæ in doctrinâ D. Th. animæ immateria-

litatem præcipuè demonstrant (1). An autem quædam cognitio et spiritualitas brutis conveniat, videatur in Physicis.

272 Obi. 4° contra 2^m rationem n. 264: Forma seu idea, quæ huic intellectui repræsentat universale, v. g. lapidem in communi, est individua et numeraliter distincta à simili formâ, quæ idem universale repræsentat alteri intellectui, et tamen per ipsam intellectus intelligit universale: ergo intellectio fieri potest per formas individuatas, sicque etiam in materiâ. ℟. quòd licèt forma seu idea lapidis in communi *in ordine intelligibilium* sit quoddam accidens singulare, cùm omne accidens individuetur à subiecto in quo est; tamen *in ordine materialium* seu in suâ ratione non est aliquid singulare; non enim est forma huius vel illius lapidis, seu non est hic aut ille lapis, nec à particularibus lapidibus differt, ut unus lapis ab alio, sed ut natura universaliter sumpta à suis singularibus: unde forma lapidis, quæ est in intellectu, in suâ ratione seu in esse naturæ lapidis, est aliquid universale et illimitatum.

273 Si tamen intellectus esset corpus, tunc forma lapidis, quæ esset in intellectu, esset omninò individuata: sicut nunc est forma huius lapidis; nam tunc intellectus, utpote corpus seu extensum, non reciperet nisi secundùm quantitatis divisionem seu individualiter, sicut paries v. g. dum recipit albedinem, eam recipit non in communi sed omninò individuatam. Unde sicut paries nequit simul recipere nisi unam albedinem; ita mens non posset simul percipere nisi unum lapidem, seu non posset attingere universale. D. Th. II. c. Gent. c. 49. n. 3. et Ferrar. ib.

---

(1) *Vide II. cont. Gent. c. 49. 65. 67 et 82, et 1. p. q. 75. a. 1. et 2. ubi, et item alibi, plura alia sunt argumenta, quibus animæ nostræ immaterialitas, et ab animabus brutorum summa distinctio demonstratur.*

ART. III.

Utrum anima rationalis sit immortalis?

274 Prænotandum est immortalitatem esse perpetuam entis viventis durationem; *viventis*, inquam, cuius solius destructio dicitur mors. Et hinc immortalitas perfecta soli Deo convenit, cùm solus ipse ita necessariò existat, ut nec ex se nec ab extrinsecâ potentiâ destrui possit. Angeli tamen dicuntur minùs propriè, seu minùs perfectè immortales, quia licèt Divinâ virtute destrui possint, non possunt tamen nec ex suis intrinsecis corrumpi, nec ab agente creato destrui; imò naturâ suâ exigunt permanentiam. Et in hoc sensu quæritur, utrum anima rationalis sit immortalis?

275 1ª conclusio: *Anima rationalis est incorruptibilis.* Prob. 1°: Nihil corrumpi potest nisi componatur ex partibus dissolubilibus, saltem materiâ et forma; sed anima est simplex, utpote immaterialis, ut diximus: ergo. Mai. patet; nam corruptio fit quatenùs materia transit ab uno esse ad aliud, seu quatenùs dissoluto nodo, quo rei partes simul vinciebantur, à se invicem dividuntur et separantur *(D. Th. II. cont. Gent. c.* 55. *n.* 1.*)*.

276 Hoc argumentum Cicero evidentissimum esse putat, I. Tuscul. quæst. c. 29. *In animi autem cognitione*, inquit, *dubitare non possumus, nisi planè in physicis plumbei simus, quin nihil sit animus admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cùm ita sit, certè nec secerni, nec distrahi potest: nec interire igitur. Est enim interitus, quasi discessus, et secretio, ac diremptus earum partium, quæ ante interitum iunctione aliquâ tenebantur.* 2° pr.: Corruptio ab annihilatione differt, quòd in hac res omninò perit, in illâ verò aliquid rei manet; sed si anima destruetur, nil eius remaneret, cùm sit omninò simplex: ergo corrumpi non potest *(D. Th. ib. n.* 3*)*.

277 3°: Quod corrumpitur *passione* corrumpitur, idest actione eorum quæ recipit; sed animal nil recipit quod

ipsam corrumpere possit: ergo. Min. prob.: Anima solùm recipit aliquid intelligibiliter; nam corporeum in incorporeo ut est anima recipi nequit; sed quod intelligibiliter recipitur in animâ eam non corrumpit, imò perficit, cùm intelligibile sit perfectio intelligentis: ergo (*D. Th. ib. n.* 8). 4° : Anima generari non potest: ergo neque corrumpi (*ib. n.* 13). Unde anima, utpote simplex et immaterialis, sicut non nisi ex nihilo produci, ita non nisi annihilatione perire potest, sicque à solo Deo; nam agens creatum sicut de nihilo gignere, ita in nihilum aliquid reducere nequit.

278 II[a] conclusio: *Deum nec in morte hominis nec posteà subtrahere generalem concursum, quo animam conservat, seu nunquam annihilare animam, et Religio docet, et ratio demonstrat: unde anima nostra dicenda est immortalis.* Quod ad Religionem attinet animorum immortalitas, sicut existentia Dei, non tam fidei veritates quàm totius fidei primaria fundamenta sunt. Corruat enim omnis Religio necesse est, nisi illa duo solidè constituantur, Deum scilicet esse hominis et principium et finem, atque adeò procuratorem; esseque item animorum perpetuam vitam, in qua remunerator Deus sit inquirentium se. At de his fusiùs Theologi; nos ex naturæ rationibus præcipuas seligemus.

279 I[a]: Substantia spiritualis semel condita non est deterioris conditionis, quàm substantia corporea; sed corpora semel creata Deus non annihilat: ergo nec substantias spirituales; sed hæ solâ annihilatione perire possunt (*n.* 276): ergo nunquam pereunt. Ita ex præstantiâ mentis humanæ evidenter cognitâ, præsuppositâ Dei bonitate, etiam certò et evidenter cognitâ, ex eo quòd in corpore evidenter cognoscimus, non minùs certò et evidenter colligimus, animas à Deo non destrui. Si enim Deus ita conservat corpora omnia, ut nulla materiæ pars in nihilum redacta sit, quomodò fieri posset, ut Conditor optimus mentem humanam, cuius officium est Deo vivere, et finis propter ipsum Deum vivere, destrueret et æternùm annihilaret?

280 II[a], quæ est D. Chrysostomi, Hom. 4. *de Provid.*

et Fato: Si anima in morte periret, seu esset mortalis, non esset Deus; sed Deum esse creaturæ clamitant: ergo. Mai. prob.: Si Deus est, iustus est; sed non esset iustus, si anima esset mortalis: ergo. Min. prob.: Si anima est mortalis, post mortem nec merces est nec supplicium; sed tunc Deus non est iustus: ergo. Min. prob.: Sæpè iusti moriuntur iniuriis affecti, et improbi rerum omnium abundantiâ potiti; sed iustitia exigit ut mali puniantur, et tribuantur præmia bonis: ergo si post mortem etc. etc. Unde qui negant animos esse immortales, necessariò confitebuntur neque Deum esse; nisi Deum aut cæcum, aut imbecillum, aut iniquum habeant: cæcum, qui suos non videat: imbecillum, qui dare præmia non possit: iniquum, qui nolit. *Hoc argumentum ex Platone et Cicerone desumptum pro more suo eleganter prosequitur Cano*, Lib. XII. c. 1.

281 III^{a}: Communis omnium nationum sensus naturæ lex est, cui refragari non sine summâ proterviâ potest; sed omnes nationes animos credunt immortales: ergo sunt. Min. patet; nam omnium populorum, ætatum omnium religio inferos timere docet et colere; imò apud maximè barbaras nationes sepulturæ honor tribuitur hominibus, negatur brutis. Seneca Epist. 117: *Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri. Cùm de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium.* Hoc argumentum fusè prosequitur Cic. *I. Tuscul. c.* 14. *et* 15.

282 IV^{a}: Quæ desideria sunt naturalia entibus inania esse non possunt, cùm nil frustrà Deus naturæ auctor operetur; sed hominis anima naturaliter exigit esse perpetuam seu nunquam perire: ergo. Min. prob. 1°: Anima naturali desiderio exigit esse beatam, et aliunde, ad differentiam belluarum, apprehendit seu cognoscit esse perpetuum; sed qui hoc esse cognoscit debet illud appetere ut sit beatus: ergo. Min. patet; nam beatitudo seu felicitas omnem possibilem durationem exigit. 2°: Anima hominis, ad differentiam belluarum, curam habet de rebus post obitum suum futuris; rerum ab ipsâ gestarum

æternam memoriam manere desiderat; æterni nominis cupidissima est: ergo æternitatem appetit: ergo dicendum cum Tullio I. Tusc. c. 14: *Naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam iudicare, quod nempè omnibus curæ sunt et maximè quidem quæ post mortem futura sunt.*

283 3°: Forma per se subsistens naturaliter appetit semper esse; sed talis est anima: ergo. Prob. præmissæ, et primò mai.: Forma subsistens dicitur, quæ ut sit seu existat non eget materiâ sustinente, sed ipsa sibi sufficiens est ut existat: ergo in natura suâ habet sufficientem rationem ut sit, sicque ex naturâ suâ appetit esse. Prob. nunc min.: Anima non eget materiâ ut sit: ergo est per se subsistens. Ant. prob.: Non eget materiâ ut operetur, scilicet ut intelligat: ergo neque ut sit, nam operari sequitur ad esse. Ant. prob.: Intellectio nec recipitur in corpore nec fit per corpus: ergo. = Atque hinc colliges animam naturaliter esse immortalem et non ex dono gratuito; quod inde etiam apparet, quòd animorum immortalitatem Plato, Cicero, Seneca, aliique Philosophi ratione duce cognoverunt; cùm tamen dona supernaturalia non nisi revelatione innotescant.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

284 Obi. 1° contra I^m: Anima rationalis est forma naturalis corporis; sed forma corporis corrumpitur dum deficit corpus: ergo. ℟. dist. mai.: est forma per se subsistens, conc.; non subsistens per se, sed dependenter à materiâ quam informat, nego mai. et similiter dist^a min. nego cons^m. = Contrà: Anima non producitur nisi dependenter à corpore: ergo non est forma subsistens. Ant. prob.: Anima non producitur nisi cùm corpus ritè organizatum est: ergo. ℟. dist. 1^m ant.: dependenter à corpore tamquam ab occasione, conc.; tamquam à causâ influente in eius esse, nego.

285 Itaque materia quodammodò influit in esse aliarum formarum, quæ ex ipsâ educuntur, et non existunt per existentiam propriam, sed per existentiam totius; unde corrupto toto, ipsæ quoque pereunt, v. g. mortuo

leone perit eius anima. At anima rationalis eatenus solùm à materiâ seu corpore pendet, quatenus solùm dum corpus organizatum est, Deus creat animam, ut ex ipsâ et corpore fiat homo; sed quia anima habet esse sibi proprium, etiam mortuo homine ipsa non perit.

286 Contrà : Anima rationalis operari non potest sine corpore : ergo nec esse ; nam nil operans frustrà esset. Ant. prob. : Anima nec cognoscere potest sine corpore : ergo. Ant. prob. : Anima cognoscere non potest nisi habeat cognitionis obiecta seu species ; sed has habet per corpus, scilicet per sensus : ergo. ℟. dist. min. : has habet per sensus dum est corpori coniuncta, conc. ; dum à corpore separata, nego. Anima igitur dum corpori unita nullam speciem à Deo inditam naturaliter habet, sed omnes per sensus seu organa corporea adquirit. Unde anima dum corpori unita pendet in cognoscendo ab organis corporis ; non quòd in ipsis cognitio recipiatur aut per ipsa fiat, sed quòd per ipsa adquirat anima suæ cognitionis obiectum. Anima autem à corpore separata absque sensuum organis obiecta percipiet : vel per species novas à Deo inditas, vel per eas quæ ipsi ex hac vitâ remanebunt.

287 Obi. 2° contra II^{m} : Quod oritur et incipit interire ac finiri necesse est ; sed anima rationalis aliquando incipit : ergo aliquando desinit. ℟. dist. mai. : si producatur à causis defectibilibus, conc. ; si à causâ indefectibili, nego. Quæ enim oriuntur intereunt subtracto causæ suæ influxu ; nam si permaneret, et ipsa in æternum permanerent. Porrò anima rationalis non fit nec pendet à causâ corporeâ mutabili, sed creatur à Deo ; Deus autem res à se creatas conservat, non in nihilum redigit.

288 Obi. 3° : Anima rationalis innumeris mutationibus obnoxia est ; sed omnis mutatio viam parat ad interitum : ergo naturaliter interibit. ℟. dist. mai. : mutationibus accidentalibus, conc. ; substantialibus, nego. Nam vel amet vel odio habeat, vel lætetur vel tristetur, semper eius substantia eadem omninò immutata remanet. = Contrà : Saltem sunt in animâ accidentia contraria, ut amor et odium ; sed contrarietas accidentium tandem destruit

subiectum, ut patet in calore et frigore: ergo. ℟. dist. min.: contrarietas accidentium importantium divisionem seu mutationem aliquam in partibus subiecti, conc.; aliter, nego. Nam cùm anima partibus careat, licèt volitiones et nolitiones, amor et odium, et alia accidentia contraria sibi invicem succedant, ipsa tamen penès suam substantiam immutata remanet. Contrà verò accidit in subiecto corporeo accidentium contrariorum (1).

ART. IV.

DE INTELLECTU ET MEMORIA.

289 Prænotandum est 1° animam rationalem esse primum principium operationum omnium quas homo elicit, earum præcipuè quibus verum intelligit, et bonum vult. Quia tamen, ut à n. 177. probavimus, nulla substantia est immediatè operativa, ideò anima non est ipsa sua potentia, sed plures potentias habet à suâ essentiâ reapse distinctas, inter quas præcipuum locum habet intellectus et voluntas. De his nunc agemus, quoniam substantiæ immaterialis sunt propriæ, et sine organo corporeo exercentur; nam cæteras, cùm etiam belluis conveniant, et in homine corpori etiam subiiciantur, Physicorum examini relinquimus.

290 Prænotandum est 2° quòd intellectus definiri solet: *Potentia seu facultas perceptiva veritatis seu entis sub ratione veri.* Et prout varia percipit, varia nomina sortitur. Nam 1° dicitur *speculativus* prout in rerum contemplatione sistit; *practicus* verò dum cognoscendo dirigit voluntatem et alias potentias in suis actibus. 2° dicitur *ratio superior*, quatenùs res Divinas considerat, et per eas de humanis iudicat; et *ratio inferior* cùm contrà humanis attendit, ac ex iis ad Divina assurgit. 3° di-

---

(1) *Vid. D. Th. II. cont. Gent. c.* 55. 79. 80. 81, *ubi et animæ immortalitatem pluribus aliis argumentis comprobat, et à contrariis vindicat.*

citur *intelligentia* prout maximè perspicua contemplatur; *ratio* verò seu *discursus*, cùm ex perspicuis ignota colligit seu infert.

291 Prænotandum est 3° operationes intellectûs, ut diximus in *Log.* ad tres reduci, scilicet apprehensionem seu perceptionem, iudicium et discursum. Quarum naturam nunc breviter expendimus. *Perceptio* neque motus est organorum sensoriorum et cerebri, neque dispositio ulla materiæ, n. 262, nec cum sensationibus confundenda; cùm sine corporeo organo fiat et ad incorporalia et universalia feratur, quò non pertingunt sensationes; sed est veaa mentis actio, qua *efficimur intelligentes in actu*, ut ait S. Th. 1. p. q. 79. a. 2. Deinde *iudicium* etsi applicativè sit à voluntate, quatenùs hæc intellectum movet ad iudicandum; elicitivè tamen est ab intellectu verum cognoscente, vel componendo cùm affirmat, vel dividendo cùm negat.

292 Est ergo iudicium actus intellectûs, et quidem simplex; non enim fertur ad plura obiecta, cùm intellectus non possit simul plura intelligere, sed ad unum. Quæcumque enim per unam speciem intelligibilem cognosci possunt, cognoscuntur ut unum intelligibile, et ideò simul cognoscuntur; quæ verò per diversas species intelligibiles cognoscuntur, ut diversa intelligibilia capiuntur. Iam verò ut explicat S. Th. 1. p. q. 85. a. 4. *quando intellectus intelligit differentiam vel comparationem unius ad alterum, cognoscit utrumque differentium vel comparatorum sub ratione ipsius comparationis vel differentiæ, sicut cognoscit partes sub ratione totius.* Et sic intellectus noster simul intelligit subiectum et prædicatum, prout sunt partes unius propositionis; et duo comparata, secundùm quod conveniunt in unâ comparatione.

293 *Discursus* autem plures mentis actus complectitur, quatenùs intellectus ab uno in alium discurrit seu progreditur. Quod hominis proprium est, et ideò *rationalis* dicitur seu *discursivus*. Nam intellectus angelicus et Divinus statim perfectè totam rei cognitionem habet. Unde in cognoscendo quidditatem, cognoscit de re simul quidquid nos cognoscere possumus componendo, et dividendo, et ratiocinando. Et ideò intellectus Divinus

et angelicus cognoscunt quidem compositionem, et divisionem, et ratiocinationem, non componendo, et dividendo, et ratiocinando; sed per intellectum simplicis quidditatis. *D. Th. ibid. a.* 5. His expositis ad percipiendi modum oportet accedere.

295 In tantâ autem systematum varietate, quibus rationem seu modum, quo mens nostra res percipit, Philosophi exponere conati sunt; hunc nos ordinem servabimus, ut primò sententiam nostram exponamus, deinde præcipua eius fundamenta contra adversariorum impetus sat firma consistere propugnemus; aliorum systemata non nisi obiter attingentes. Quamquam in hac disputatione, sicut in omnibus valdè abstrusis, longè facilius sit aliorum impugnare sententias, quàm propriam stabilire.

296 Itaque mens nostra rem percipit simulac ipsius rei similitudo, quæ species seu idea dici solet, ipsi actu obiicitur. At unde hæc species, seu similitudo? Est ne ipsi innata, seu à Deo cum mente in mente condita? Aut est ipsa Dei essentia rerum omnium similitudinem continens, et humanæ menti sese ostendens? Ita censent aliqui; nos sensuum ope hanc speciem ad mentem devenire iudicamus. Res enim sese óbiicit sensui, seu ad sensum mittit sui ipsius similitudinem quamdam. Huius ope phantasia novam et permanentem format rei speciem seu similitudinem, quæ vocatur *phantasma.*

297 Phantasma obiicitur intellectui, qui eius ope novam rei similitudinem efficit, quæ sit immaterialis, sicque proportionata ipsi intellectui, qui immaterialis est; phantasma etenim seu species phantasiæ est materialis. Hac ergo immateriali specie intellectus rem percipit, seu suum actum aut intellectionem elicit. Et hic actus duo importat, scilicet contemplationem seu cognitionem obiecti, et eiusdem obiecti expressionem quamdam seu speciem expressam. Hoc est, sicut dum loquimur ore verbum exprimimus; ita dum cognoscimus, ipsum obiectum quasi mente exprimimus. Est enim *intelligere* quasi *intus legere;* cum hac tamen differentiâ, quòd expressio seu verbum oris dum legimus statim perit; at expressio seu verbum mentis manet in mente.

297 Ex quibus advertas 1° hoc nomine *intellectus* duplicem significari potentiam : alteram, quæ ex phantasmate format speciem immaterialem, et dicitur *intellectus agens ;* alteram, quæ res ipsas intelligit seu percipit, et dicitur intellectus *patibilis*, aut *possibilis*. *Patibilis* inquam ; non quòd nil agat ; elicit enim actum quo res percipitur, et fit species expressa ; sed quòd antequam agat, ab intellectu agente recipiat speciem, qua fit intelligens actu ; omnis autem receptio latè dicitur passio : et cùm nullam in seipso determinatam speciem habeat, sed ad omnes sit in potentiâ, ideò intellectus *possibilis* etiam appellatur. Advertas 2° duplex esse in intellectu specierum genus : *impressarum* scilicet seu quæ ab intellectu agente fiunt, et patibili quasi imprimuntur ; et *expressarum* seu quæ ipsâ perceptione exprimuntur seu fiunt, et dicuntur etiam *verbum mentis.*

298 Advertas 3° hoc esse discrimen inter *speciem impressam*, et *phantasma*, quòd istud rem obiicit seu repræsentat individuatam seu in singulari ; hoc est phantasma solùm repræsentat hunc hominem, hunc lapidem, hunc colorem, hunc sonum, cæt. ; contrà verò species impressa rem obiicit seu repræsentat in universali, hoc est repræsentat hominem, lapidem, colorem, abstrahendo seu non repræsentando conditiones individuantes, quæ comprehendi solent his duobus nominibus *hìc* et *nunc*. Quia tamen species impressa ad instar phantasmatis effecta est, ideò non repræsentat directè nisi eas naturas universales quas phantasma repræsentat in singulari, scilicet naturas materiales ; atque hinc

299 Advertas 4° plurium rerum esse speciem expressam seu verbum, quarum non est species impressa. Nam hæc solùm est universalium materialium ; at expressa et est immaterialium, et est etiam singularium. Intellectus enim patibilis in unâ specie impressâ plura indirectè seu reflexè cognoscit, ut rationem effectûs, et hinc primæ causæ, finis, entis, cæt., imò etiam res singulares ; omnia autem quæ cognoscit cognoscendo exprimit, sicque omnium facit species expressas. Conveniunt tamen species impressa et expressa, quòd utraque est qualitas quædam

spiritualis repræsentans obiectum, seu formalis obiecti similitudo: utraque dici solet *esse ipsum obiectum;* non in esse naturali et entitativo, sed in esse repræsentativo et intentionali: utraque demum qualitas permanens est; et hinc intellectus, prout in ipso hæ species servantur seu permanent, dicitur *memoria.*

300 Hæc est Scholasticorum in hac re sententia. At in illâ plura recentiores Philosophi passim reprehendunt. 1° ab ipso obiecto rerum similitudines seu species ad sensus devenire et hinc ad phantasiam. 2° ipsius mentis species à sensibilibus ortum ducere. 3° præter intellectum percipientem seu patibilem poni alium, nempè agentem, atque item duplicem speciem seu similitudinem, impressam scilicet et expressam. Tandem in harum specierum conservatione sitam esse memoriam. Atque illud primum Physicorum est, cætera tribus nunc paragraphis constituemus.

§ I.

Unde oriantur species quibus mens cognoscit?

301 Prænotandum 1° quas nos *species* dicimus à recentioribus Philosophis vocari *ideas;* quamquam non eadem sit apud ipsos huius nominis significatio, ut observat Piquerius, *Log.* lib. 1. c. 3. Neque sufficiens assignari potest vocabuli *species* ablegandi ratio, cùm ipse Cic. *Acad.* I. c. 8. admoneat: *Quam Græci ideam appellant, iam à Platone ita nominatam, nos rectè speciem possumus dicere.* Apud Scholasticos tamen etiam vox *idea* quandoque legitur. Non quidem ad quamlibet rerum speciem seu similitudinem significandam; sed cùm suas ideas Plato rerum causas poneret, nomen idea iis similitudinibus aut exemplaribus aptarunt, quibus res facienda repræsentatur: sic in mente artificis exemplar domûs faciendæ vocatur *idea*, et in Deo, rerum omnium causâ, rerum omnium *ideæ* sunt. Prænotandum 2° *speciei* nomine intelligi formam seu imaginem rei cuiusvis sive existentis sive possibilis, cuius ope res cognoscitur.

302 Prænotandum est 3°, huiusmodi speciem, vel si

mavis ideam appellari *claram*, si res, quæ per eam repræsentatur, statim menti fiat nota; *distinctam,* si omnia repræsentet, quæ ad obiecti pertinent constitutionem: sin autem res per speciem repræsentata non statim menti fiat nota, idea dicitur *obscura*, et si idea repræsentet aliquid, in quo plura continentur, quin per eam habeatur notitia uniuscuiusque eorum quæ continentur in illâ, vocatur *confusa.* Si idea unicam repræsentet essentiam, dicitur *simplex* aut *incomplexa;* si plures, *composita* aut *complexa* vocitatur. Idea *completa* dicitur illa quæ repræsentat totum; idea autem *incompleta* ea, quæ repræsentat partem dumtaxat aliquam totius. Tandem si ideæ inter se diversæ aliquo ordine uniantur, dicuntur *associatæ.*

303 Prænotandum est 4° quòd si res ipsa non est in intellectu (sicut Dei essentia est in mentibus Beatorum) *nequit res percipi, nisi eius species in intellectu sit.* Prob. ex discrimine inter actionem immanentem et transeuntem. Nam huius obiectum seu materia est extra agens, sicut lignum calefactum est extra ignem calefacientem. In immanenti verò ut ait D. Th. 1. p. q. 56. a. 1. quoniam totum in ipso agente agitur, obiectum debet esse in agente; aliàs actio immanens esset in distans; sed cognitio est actio immanens; non enim fit extra nos sed in nobis: ergo obiectum cognitum debet esse in ipso cognoscente seu in intellectu: ergo quando obiecta, prout in se sunt, non sunt in intellectu sicut obiecta materialia, debent saltem in ipso esse obiectorum formæ seu similitudines, quæ eorum vices gerant, et ea repræsentent. Et hinc etiam liquet, has formas seu species quarum originem indagamus, distingui à perceptionibus, sicut obiectum ab actu, quo attingitur.

304 Prænotandum 5° fuisse Cartesianos qui contenderint, animam et in profundo lethargo, et in matris utero perenniter cogitare, imò ne existere posse quin actu cogitet. Hoc verò communi omnium sensui adeò adversum paradoxum, qua putas ratione confirmant? Audi et obstupesce. Animæ essentia, inquiunt, in actuali cogitatione sita est; sed nequit animæ sua deficere essentia: ergo nec actualis cogitatio. Bellè quidem; sed cùm essen-

tiam animæ in actuali cogitatione esse positam, et cùm evidenti ratione pugnet (n. 261), et absque ullo probabili argumento omninò temerè sumatur, consequens est corruere totum illud Cartesianorum argumentum.

304 Reponunt tamen: sin minùs cogitatio est essentiale attributum animæ, imò unicum, nil enim in animâ præter cogitationem intelligimus; sed sicut esse nequit ens sine suâ essentiâ, ita esse nequit sine suo attributo essentiali præcipuè dum unicum est: ergo hinc etiam conficitur animam sine actuali cogitatione non posse subsistere. Quid? Ignorant ne Peripatetici, eam esse spirituum activitatem ac simplicitatem, ut in ipsis *agere* et *esse* idem omninò sit? ergo cùm anima sit spiritus, dum est semper agit, sicque semper cogitat. Hæc Cartesiani.

305 Cæterùm rationis expers, nedum Philosophiæ omninò ignarus sit oportet, qui agendi vim cum ipsâ actione, seu actum cum potentiâ confundat. Iis verò distinctis facilè colliget *cogitandi vim* seu potentiam esse quidem animæ nostræ essentiale attributum, sine quo anima subsistere nequeat; ipsam verò actualem cogitationem esse perfectionem accidentariam, quæ sicut in animâ perpetuò mutatur, immutatâ animâ, ita hac subsistente, possit omninò deficere. Nisi velis nos constanter in actuali admiratione stupere, quoniam esse admirativum est hominis attributum; aut etiam in mediis tenebris clausis oculis adhuc aliquid cernere, quoniam esse visivum seu videre est proprietas animalis.

307 *At præter actualem cogitationem, nihil in animâ intelligimus.* Insigne sanè delirium, nisi hæc verba ignotâ quadam acceptione sumantur. Ut enim vires omittamus, quas in corpore exercere animam sumus posteà demonstraturi, an ne animæ vis seu potentia servans ideas priùs cognitorum, cuius ope iterum cogitemus quæ priùs noveramus, erit unicè actualis cogitationis modificatio, et non potiùs aliquid ipsam præcedens? An ne illa vis, qua Deum amore, peccatum odio prosequimur, illa vis, qua eandem rem nunc complectimur, nunc detestamur; uno verbo, memoria, voluntas, libertas nil aliud

erunt, quàm eiusdem operis, eiusdem actûs, eiusdem, inquam, actualis cogitationis modificationes variæ?

308 Huc accedit quòd qui actualem cogitationem intelligit, intelligat quoque oportet esse cogitantem, seu esse subiectum aliquod cogitationem causans et recipiens: ergo ut ignotæ forent dotes ac qualitates huius subiecti, evidentissimum tamen est distingui in animâ cogitationem et cogitationis subiectum, quod proindè sine actuali cogitatione subsistere possit, et in quo essentia animæ consistat.

309 Quod de *spirituum activitate ac simplicitate* additur, facilè corruit, si fundatissima in hac re Aristotelicorum doctrina præ oculis habeatur. Itaque magnam activitatem ac simplicitatem spiritui omni concedimus; at summam activitatem ac simplicitatem, qua *agere* et *esse* idem omninò sint, tantùm in spiritu infinito, in acto purissimo, in solo Deo cognoscimus. Quamquam verò in creatis spiritibus utpote finitis substantia agens ab ipsâ actione distincta sit ac separabilis, ut proindè cum solâ agendi vi, nil actu agens subsistere possit: nihilominùs spiritus omnes reipsâ semper agere non negamus, scilicet spiritus ab opere cessare possunt; at nunquam cessant.

310 Hinc in Angelis et animabus separatis, cùm solùm intellectu ac voluntate agant, perennis cogitatio est: at anima dum corpori unita pluribus aliis potentiis, tum vegetativis, tum sensitivis operatur; cùm motus omnes, qui in corpore indesinenter fiunt, ab animâ rationali sint, ut posteà ostendemus. Unde licèt semper agat, non tamen semper cogitat. Concludamus ergo nimis ridicula esse Cartesianorum argumenta, ut commovere possint aut metaphysicam certitudinem, qua in creatis cogitantem à cogitatione distinguimus: aut moralem, qua omnes concipimus, nec nos, nec alios in matris utero, aut in profundissimo somno aliquid cogitare. Ergo *metaphysicè certò* constat, animam posse esse, quin cogitet: et adminùs *moraliter certò*, quòd anima dum corpori unita non semper cogitat. Inquiramus ergo nunc unde species haurit ut cogitet.

311 I[a] conclusio: *Mens nostrā in hac vitâ non cognoscit res in Deo; seu Dei essentia non est ad instar speciei seu ideæ, in qua mens res nunc videat.* Prob. 1°: Deum non nisi valdè obscurè cognoscimus, imò potiùs quid non sit, quàm quid sit, ut meritò Scholastici doceamus, *Deum viâ remotionis cognosci:* ergo nimis stultum est velle quòd in ipso clarè ac distinctè cætera cognoscamus. 2°: Si res solùm in Deo cognosceremus, aut cognosceremus omnia, aut certè nec inutilia, nec noxia; sed experimur contrarium: ergo. Mai. prob.: Cùm Deus rerum omnium similitudinem in suâ simplici essentiâ contineat, mentem ipsi unitam necesse est omnia cernere, nisi Deus hæc potiùs quàm alia in se detegat; sed impium foret asserere, Deum potiùs inutilia et noxia, quàm utilia et necessaria in se detegere: ergo. 3°: Nec errare possemus, nec super iisdem rebus concertare, cùm omnes eandem ac certissimam rerum ideam haberemus. Mitto alia; nam hæc sat ostendunt, quàm ridicula ac Philosopho indigna sit hæc opinatio.

312 II[a] conclusio: *Non sunt ideæ seu species menti nostræ ingenitæ seu concreatæ.* Prob. 1°: Nequeunt ideæ omnes esse menti concreatæ: ergo doctrina idearum innatarum non est admittenda. Ant. patet; nam tunc necesse foret tot distinctas ponere in mente insculptas ideas seu formas, quot ea habere potest, seu quot res intelligere potest, atque adeò infinitas; id autem cum finitâ mentis naturâ pugnat. Cons[a] verò prob.: Nisi omnes ideæ sint innatæ, doctrina idearum innatarum est inutilis et superflua: ergo non admittenda. Ant. prob.: Si non omnes sunt innatæ, aliquæ à sensu sive immediatè, sive mediatè nempè reflexione habebuntur; sed hac viâ sicut aliquæ, ita omnes haberi possunt, ut posteriùs ostendemus: ergo (1).

---

(1) *At inquiet forsan aliquis: Licèt non omnes ideæ congenitæ sint, non tamen inde sequitur aliquas esse à sensibus ortas; sunt etenim omnes à Deo in mente creatæ, aliæ cum mente quæ proinde dicuntur* concreatæ *seu* innatæ; *aliæ verò paulatim, successione quadam, et per*

313 Prob. 2° : Deficiente aliquo sensu deficit notitia eorum, quæ ad illum pertinent, ut cæco nato notitia colorum ; sed hoc non esset si in mente inditæ forent rerum ideæ : ergo. =Dices sensum requiri ut ideas excitet. =Contrà : Dum præterita recordamur, experimur unâ ideâ aliam etiam dissimilem excitari : ergo sensus non requiritur ut ideas excitet. Prob. 3° : Si essent ideæ innatæ, nedum recens natus, sed semper vel in matris utero homo cognosceret ; sed non semper cognoscit, ut patet ex dictis : ergo. Mai. prob. : Positâ obiecti præsentiâ non alio indiget mens ut cognoscat ; sed vel in matris utero esset obiectum præsens menti per suam ideam : ergo.

314 Si dicant mentem cum ideis innatis sibi sufficere ad cognoscendum ; at unione cum corpore omninò impediri ne cognoscat, quousque ideæ sensibus excitentur. =Contrà 1° : Unio cum corpore est animæ naturalis, et rursus cognitio est eius operatio naturalis ; sed inconveniens est quòd naturalis operatio alicuius totaliter impediatur per id quod est ipsi naturale : ergo. Contrà 2° : Si ita esset, sensus solùm deservirent ad tollendum impedimentum, quod animæ provenit ex corporis unione ; sed hoc est falsum : ergo. Min. prob. : Hoc posito nulla assignari posset causa unionis animæ cum corpore : ergo.

315 III^{a} conclusio : [1] *Omnes species seu ideæ, quibus mens cognoscit, à sensibus originem trahunt.* [2] *Non quòd mens res percipiat in iisdem phantasmatibus seu specie-*

---

intervalla à Deo menti infusæ, quæ proinde adventitiæ *dicuntur. Hæc reponere possunt, sed quomodò probare? Quænam reddetur ratio, cur non potiùs simul cum innatis, alias etiam in mente procreaverit Deus, quàm paulatim et successivè? Cur aut non omnes innatæ sunt, aut omnes adventitiæ?* Nec id dico *(verba sunt Ant. Genuens. Met. P. III. prop. 37),* quasi id esse nequeat; sed ut intelligatur eos qui ita arbitrantur, nullas habere opinionis suæ probationes, sed quodcumque venit in mentem effutire divinando.

bus sensibilibus ; [3] *sed quòd ex phantasmatibus velut ex materiâ educat omnes species, quibus res percipiat.* Unde ante sensuum exercitium intellectus ab Aristotele comparatur tabulæ rasæ, in qua nihil est depictum. 2^a et 3ª pars conclusionis ex paragrapho sequenti illustrabuntur. Prob. nunc 1^a: Corporis unio est animæ conveniens ut cognoscat ; sed hæc convenientia in eo sita est, quòd à sensibus corporis originem trahant species, quibus cognoscat : ergo.

316 Præmissæ probandæ sunt, ac primò mai. : Corporis unio est animæ conveniens ad aliquid ; sed non ad aliud, quàm ut cognoscat, nam ad quid ? ergo. Mai. prob. 1° ; nam semper formæ conveniens est uniri materiæ, anima autem est forma corporis, ut posteà dicemus. 2° nam superflua esset hæc unio, si nec animæ nec corpori esset utilis ; inordinata autem, si soli corpori non animæ ; non enim superius ut anima ad inferius ut corpus ordinari debet : ergo, ne cum Origine impiè sentiamus animam uniri corpori in peccati supplicium, fateri cogimur hanc unionem esse animæ convenientem.

317 Prob. nunc 1^a min. 1° : Corpus nequit animæ esse utile ad cognitionem, nisi medio corpore fiat animæ præsens cognitionis obiectum ; sed hæc præsentia fit per species (n. 303) : ergo. Mai. prob. : Corpus solùm potest animæ esse utile ad cognitionem ex parte obiecti ; non autem ex parte subiecti aut organi, cùm cognitio utpote spiritualis nec subiici possit in corpore, nec per organum corporeum fieri : ergo. 2° : Si anima non à sensibus sed aliunde habet species, corpus erit cognitionis impedimentum : ergo. Ant. prob. : Tunc sensus aut omninò erunt frustranei, aut inservient ad excitandas in animâ species quas aliunde habet ; sed hinc sequitur corpus impedire cognitionem : ergo. Min. prob. : Hinc sequitur innumeras esse in mente species, quæ nullatenùs cognitioni inserviunt, seu penè sopitæ manent donec sensibus excitentur ; sed hæc specierum inutilitas animam in cognoscendo impedit, et non nisi à corpore causatur, ut constat : ergo.

318 At inquies, utile fuisse animæ uniri corpori, ut

in eius regimine merendi aut demerendi occasionem acciperet. Sed omninò insufficiens est hæc responsio 1°: Si absque corpore æquâ facilitate ac perfectione intelligit, atque adeò vult anima, ac cum corpore; profectò cùm omne meritum aut demeritum non nisi voluntate perficiatur, omninò superfluum est corpus, ut anima mereatur vel demereatur. 2°: Si non alia utilitas est animæ ex unione cum corpore, quàm merendi occasio; unde *naturalis ille appetitus corpus administrandi,* quem in beatis agnoscit Augustinus? (XII. super Genes. ad litt. c. 32). Qua ratione beatæ animæ corporis unionem expectant, quasi ultimum accidentale suæ beatitudinis complementum? (D. Th. 1. 2. q. 4. a. 5) 3°: Nonne Angeli suum vitæ statum absque corpore transegerunt? Quidni etiam animæ?

319 Apud nos autem horum omnium **ratio apertè** constat: triplex enim intelligentium quasi genus distinguimus; Deum, Angelos, Animas. Porrò illud ut certum assumimus, principium intelligens, quò perfectius sit, eò paucioribus speciebus res plures ac perfectiùs intelligere. Videmus enim eodem eventu, eâdem re à duobus viris cognitâ, Philosopho et agricolâ, illo perspicacis ingenii, hoc tardi, istum in superficiali ac confusâ rei cognitione consistere, illum verò ad causarum, effectuum, et aliorum plurium cognitionem assurgere.

320 Hinc Deus per suam essentiam omnia intelligit; superiores Angeli paucioribus ac magis universalibus, inferiores verò pluribus et minùs universalibus formis seu speciebus utuntur. Quòd si inferioribus Angelis universaliores illæ superiorum Angelorum species infunderentur, iis non perfectè sed confusè et in communi res cognoscerent. Sicut experimur homines debilioris intellectûs per universaliores conceptiones magis intelligentium non accipere perfectam cognitionem, nisi eis singula explicentur.

321 Præstereà anima substantia quidem intellectualis est; at omnium infima. Quatenùs substantia intellectualis, licèt à corpore separata, per species sibi à Deo immediatè inditas re ipsâ cognosceret; at quia infima seu

debilioris virtutis, in his speciebus, quæ forent universales seu rationes communes, non perciperet omnia singularia, sed solùm in communi, ac proindè indeterminatè, confusè, imperfectè cognosceret. Ad differentiam Angelorum qui ob efficaciam sui intellectûs in speciebus universalibus singularia omnia in ipsis contenta percipiunt. Ergo animæ conveniens fuit quòd à Deo corpori uniretur, et sic ab ipsis rebus sensibilibus propriam ac perfectam de eis cognitionem acciperet, licèt possit esse separata, et alium modum intelligendi habere. Sicque propter melius animæ est ut corpori uniatur. *D. Th.* 1. *p. q.* 89. *a.* 1.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

322 Obi. 1° contra I^m : D. Aug. 1° *Soliloq.* ait : *Deus intelligibilis lux, quo, et à quo, et per quem intelligibiliter lucent omnia :* ergo omnia in Deo videmus. Adde D. Th. 1. p. q. 84. a. 5. probare, quòd nos omnia cognoscimus in rationibus æternis ; sed rationes æternæ sunt rationes seu ideæ creaturarum in Deo existentes : ergo. ℟. ad utrumque ex D. Th. ibid. aliquid in aliquo dupliciter cognosci. Primò velut *in obiecto cognito*, sicut imago videtur in speculo. Secundò velut *in cognitionis principio*, sicut colores videntur in Sole. Priori modo beati, qui Deum vident, omnia in Deo cognoscunt, seu in rationibus æternis ; non autem anima in præsenti vitâ, in qua cùm Deum non videat, nec alia in ipso. Posteriori autem modo omnia cognoscimus in Deo, seu in rationibus æternis, quatenùs lumen intellectuale quod est in nobis nil est aliud quàm quædam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ (2).

323 Obi. 2° contra II^m : Deus creavit animas in statu

---

(2) *Malebranchius in* Illustrationibus ad Lib. de Inquirendâ veritate, *phantasticus, illuminatus et fanaticus nuncupari mavult, quàm à sententiâ abire, qua homines statuit nunc omnia in Deo videre seu cognoscere. Adeò vir sapientissimus novitatis fulgore deceptus est.*

perfecto; sed ad earum perfectionem pertinent ideæ: ergo. Adde, quòd vel ipsam materiam primam creavit Deus cum aliquâ formâ; sed ideæ sunt formæ mentis: ergo. ℟. ad 1^{m} dist. mai.: in statu perfecto in substantiâ seu essentiâ, conc.; in accidentibus, nego. Itaque species seu ideæ, cùm solùm requirantur ad actualem cognitionem, non sunt de essentiâ animæ, sed pertinent ad accidentales animæ perfectiones, quas non simul adquirit, sed paulatim et successivè ab imperfecto ad perfectum procedens; scilicet sensuum ministerio ideas aliquas mens sibi comparat: initio paucas, at quæ continuo sensuum exercitio ac meditatione successivè perficiuntur et multiplicantur; ut eadem mens, quæ primò nil actu cognoscebat, deinde aliqua et imperfectè, posteà multa et perfectè cognoscat. Ad 2^{m} dic, materiam primam ita à formâ pendere, ut sine ipsâ consistere nequeat, unde cum aliquâ formâ creari debuit; mens tamen sine speciebus subsistit, ut dictum est.

324 Obi. 3° contra III^{m}: In mente sunt species quibus incorporea repræsentantur, ut Deus, Angeli, virtus: ea namque cognoscimus, ac de iis cognitis recordamur; sed hæ species non sunt à sensibus ortæ: ergo. Min. prob.: Species à sensibus ortæ sunt sensibiles, sicque corporeæ; sed species corporeæ nequeunt incorporea repræsentare: ergo. ℟. dist. 1^{m} min.: non sunt ortæ à sensibus *tamquam à causâ,* conc.; *tamquam à materiâ causæ,* nego. Itaque species incorporea menti repræsentantes absdubio incorporeas seu immateriales esse oportet: unde benè arguitur earum causam non esse sensus, sed intellectum. Sed quia intellectus omnes suas species educit à phantasmatibus, quæ fiunt per sensus; ideò etiam species repræsentantes immaterialia pendent à sensibus, non ut à causâ eas causante, sed quodammodò ut à materiâ inserviente causæ eas causanti, scilicet intellectui; et hac ratione dicuntur à sensibus ortæ. *Vid. D. Th.* 1. *p. q.* 84. *a.* 6.

325 Contrà: In speciebus impressis factis ex phantasmatibus nequeunt incorporea percipi: ergo species incorporea repræsentantes nec ut à *materiâ causæ* à sen-

sibus oriuntur. Ant. prob.: In speciebus solùm percipiuntur quæ in ipsis repræsentantur; sed in speciebus factis ex phantasmatibus solùm repræsentantur eædem naturæ materiales repræsentatæ in phantasmatibus: ergo. Min. patet; aliàs non essent ex phantasmatibus eductæ. ℟. dist. min.: solùm repræsentantur *directè*, conc.; *indirectè* seu reflexè, nego min. et similiter dist. cons. Quælibet enim imago seu similitudo *indirectè* repræsentat plura, si connexa sint cum eo quod ipsa *directè* repræsentat. Sic ex Christi crucifixi imagine ducimur ad cognoscendos summos Christi dolores, Iudæorum perfidiam, peccatorum malitiam, Dei iustitiam, et bonitatem; quæ proinde in ipsâ imagine indirectè repræsentantur.

326 Similiter in speciebus impressis directè quidem solùm repræsentantur et cognoscuntur eædem naturæ materiales ac in phantasmate; licèt diverso modo, cùm natura, quæ in phantasmate repræsentatur in singulari, in specie impressâ repræsentetur in universali, seu à materiâ abstracta. At mens suo naturali lumine in iisdem speciebus impressis reflexione quadam seu indirectè plura alia videt, v. g. res materiales in iis repræsentatas non esse à se sed ab alio, sicque esse effectus, sicque eorum esse causas: item esse contingentes, veras, bonas, cæt.

327 Hìc præ oculis habendum est mentem, prout variis actibus hæc percipit, eorum omnium species expressas efformare; cùm omnis perceptio sit expressio rei perceptæ (n. 299). Deinde has species comparans tum inter se, tum cum aliis expressis in mentis memoriâ habitis, tum etiam cum pluribus impressis quas ex sensibili memoriâ intellectus agens incredibili celeritate excitat, ad omnium incorporalium cognitionem devenit, usque ad ipsum Deum, quem cognoscit, ut causam, per excessum et per remotionem.

328 *Ut causam;* mens etenim in specie impressâ cuiuscumque rei videt eam rem non esse à se sed ab alio; nec difficilè noscit inter causas progredi non posse in infinitum: unde facilè colligit esse primam causam, seu Deum. *Per excessum;* nam si percipit Solem, noscit à primâ causâ seu Deo Solem in perfectione superari: item si cer-

nit hominem et materialia omnia ; ut facilè colligat, Deum omnium perfectionem excedere. Denique *per remotionem ;* etenim facilè noscit à Deo removenda esse quæcumque in creaturis attingit, ut esse hominem, esse Solem, cæt. Itaque si ex materialibus tam facilè Dei cognitio haberi potest, ac proinde idea; quantò magis cæterorum omnium? Iure igitur dicere possumus: *Nil esse in intellectu quin priùs fuerit in sensu,* sive per speciem propriam ut materialia, sive per alienam ex qua reflexè cognoscantur sicut immaterialia.

§ II.

An sit intellectus agens?

329 Conclusio : *In nobis est intellectus agens.* Prob. : Hoc nomine significatur quædam animæ potentia, qua res sensibilis fiat intelligibilis ; sed hæc est : ergo. Min. prob. : Res materiales et sensibiles nedum sentimus et imaginamur, sed etiam intelligimus : de iis enim plura enuntiamus, quæ solo intellectu fiunt ; sed eas intelligere non possemus, nisi ab aliquâ animæ potentiâ fierent intelligibiles : ergo. Min. prob. : Res materiales ex se non sunt intelligibiles : ergo. Ant. prob. : Res fit intelligibilis per sui speciem seu imaginem receptam in intellectu (n. 303) sicque immaterialem ; sed res materialis ex se vim non habet emittendi species immateriales, ut patet : ergo. Itaque res materialis fit proximè intelligibilis ab intellectu agente, quatenùs ex phantasmatibus seu speciebus sensibilibus educit species impressas immateriales quibus res materiales repræsentantur.

330 Similiter argui posset : Omnis nostra cognitio per sensus habetur, sicque mediis speciebus, qui in phantasiâ sunt ; sed speciebus sensibilibus intellectus nil perciperet : ergo aliqua est in animâ vis seu potentia, quæ ex speciebus sensibilibus alias nobiliores immateriales efficit, quibus mens cognoscat, et hæc vis dicitur *intellectus agens.* Min. prob. : Species qua mens cognoscit debet in mente recipi (n. 303); sed in illâ species sensibilis recipi non potest : ergo. Min. prob. : Species in mente re-

cepta debet esse immaterialis ; sed species sensibilis nequit esse immaterialis : ergo. Mai. constat ; non enim intelligi potest aliquid materiale recipi in immateriali, ut anima v. g. alba sit vel nigra, frigida vel calida, aut aliquid simile. *Vid. D. Th.* 1. *p. q.* 79. *a.* 3. 4. *et* 6.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

331 Obi. 1°: Non datur sensus agens: ergo nec intellectus agens. ℟. nego cons^{m} ; nam sensus cognoscit per species particulares, quæ oriuntur ab obiectis particularibus prout sunt in re ; et sic non debet dari potentia producens species, ut sensus suum obiectum attingat. Intellectus autem attingit obiectum per species universales, quæ prout sic non oriuntur ab obiectis, et sic debet dari potentia illas producens, quæ vocatur intellectus agens. *Hæc D. Th. Quæst. de Animâ a.* 4 *ad* 5^{m}.

332 Contrà : Intellectus non eget speciebus universalibus : ergo ruit solutio. Ant. prob. : Intellectus cognoscere potest res universales per phantasmata seu species particulares : ergo. Ant. prob. : Licèt phantasma repræsentet rem particularem, potest intellectus in ipso phantasmate attingere solam rationem communem absque singularitate : ergo. Ant. prob. : Licèt color pomi sit coniunctus sapori et odori, potest oculus percipere colorem non perceptis sapore et odore : ergo etiam etc. ℟. nego ult. cons^{m}. Disparitas est, quia licèt color in pomo sit coniunctus sapori, at species, quæ venit ad oculum, non saporis sed solius coloris est repræsentativa. Phantasma verò præcipuè ac directè repræsentat singularitatem. Unde cùm intellectus, utpote potentia naturalis, non possit non percipere obiectum sibi actu præsens, ideò si intellectus cognosceret per phantasmata, numquam præscinderet à singularitate.

333 Adde quòd intellectus est immaterialis, sicque eius obiectum debet esse immateriale. Obiectum autem potentiæ est id quod per se primò et directè attingitur à potentiâ, sicque ab intellectu per se primò attingi debet aliquid immateriale, licèt indirectè ac secundariò percipiat etiam singularia materialia. Contrà verò accide-

ret si res perciperet in phantasmate; nam cùm istud directè repræsentet rem cum conditionibus invidnantibus, solùm indirectè et reflexè posset in ipso cognosci natura universalis.

334 Obi. 2°: Intellectus patibilis potest rem cognoscere in phantasmate: ergo non requiritur species impressa, sicque nec intellectus agens. Ant. prob.: Intellectus patibilis potest immediatè determinari à phantasmate ad cognoscendum hoc vel illud obiectum: ergo. Ant. prob.: Non minùs immaterialis esset intellectus agens, quàm patibilis; sed ille immediatè determinaretur à phantasmate ad faciendam hanc vel illam speciem impressam: ergo etiam etc. ℞. apud nos physicum esse influxum corpus inter et animam, ut art. 7. ostendemus. Unde nil prohibet intellectum agentem, licèt immaterialem, à materiali phantasmate reduci in actum, ut species impressas efficiat.

335 Quòd ergo patibilis nequeat res in phantasmate percipere non est ex generali ratione influxûs, sed ex speciali influxu ad cognitionem requisito; ad quam opus est aut obiectum cognitum, aut eius speciem esse in ipso cognoscente, tamquam formam quæ sit cognitionis principium (n. 303); et cùm in potentiâ spirituali nequeat recipi species materialis, ideò nequit intellectus patibilis aliquid percipere in ipso phantasmate. Hìc cautè advertas phantasmata non esse obiectum intellectûs agentis; nam huius, utpote purè practici obiectum est ipsa species ab ipso effecta. Sunt autem phantasmata ad instar materiæ seu exemplaris, ex quo anima per agentis intellectûs vim species impressas sibi efformat.

336 *Anima*, inquam: semper enim præ oculis habendum est, nos hìc non de substantiis loqui, sed de substantiæ potentiis seu viribus. Siquidem intellectus agens et patibilis v. g. non duæ substantiæ sunt, sed eiusdem substantiæ duæ potentiæ. Et hinc colligas nullum esse inconveniens, quòd intellectus agens educens species ex phantasmatibus nil intelligat, hoc est nec species nec phantasmata. Nam anima diversis potentiis omnia præstat: *imaginatione* percipit phantasmata: hac perceptione

fœcundatur ut per *intellectum agentem* educat species: quibus per *intellectum patibilem* rem cognoscit.

337 Obi. 3°: Si esset intellectus agens deduceret patibilem in actum, seu illum reduceret de potentiâ cognoscendi in actum; sed id non potest: ergo. Min. prob.: Ut intellectus patibilis reduceretur in actum ab agente, opus esset quòd priùs agens reduceretur in actum ab aliquo alio; sed à nullo reducitur: ergo. Mai. patet; nam ipse intellectus agens non semper est in actu. Min. verò prob.: Intellectus agens non movetur seu reducitur in actum immediatè à Deo; aliàs esset superfluus, nam ipse Deus posset immediatè movere patibilem; sed deinde nec à phantasmatibus, quæ utpote materialia movere non possunt intellectum agentem, qui est spiritualis, nisi admittatur systema influxûs physici, qui hucusque qualitas est occulta: ergo.

338 Adde, quòd intellectus agens esset vis mentis, sicut etiam intellectus passivus: unde si agens species offerret passivo, mens esset sibi ipsi quasi receptrix, quod aut ridiculum, aut sanè obscurissimum est. ℞. nego omnes assumptas. Ad implicitam ultimæ probationem, dic, quòd si *qualitas est occulta* ratio seu modus quo spiritus in corpus, et vicissim corpus in spiritum physicè influit; at talem physicum influxum esse, non occultum, sed evidens est, ut art. 7. ostendemus. Unde nil prohibet phantasmata reducere in actum intellectum agentem, seu illum movere; quamquam hic influxus seu motus potiùs *intentionalis*, quàm *physicus* vocandus est.

339 Ad id quod additur, si qua est obscuritas, ex voce *mentis* oritur, quæ et pro ipsâ animæ substantiâ, et pro alterutrâ ex duabus eius potentiis sumi potest, scilicèt intellectu agente aut patibili. Dicamus ergo in animâ distinctas esse potentias, quarum una movet aliam, quarum una aliquid recipit ab aliâ, sicque animam penès diversas potentias se ipsam movere, à se ipsâ aliquid recipere. Hæc autem nec magis obscura nec magis ridicula sunt, quàm si humanum corpus dicamus penès diversa membra se ipsum movere, à se ipso aliquid recipere, seu

unum membrum aliud movere, unum ab alio aliquid recipere (1).

---

(1) Ex his sufficienter soluta manent, quæcumque adversùs intellectum agentem colligi possunt, tum ex aliis Recentioribus, tum ex Antonio Genuensi, præcipuè Met. P. III. prop. 32. et Epist. ad Ant. Contium Venetum. Sanè cùm physicum influxum corpus inter et animam sæculo 17 recentiores Philosophi non admitterent, et eâ ratione mentis ideas non à sensibus ortas, sed ipsi innatas opinarentur, consequens fuit ut intellectum agentem in exilium pellerent. Iam enim D. Th. 1. p. q. 79. a. 3. admonuerat admissis ideis Platonicis esse omninò superfluum; sicut positâ Aristotelis sententiâ mentis cognitionem oriri à sensibus *omninò necessarium. Itaque cùm videamus systema influxûs physici à cordatioribus inter recentiores Philosophos iam nunc amplexari, et quòd ideas plurimas sensuum ope mens adquirat, opinionem esse totâ in Europâ vulgarem, sperandum est etiam intellectum agentem ab exilio revocandum, cùm omninò necessarius sit ut species sensibiles cognitioni inserviant.*

Quo loco vehementer admirari soleo Ant.m Genuens. tam acriter invehi in intellectum agentem, cùm ipse III. p. suæ Metaph. dilucidè exponat ea principia, ex quibus esse intellectum agentem necessariâ illatione conficiatur. Prop. 21. hæc habet: Qui Scholasticorum systema *(influxûs physici)* nimis præproperè damnant, ii sæculo indulgent, non rationi consulunt. *Rursùs prop. 34. ait:* Lockiana opinio, scilicet primas ideas esse à sensu, quarum deinde ope mens coniecturâ et ratiocinio alias sibi creat, quæ et olim vulgaris fuit in scholis Peripateticorum et Epicureorum, et nunc est totâ in Europâ, et intimâ conscientiâ nititur, et evidentiâ sensuum confirmatur, et est naturæ humanæ phænomenis conformis. *Hæc Genuensis.*

Ex quibus sic arguere licet: Primæ ideæ, quibus mens cognoscit colorem, sonum, et similia, aut ita di-

340 Hinc colliges 1°: Intellectum agentem et patibilem esse duas animæ potentias reapse distinctas. Nam 1°: Potentiæ, cùm sint propter actus, differunt iuxta suorum actuum diversitatem; sed actus intellectûs agentis et patibilis omninò differunt: ergo. Min. patet; nam actus intellectûs patibilis est perceptio seu cognitio; actus autem intellectûs agentis non est cognitio, sed productio speciei,

---

cuntur à sensibus esse, quòd ideæ, quibus mens ea cognoscit, sensibiles ipsæ sint, aut quòd ex ideis sensibilibus alias insensibiles, seu immateriales sibi efficiat, quibus ipsa sensibilia cognoscit? Iam verò mentem non posse aliquid cognoscere immediatè in ideis materialibus ipse Genuensis definit. 6. *constituerat, ubi inter alia hæc habet:* Idea est forma exhibens rem quamdam menti percipienti. Mens autem incorporea nequit suscipere, et intueri, nisi formas purè intelligibiles; atque idcircò materiales formæ in cerebro descriptæ, quæcumque eæ sint, cùm nequeant immediatè esse menti præsentes, dici ideæ non possunt, nisi admodùm impropriè.

Superest igitur eatenùs intellectum cognoscere sensibilia per ideas, quæ sunt à sensu, quatenùs ex ideis, quæ sunt in sensu, seu in cerebro, alias immateriales sibi mens efficit, quibus ipsa sensibilia cognoscit: ergo est in mente vis, seu facultas agendi species immateriales, quibus ea cognoscat, quæ in speciebus materialibus sensuum repræsentabantur: ergo, nisi de nomine concertare velimus, est intellectus agens; siquidem hoc nomine Aristotelici eam facultatem significant, quæ rem sensibilem reddit actu intelligibilem, quæ educit species immateriales ex phantasmatibus, seu quod idem est, quæ agit species immateriales, quibus mens sensibilia cognoscat; et ex quibus posteà etiam ad immaterialium cognitionem assurgat. Nam quæ de unico separato intellectu agente quidam ex Antiquis effinxere eâ soliditate à D. Th. 1. p. q. 79. a. 5. et II. cont. Gent. c. 76. impugnantur, et ab actualium Aristotelicorum sententiâ tam longè distant, ut sine summâ aut ignoratione, aut malitiâ illorum errorum nequeant accusari.

qua intellectus patibilis cognoscat. 2° : Nam intellectus agens est in actu et patibilis in potentiâ respectu speciei impressæ, quam ille causat et hic recipit.

341 Colliges 2° : Intellectum agentem esse *secundùm quid* seu in ratione causæ perfectiorem patibili, quoniam aliquid patibili imprimit, et ab ipso nil recipit. At *simpliciter* et absolutè patibilis est perfectior; cognitio enim quæ est actus istius est aliquid divinius et longè perfectius productione specierum, quæ agentis est actus. At inquies : Quo iure intellectus agens dicitur *intellectus* si nil intelligit seu percipit? ℟. quoniam plurimum in intellectionem influit ; nam efformando speciem ex phastasmate facit actu intelligibile id quod solùm erat intelligibile in potentiâ : et imprimendo speciem intellectui patibili ipsum fœcundat ut actu emittat intellectionem.

342 Colliges 3° : *Obiectum proportionatum et motivum intellectûs nostri esse naturas universales materiales. Naturas,* inquam, *universales ;* nam intellectus est immaterialis, sicque eius obiectum saltem in esse obiecti seu intelligibilis debet esse immateriale, seu universale. *Materiales* tamen ; nam animæ naturaliter unitæ corpori proportionatum ac naturale est moveri ad cognoscendum ab speciebus factis ab intellectu agente; quæ utpote ex phantasmatibus quasi eductæ, *directè* solùm repræsentant naturas materiales. *Obiectum verò extensivum intellectûs est omne ens,* seu ad omnia cognoscenda extendi potest. 1° ; nam in ipsis speciebus impressis indirectè ac reflexè cognoscit immaterialia et singularia, sicque omnia. 2° ; nam capax est ut ipsi immediatè à Deo infundantur species perfectiores, sicut sæpè contigit Prophetis, et frequentiùs animæ separatæ.

§ III.

An et quid sit memoria intellectiva seu mentis?

343 Iª conclusio : *Est memoria intellectiva seu mentis*, præter sensitivam seu imaginationis, quæ species servat, quibus res præteritas antè visas, auditas, aut quocumque

sensu externo perceptas, quasi coram positas, iterum percipimus. Prob. 1°: Species impressæ ac expressæ, utpote immateriales, sunt incorruptibiles: ergo manent in mente; sed specierum conservatio dicitur memoria: ergo hæc est in mente. 2°: Nos recordamur actuum mentis nostræ, v. g. definitionum antè factarum, universalium et immaterialium antè cognitorum, ut hominis in communi, et ipsius Dei; sed horum memoria nequit esse sensitiva: ergo. Min. prob.: Memoria, utpote cognitio, non sine specie aut similitudine fit (n. 303); sed horum, utpote immaterialium, species haberi nequit in memoriâ sensitivâ, quæ in omnium sententiâ materialis est, seu organo corporeo constans: ergo.

344 IIª conclusio: *Memoria intellectiva non est potentia distincta ab intellectu.* Prob.: Memoria intellectiva est vis conservativa specierum, quibus intelligimus; sed ipse intellectus conservat species seu formas, quibus cognoscit: ergo. Prob. min.: Materia corporalis nedum tenet formas, quas recipit, dum per eas agit, sed etiam postquam agere cessavit, ut patet in ipsâ memoriâ sensitivâ; sed intellectus est naturæ magis stabilis et immobilis, quàm materia corporalis: ergo. Unde intellectus patibilis, quatenùs species conservat, sive impressas sive expressas, dicitur memoria. *Memoria,* inquam, *habitualis,* seu habitus memoriæ; nam *actualis* seu eius actus est iterata eiusdem rei cognitio, seu cognitio præteritorum.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

345 Obi. 1° contra Iᵐ: Ut immaterialium recordemur non requiruntur eorum species in mente præhabitæ, sed sufficiunt phantasmata seu species servatæ in memoriâ sensitivâ: ergo. Ant. prob.: Recordatio nil aliud est, quàm secunda, seu iterata eiusdem rei cognitio; sed ut primò immaterialia cognoscamus non requiruntur eorum species in mente præhabitæ: ergo etiam ut secundò ea cognoscamus, seu ut eorum recordemur. ℟. nego mai.; nam recordatio non est quælibet iterata cognitio rei, sed cognitio rei ut iam antè cognitæ, seu præteritæ. Nil autem in phantasmatibus est, ex quo intellectus colligere possit

spiritualia fuisse iam cognita ; sicque ut intellectus id cognoscat, opus est quòd in mente maneat aliquid præcedentis cognitionis, sicque species, qua facta est.

346 Obi. 2° : Actus memoriæ est actualis cognitio præteritorum ut præteritorum ; sed intellectus con cognoscit præterita ut talia : ergo. Min. prob. : Non attingit conditiones individuales ; sed esse præteritum est conditio individualis : ergo. ℞. dist. 2^m mai.: intellectus non attingit cognitiones individuales suorum actuum, nego ; obiecti materialis, subdist. : non attingit immediatè, et per se, conc.; mediatè, et per accidens, nego mai., et dist. cons.: intellectus non cognoscit præterita ut talia, id est, non cognoscit suos actus ut præteritos, nego ; sua obiecta ut præterita, subdist. sicut in mai.

347 Itaque præteritio per accidens se habet *respectu obiecti* intellectûs, quod abstractum est ab omnibus conditionibus materialibus, qualis est præteritio. At *respectu actuum* intellectûs præteritio per se accipi potest, quia quælibet intellectio est actus determinatus in hoc, vel in illo tempore existens ; et aliundè cùm actus intellectûs sit immaterialis, licèt singularis sit, per se ab intellectu attingitur : unde licèt præteritio sit de ratione memoriæ, in intellectu est vera ratio memoriæ respectu suorum actuum. Respectu verò obiectorum, non est quidem memoria qua cognoscatur per se et immediatè ipsa præteritio obiecti. Est tamen memoria ut conservativa specierum ; id est, intellectus servat etiam species obiectorum præteritorum ; ratione quarum sicut immediatè et per se cognoscit obiecta, saltem mediatè et per accidens cognoscit ipsam præteritionem obiecti. *Vid. D. Th.* 1. *p. q.* 79. *a.* 6. *ad* 2^m. Et hinc patet quomodò exponenda sunt ea testimonia in quibus vera ratio memoriæ intellectivæ parti negari videtur.

348 Obi. 3° : Si est memoria intellectiva, intellectus nullatenùs impediri potest à corpore, ne res priùs cognitas iterum cognoscat, sicque utatur scientiâ iam habitâ ; sed contrarium experimur in amentiâ, lethargo etc. : ergo. Mai. prob. : Si est memoria intellectiva, intellectus à nullo impediri potest ne habeat species priùs cognito-

rum, sicque obiecta priùs cognita sibi præsentia; sed intellectus à nullo impediri potest ne cognoscat obiectum sibi præsens: ergo. ℞. dist. mai.: intellectus impediri non potest ne habeat obiecta priùs cognita sibi præsentia *habitualiter*, conc.; *actualiter*, nego. Itaque species conservatæ in intellectu solùm faciunt obiectum præsens habitualiter. Unde ut actu intelligat dum est corpori unitus requiritur ulteriùs quòd ab aliquo phantasmate in actum reducatur, sicque actu intelligat per conversionem ad phantasmata.

349 Ad maiorem supradictorum lucem pauca hìc annotanda sunt: 1° : *Intellectum dum passibili corpori iunctus est, nil actu intelligere posse, nisi convertendo se ad phantasmata.* Cùm enim operari sequatur ad esse, consequens est, ut dum anima non est sine corpore, etiam non operetur, nisi ipsi inserviente aliquâ vi corporis; sicque phantasiâ, quæ inter corporeas potentias nobilior est. Idem ostendit D. Th. 1. *p. q.* 84. *a.* 7. his duobus indiciis: 1° *Cùm intellectus sit vis quædam non utens corporali organo, nullo modo impediretur in suo actu per læsionem alicuius corporalis organi, si non requireretur ad eius actum actus alicuius potentiæ utentis organo corporali. Utuntur autem organo corporali sensus et imaginatio et aliæ vires pertinentes ad partem sensitivam. Unde manifestum est, quòd ad hoc quòd intellectus actu intelligat, nedum accipiendo scientiam de novo, sed etiam utendo scientiâ iam acquisitâ, requiritur actus imaginationis, et aliarum virium.*

350 *Videmus enim quòd impedito actu virtutis imaginativæ per læsionem organi, ut in phræneticis; et similiter impedito actu memorativæ virtutis, ut in lethargicis: impeditur homo ab intelligendo in actu etiam ea, quorum scientiam præaccepit.* 2° *Quia hoc quilibet in se ipso experiri potest, quòd quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi aspiciat quod intelligere studet: et inde est etiam quòd quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exem-*

pla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum. Hæc D. Th.

351 Hinc dum res summè abstractas, etiam priùs cognitas, profundâ meditatione ad invicem comparamus, ac meliùs intelligere nitimur: magis adhuc defatigamur quàm in rerum sensibilium consideratione. Quod evidens signum est: 1° etiam in abstractissimarum rerum consideratione phantasiam laborare; nam intellectus, utpote immaterialis, defatigari non potest. 2° phantasiam aliquas efficere species iis connexas, quas intelligendo exprimimus. Hinc enim quò abstractiora sunt quæ cogitamus, utpote á materialibus remotiora, magis laborat phantasia, ut aliquid cum iis connexum efficiat.

352 II° observandum est *omnem speciem esse connexam cum aliquo phantasmate;* nam quælibet species *impressa* connectitur adminùs cùm phantasmate ex quo quasi educitur, id est cum eo, quo fit actus ille phantasiæ seu imaginationis, per quem anima ultimò completur in suâ activitate, ut per intellectum agentem agat seu efficiat speciem impressam. Species verò *expressa* connectitur saltem cum eo phantasmate, quod ex imperio intellectûs format imaginatio per modum exempli, etiam dum intellectus immaterialia percipit, ut constat ex 2° indicio D. Th.

353 III°: Conditiones individuantes, imò ipsa phantasmata quibus repræsentantur, nedum percipi ab imaginatione, sed etiam ab ipso intellectu, non quidem directè et immediatè, sed indirectè et mediatè; hoc est, non percipit conditiones individuantes in phantasmatibus neque phantasmata in se ipsis, sed utraque reflectendo cognoscit in speciebus immaterialibus intellectûs, ratione connexionis, quam habent cum ipsis phantasmatibus; sicut immaterialia ob similem connexionem reflexè cognoscuntur.

354 IV°: Quòd intellectus aliquando sistit in cognitione directâ naturæ universalis, et nullo modo attingit singularia; aliquando verò eodem simplici actu attingit in recto naturam, et in obliquo individua à quibus abstracta est, v. g. naturam humanam ut abstractam à Petro,

Paulo etc., seu à Petreitate etc. sicut licèt ex cognitione cuiuslibet creaturæ possit intellectus reflexè cognoscere Deum, aliquando sistit in cognitione creaturæ, aliquando verò eodem actu cognoscit directè creaturam, et indirectè Deum, scilicet cognoscit creaturam ut effectum Dei. Et hinc duplex distinguitur abstractio intellectûs, scilicet positiva et negativa. Est enim *abstractio* ille actus, quo attingitur natura ut distincta à suis individuis. Unde *abstractio negativa* est ille actus, quo attingitur natura, et nullo modo attinguntur individua : *abstractio* verò *positiva* est actus, quo attinguntur etiam individua, ut terminus à quo natura fuit abstracta seu distincta.

355 V° : Dum dicitur intellectum non posse cognoscere, nisi per conversionem ad phantasmata, sensus est, nunquam posse animam per intellectum cognoscere aliquid, nisi simul per imaginationem cognoscat phantasma connexum cum specie, qua intellectus utitur in suo actu. Unde nec ope specierum expressarum, quæ in mentis memoriâ manent, potest intellectus ea recordari, quæ priùs noverat, nisi simul ex phantasmatibus servatis in memoriâ sensitivâ attingantur illa quæ connexa sunt cum speciebus intellectûs. Et hinc sequitur quòd dum aliqua phantasmata seu species materiales memoriæ sensitivæ corrumpuntur, non possunt excitari species intellectûs cum illis phantasmatibus connexæ; sicque nequit intellectus eorum recordari, quæ his speciebus repræsentantur.

ART. V.

DE VOLUNTATE ET LIBERTATE.

356 Prænotandum est 1° triplicem esse inclinationem seu appetitum, scilicet naturalem, sensitivum et intellectivum seu rationalem. Qui ut probè distinguantur advertendum est, quòd omnis appetitus seu inclinatio consequitur aliquam formam. Sic appetitus *naturalis* consequitur formam naturaliter seu absque cognitione habitam, et hinc est cæcum aliquod pondus ad finem determinatum

absque omni eius cognitione inclinans, ut lapidis ad centrum, et ignis ad alium ignem generandum. *Sensitivus* consequitur formas sensibus perceptas, sicque ad varios actus et motus sese extendit, iuxta formas quas appetens præconcipit, ut in cane ex apprehensione heri pacati sequitur inclinatio gaudii et blanditiarum : viso eodem irato, inclinatio timoris et fugæ: viso extraneo, inclinatio furoris etc. Denique *rationalis* consequitur formas ratione seu intellectu perceptas.

357 Hinc *appetitus rationalis*, aut intellectivus seu *Voluntas*, est: *Animæ potentia, qua ad aliquam ex rebus intellectis inclinamur ;* et ideò dici solet: *Nihil volitum quin præcognitum.* Cuiusque voluntatis actûs naturam et quisnam intellectus actus unumquemque voluntatis actum præcedat, explicuimus in *Ethic.* lib. 2. q. 1. a. 2 et 3. Prænotandum est 2° inter intellectum et voluntatem summam esse proportionem. 1° : Sicut intellectus necessariò assentitur primis cognitionum principiis; ita voluntas necessariò vult ultimum finem, seu beatitudinem. Unde dici solet *Sic se habent principia in speculativis, sicut finis in operativis seu practicis.*

358 2° : Sicut intellectus assentitur conclusioni propter principia : ita voluntas vult media propter finem. Et hinc [1] sicut intellectus necessariò assentitur conclusionibus demonstratis ex principiis : ita voluntas necessariò vult ea media sine quibus intelligi non potest esse beatam seu consequi finem, ut esse, vivere, negationem mali. [2] Sicut intellectus non necessario assentitur conclusionibus re ipsâ demonstrabilibus, donec ex principiis demonstratæ sint: ita voluntas non necessariò amat Deum sine quo re ipsâ beata esse non potest; donec in patriâ per certitudinem Divinæ visionis ipsi necessariò demonstretur, in solo Deo veram beatitudinem consistere. [3] Et sicut intellectus non necessariò assentitur conclusionibus contingentibus; ita voluntas non necessariò sed omninò liberè ea media eligit, quæ intelligit indifferentia esse seu non necessariò connexa cum eo quòd beata sit.

359 3° : Sicut est verum apparens cui intellectus ali-

quando assentitur, licèt sit falsum; ita est bonum apparens quod vult aliquando voluntas, licèt reipsâ sit malum. 4°: Sicut autem intellectus nil apprehendit nisi sub ratione veri: ita voluntas nil vult nisi sub ratione boni: unde dici solet, quòd *nullus intendens malum ut malum operatur*. 5°: Sicut obiectum intellectûs est omne verum, ita obiectum voluntatis est omne bonum: et ideò sicut intellectus, eius actus, et obiectum cadunt sub obiecto voluntatis, quia sunt quædam particularia *bona;* ita voluntas, eius actus, et obiectum cadunt sub obiecto intellectûs, quia sunt particularia *vera;* et sicut voluntas vult intellectum intelligere, ita intellectus intelligit voluntatem velle.

360 6°: Sicut intellectus in pluribus actibus movetur à voluntate tamquam ab agente, velut impellens movet impulsum, seu applicativè et *quoad exercitium;* experimur enim quòd alicui rei intelligendæ applicatur intellectus dum volumus: ita voluntas in omnibus suis actibus movetur ab intellectu *quoad specificationem*, quia solùm bonum intellectum seu apprehensum est obiectum voluntatis et movet illam. Hinc solet excitari quæstio, quinam perfectior sit, intellectus, an voluntas? Quam nos breviter expediemus, ut ad duas alias utiliores citiùs accedamus, nempè an re ipsâ hominis voluntas libera sit? et quæ indifferentia ad libertatem requiratur.

§ I.

An intellectus sit perfectior voluntate?

361 Conclusio: *Intellectus secundùm se et simpliciter est perfectior et nobilior voluntate.* Prob. 1°: Potentia eò est perfectior quò perfectius est obiectum, nam propria ratio seu essentia potentiæ est ordo ad obiectum; sed obiectum intellectûs est simpliciter perfectius obiecto voluntatis: ergo. Min. prob.: Obiectum quò simplicius et abstractius est, eò est perfectius et nobilius; sed obiectum intellectûs est simplicius et abstractius obiecto voluntatis: ergo. Min. patet; nam quidditas seu ratio rei

est simplicior et abstractior quàm res ipsa, cùm res præter quidditatem dicat etiam existentiam ; sed obiectum intellectûs est sola rei quidditas seu ratio, v. g. ratio boni, obiectum verò voluntatis est ipsa res vel ipsum bonum : ergo.

362 Mai. verò prob. 1° : Quò obiectum abstractius est, eò est magis remotum à potentialitate : ergo magis actuale ac proinde perfectius. 2° : Quò obiectum est universalius, eò maior virtus, actualitas seu perfectio exigitur in potentiâ, ut totum illud complectatur ; sed quò obiectum est abstractius eò est universalius : ergo. 3° : Inter duo materialia, ut *visibile* et *sensibile in communi*, illud est perfectius obiectum quod est minùs immersum in potentialitate et materiâ, seu magis abstractum ; ut proinde sensus communis sit nobilior potentiâ quàm visus : ergo etiam inter duo ambo immaterialia, ut sunt bonum et verum, illud erit nobilius quod erit magis remotum à materiâ seu magis abstractum.

363 Atque hinc 2° prob. conclusio : Potentia nobilior est quantò ad plura se extendit ; sed ad plura se extendit intellectus quàm voluntas : ergo. Min. prob. : Intellectus se extendit ad possibilia ut talia, quæ vera sunt seu cognoscibilia ; sed ad ea non se extendit voluntas, non enim sunt bona seu appetibilia : ergo. 3° : Actus voluntatis solùm consequitur formas in intellectu receptas, cùm sit inclinatio in bonum ab intellectu propositum : ergo ipsa voluntas est potentia et proprietas secundaria, sicque intellectus est primaria et intimior animæ. 4° : Res denominatur ab eo quod in ipsâ nobilius est ; sed ab intellectu homines dicuntur *rationales*, et Angeli *intelligentiæ* : ergo.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

364 Obi. 1°: Voluntas habet obiectum perfectius : ergo. Ant. prob. : Bonum exigit existentiam quam verum non exigit ; sed existentia est perfectio : ergo. ℟. dist. ant. : perfectius in ratione *entis*, conc. ; in ratione *obiecti*, nego. Nam perfectio entis desumitur ab existentiâ, quam bonum semper importat, et à qua verum abstrahit : unde

in esse entis bonum est perfectius. At perfectio obiecti sumitur ex maiori universalitate et abstractione; sicque cùm verum sit abstractius etc. = Contrà : Bonum ex hoc quod dicat existentiam est actualius vero : ergo perfectius. ℟. dist. ant. : actualius *constitutivè*, conc. ; *subiectivè*, nego. Vel etiam : actualius *comprehensivè*, conc. ; *extensivè*, nego. Id est, bonum plures actualitates exigit ad sui constitutionem, seu plures in se comprehendit ; at verum plures sub se continet tamquam subiecta de quibus prædicatur, seu in plures extenditur.

365 Obi. 2°: Actus voluntatis est perfectior actu intellectûs : ergo etiam etc. Ant. prob. : Perfectius est amare Deum quàm noscere : ergo. ℟. dist. 2m ant. : in viâ, conc. ; in patriâ, nego. Itaque cùm intellectus trahat res ad se, et voluntas feratur ad res, ideò verum et falsum, quæ sunt obiectum intellectûs, sunt in mente ; at bonum et malum, quæ sunt obiectum voluntatis, sunt in rebus ipsis. Quando igitur res in qua est bonum est nobilior ipsâ animâ, in qua est ratio intellecta, per comparationem ad talem rem voluntas est altior intellectu. Quando verò res in qua est bonum est infra animam, tunc etiam in comparatione ad talem rem intellectus est altior voluntate.

366 Unde cùm in viâ ametur Deus prout in se, et solùm cognoscatur prout in animâ, melior est amor Dei quàm cognitio ; è contrario autem melior est cognitio rerum corporalium quàm amor. At hinc solùm colligitur, quòd respectu alicuius obiecti seu *secundùm quid* aliquis actus voluntatis est nobilior actu intellectûs ; *simpliciter* autem et in se intellectus est nobilior voluntate. = Contrà : Etiam in patriâ amor Dei est perfectior eius visione ; sed tunc videtur Deus prout in se : ergo. Mai. prob. 1° : Vir prudens eligeret potiùs Deum amare quàm ipsum videre : ergo. 2° : Inter Angelos Seraphim, qui denominantur ab excessu amoris, perfectiores sunt quàm Cherubim, qui denominantur ab excessu scientiæ, seu cognitionis : ergo.

367 ℟. ad 1m dist. mai. : perfectior in ordine moris, conc. ; in ordine entis, nego. Nam in ordine moris ha-

betur ratio debiti et officii ; amor autem et Deo debitus est, et ipsi honorabilior quàm visio. Et hinc odium Dei in *esse moris* deterius est privatione visionis beatificæ ; licèt non in *esse entis.* At de ordine moris habenda nunc ratio non est ; sic etenim et minimum peccatum deterius est quàm privatio visionis Dei sine peccato ; et minima virtus ipsâ visione Dei nobilior est. Ad 2^m dic, ea nomina imposita esse Angelis dum viatores essent, seu in statu viæ, in quo amor Dei perfectior est eius cognitione. = Si quis arguat quòd voluntas movet intellectum, dic etiam moveri ab ipso (n. 360) : si addat voluntatem esse liberam, dic libertatis radicem esse in intellectu, ut § 3. dicemus. *Vid. D. Th.* 1. *p. q.* 82. *a.* 3.

§ II.

An homo sit liber?

368 Prænotandum est 1° quòd libertas est quintuplex iuxta quinque modos servitutis à qua eximit. Prima est *spontaneitatis* seu *libentiæ*, et est exemptio à violentiâ et coactione principii externi. Secunda est *libertas arbitrii* seu à necessitate, id est, exemptio ab instinctu naturalique iudicio ad unum determinante. Tertia est *libertas virtutis*, scilicet exemptio à peccato et ab habitibus ad malum inclinantibus. Quarta est *libertas à lege*, seu exemptio obligationis ad legem superioremque præcipientem. Quinta denique est *libertas felicitatis*, scilicet exemptio ab omni labore, miseriâ, ac pœnâ. Nunc solùm de duabus prioribus sermo est.

369 Prænotandum est 2° quòd libertas *spontaneitatis*, seu *à coactione ac violentiâ* est nostræ voluntati essentialis quoad actus *elicitos*, non autem quoad *imperatos*. Dicuntur actus *eliciti* voluntatis, ii qui ab ipsâ voluntate fiunt, ut velle aut nolle ; *imperati* verò, qui ex voluntatis imperio fiunt ab aliis potentiis, ut visio et deambulatio. Itaque in his cogi potest voluntas, ut dum volenti currere ligantur pedes ; at in actibus elicitis omninò implicat coactionem aut violentiam ipsi inferri. Nam ad

hoc opus esset voluntatem cogi aut ad nolendum id quod vult; aut ad volendum id quod non vult. Utroque autem casu simul vellet ac nollet idem : quod omninò repugnat. Unde omnis voluntatis actus *spontaneus* est, seu *à coactione* liber, et solùm de secundâ libertate scilicet *arbitrii* est difficultas.

370 Conclusio : *Homo non ex necessitate vult, quæcumque vult ; sicque liberi arbitrii est.* Prob. 1° ex intimo sensu : Quilibet in se ipso experitur suam voluntatem sæpè ad opposita indifferentem esse : v. g. an loquatur vel non loquatur, an hæc vel illa : an sedeat vel non sedeat, an hìc vel illic ; nec aliundè determinationem provenire quàm à se ipso : ergo quilibet suæ libertatis conscius est. Loquor, manum iacto, sto, aut sedeo, quia id ex meâ ratione volo ; at cor et arteriæ velim nolim pulsant. Cùm nemo sit qui posteriores has motiones non habuerit mechanicas et *necessarias ;* nemo esse potest, nisi qui insanire velit, cui primæ non sint *liberæ.*

371 Hæc cùm adcò perspicua sint, dum nonnulli Philosophi ingenio præstantes habiti aliud persuadere nituntur, tam stupendæ insaniæ radix non in intellectu, sed in corde quærenda est. Scilicet quemadmodùm impius, Dei iusti ideam sustinere non potens, dixit in corde suo : Non est Deus ; non aliter ii qui vitam suam omni vitiorum genere coinquinatam non sine horrore ac rubore conspiciunt, suorum excessuum vellent non ab ipsis sed aliundè petendam esse rationem. Meritò igitur observat Genuensis parte III. append. ad c. 4. § 3. *eos Philosophos, qui tanta moliuntur, quibus liberum hoc arbitrium penès nos esse dubium faciunt, non id agere ut minùs simus liberi, sed ut nimis : ab omni enim nos regulâ abnormes, atque exleges efficere student.*

372 2° pr. conclusio ex omnium hominum consensu : Nam ubique gentium consiliis, exhortationibus, præceptis, prohibitionibus, præmiis et pœnis utuntur homines ; quæ omnia superflua essent ac perridicula, nisi homo liberi arbitrii foret. 3° ratione : Homo est rationalis : ergo liberi arbitrii. Cons^a prob. : Iudicium rationis circa aliquem particularem actum non est ex naturali instin-

ctu seu necessitatum, sed liberum: ergo si homo etc. Ant. prob.: Hoc iudicium non est determinatum ad unum, sed indifferens ad opposita: ergo. Ant. prob.: Quilibet particularis actus est contingens; sed in contingentibus ratio est indifferens ad opposita, ut patet in dialecticis syllogismis, et rethoricis persuasionibus: ergo.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

373 Obi. 1°: Voluntas in omni suo actu à Deo immediatè movetur; sed quod ab alio movetur necessitatem patitur: ergo voluntas necessariò vult et non liberè. Mai. prob.: Voluntas incipit agere post, cùm priùs non ageret, sicque ab alio movetur: ergo à Deo. Adde: Voluntas à Deo mota iam est determinata ut agat: ergo non est indifferens ut agat vel non agat, sicque nec libera. ℟. ad 1^m^ dist. min.: quod movetur ab alio movente virtute finitâ, transeat; movente virtute infinitâ, nego. Itaque Deus utpote virtutis infinitæ movet unumquodque secundùm modum suum, et causat non solùm rem, sed etiam rei modum. Unde in necessariis causat necessitatem, in contingentibus contingentiam, et in liberis libertatem. Hinc ad 2^m^ dist. ant.: est determinata determinatione causante libertatem, conc.; auferente, nego.

374 Obi. 2°: Omnes actus voluntatis nostræ sunt certò ac determinatè futuri: ergo non sunt contingentes ac liberi, sed necessarii. Ant. prob.: Deus præscientiâ suâ certò ac necessariò seu determinatè cognoscit actus omnes quos facturi sumus: ergo. ℟. dist. 2^m^ ant.: determinatè cognoscit actus nostros prout in se ipsis actu iam sunt, conc.; prout sunt in causâ, subdist.: prout in causâ primâ seu Dei decretis, conc.; prout in causâ secundâ seu nostrâ voluntate, nego. Itaque Deus scit nostram voluntatem non ad hos actus esse determinatam, sed indifferentem ad hos aut illos; sicque non determinatè præscit actus nostros quatenùs in nobis veluti in suâ causâ sunt.

375 Præscit tamen eos certò ac determinatè duplici viâ. Primò in suis decretis, à quibus omnes actus nostri

liberi infallibiliter dimanant. Secundò quatenùs ab æterno iam videt actus nostros in se ipsis. Cùm enim æternitas simul existens ambiat totum tempus, Dei cognitio, quæ mensuratur æternitate, fertur ab æterno suprà omnia prout sunt in suâ præsentialitate. Res autem etiam liberæ ac contingentes, ut actu sunt aut fuerunt, certò ac infallibiliter cognosci possunt, sicut cùm video Sortem sedere, et scio quod sederit. Unde Deus, cui omnia præsentia sunt, etiam libera certò ac infallibiliter cognoscit.

376 Obi. 3° : Motus mobilis necessariò consequitur ex movente; sed motus seu actus voluntatis est à suo obiecto seu bono apprehenso tamquam à movente : ergo necessarius est, et non liber. ℟. dist. mai. : si potestas moventis excedit vel adæquat possibilitatem mobilis, conc.; si non adæquat, nego : nam tunc influxus moventis impediri potest à mobili; sicque non ex necessitate sequitur motus mobilis. Et dist. min. : actus voluntatis est ab obiecto ut movente per *potestatem non adæquantem capacitatem voluntatis*, conc.; *adæquantem*, subdist : actus quo volumus bonum universale, conc.; bona particularia, nego. Itaque dum voluntas movetur ab aliquo particulari bono potest huius impulsum aut motum impedire; nam maior est voluntatis possibilitas, quàm boni particularis impulsus : siquidem voluntas ad universale bonum extenditur. Unde solùm istud, et quæ illi necessariò connectuntur, necessariò attrahunt voluntatem, cætera autem liberè.

377 Contrà : Quodlibet particulare bonum apprehensum necessariò movet voluntatem : ergo ruit solutio. Ant. prob. : Quodlibet bonum est causa sufficiens motûs voluntatis; sed positâ causâ sufficienti, effectus necessariò sequitur : ergo. Min. prob. : Si positâ causâ non necessariò sequitur effectus, signum est requiri aliquid aliud reducens de potentiâ in actum; sed tunc causa iam non est sufficiens : ergo. ℟. dist. 1^m min. : si causa impediri non potest, conc.; si potest, nego. Itaque licèt causa sufficiens sit, ita ut nihil aliud ad actum requiratur, adhuc non necessariò sequitur effectus, si causa impediri potest.

Causa autem, quæ facit voluntatem aliquid velle ab ipsâ voluntate impediri potest, ut sæpè experimur: [1] vel removendo considerationem, quæ inducit eam ad volendum, [2] vel considerando oppositum, scilicet quod hoc quod proponitur ut bonum, secundùm aliquid non est bonum. Quælibet enim res particularis sub variis aspectibus attacta, et bona et mala, et conveniens et inconveniens apprehendi potest.

378 Contrà: Boni apprehensi impulsus ad actum voluntatis voluntate impediri non potest, nisi aut cessatio actûs, aut actus contrarius ipsi ut meliora proponantur; sed hinc corruit libertas: ergo. Min. prob. 1°: Hinc sequitur voluntatem eligere non posse nisi id quod ut melius sibi actu proponitur: ergo necessariò eligit, sicque etc. 2°: Libertas exigit ut voluntas velut in perfecto æquilibrio posita, aut à nullo in alterutram partem inclinetur, aut inclinetur in utramque æquis viribus; sed id superiùs traditæ doctrinæ repugnat: ergo ex illâ corruit libertas. Mai. prob.: Nisi ita fiat determinatio et electio non erit à voluntate sed aliunde: ergo.

379 ℟. nego cons^{m}. Ad 1^{m} prob. conc. ant. Nam in homine nec libertas esse potest sine electione, nec electio sine consilio. Non enim voluntas, brutorum more, incerto impetu huc aut illuc fertur, sed ratione determinatur. Unde quoties duæ res sese ipsi obiiciunt, aut neutram eliget si æquæ proponantur, aut eam solam quæ melior actu proponitur. Nec tamen necessariò eligit; nam primò potest non eligere, removendo considerationem quæ inducit ad eligendum.

380 Secundò potest utrumlibet eligere; nam potest facere quòd mutetur consideratio intellectûs; et sic aut ex duobus æqualibus unum secundùm aliquam conditionem eminebit et flectet voluntatem; aut etiam illud quod antè proponebatur ut melius, proponetur posteà ut deterius. Ad 2^{m} nego mai. et ant. probationis. Imò voluntas in æquilibrio manens nunquam sese determinaret nec eligeret; nam determinatio esset effectus sine causâ, nisi in voluntate præcederet aliquid eam in alterutram partem inclinans, sicque æquilibrium auferens. Unde homo se

determinat per voluntatem, intellectu tamen dirigente.

381 Obi. ultimò: Quòd alia nobis videantur bona, alia mala, non est à libero iudicio sed à naturâ: ergo nec id quod volumus liberè volumus, sed naturaliter seu necessariò. Ant. prob.: Corporis nostri inclinationes seu qualitates non nobis liberæ sunt, sed naturales; sed ex his oritur quòd hæc bona, et illa mala videantur: ergo. Min. patet; *nam qualis unusquisque est, talis ei finis videtur*, ut ait Phil. III. Ethic.; et sanè eodem eventu biliosus mille iurgia excitabit, et flegmaticus conticescet. ℞. dist. min.: ex his oritur necessariò et absque iudicio rationis, nego; liberè seu cum rationis iudicio, conc. Nam sæpè contra vehementissimas corporis inclinationes operamur, ut dum ieiunamus premente fame: appetitus enim inferior obedit rationi. *Vid. D. Th. q.* 6. *de malo a. unic.*: 1. *p. q.* 82. *a.* 2.: *et* 83. *a.* 1.: *et* 1. 2. *q.* 13. *a.* 6.

§ III.

Quæ indifferentia requiratur ad libertatem?

382 Prænotandum est indifferentiam primò dividi in *obiectivam*, quòd scilicet obiectum proponatur potentiæ, ut indifferens ut sit volitum vel nolitum: et *in subiectivam* seu *formalem*, quòd nempè potentia ex parte sui determinata non sit ad obiectum acceptandum vel respuendum. Secundò in *contrarietatis* seu *quoad specificationem*, et *contradictionis*, seu *quoad exercitium*. Prima exigit quòd potentia indifferens sit ad actus contrarios, ut ad amorem et odium. Secunda verò quòd sit indifferens ad ponendum vel non ponendum eundem actum, ut ad amandum vel non amandum. Tertiò dividitur indifferentia in *physicam*, quæ est facultas agendi vel non agendi; et *moralem*, quæ est facultas agendi benè vel malè.

383 I^{a} conclusio: *Ad libertatem arbitrii nec requiritur indifferentia moralis, nec contrarietatis.* Prob. 1ª pars: Indifferentia ad malum non est de ratione liberi arbitrii: ergo. Ant. prob.: Liberum arbitrium non tendit in malum, nisi quia intellectus decipitur apprehendendo

illud ut sibi bonum; sed deceptio intellectûs non est de ratione liberi arbitrii : ergo. Unde ut ait Anselm. de lib. arb. c. unic.: *Nec libertas, nec libertatis pars est posse peccare,* sed est quoddam eius signum, sicut ægritudo est signum vitæ. Prob. 2ª pars: Solâ indifferentiâ contradictionis voluntas censetur sui iuris in ponendo actu, quem ponit non ex naturæ determinatione, sed quia vult ex proprii consilii directione : ergo. Prob. simul utraque pars : Deus, Christus, Beati perfectissimi arbitrii sunt; sed in ipsis nec est indifferentia ad malum, ut patet; nec *contrarietatis* in pluribus actibus; nam Deus non potest odio habere creationem mundi, nec Christus Beatos, nec hi Christum : ergo.

384 IIª conclusio : *Ad libertatem arbitrii requiritur indifferentia obiectiva.* Id est, ut voluntas libertate arbitrii feratur in obiectum, opus est quòd ipsi non proponatur ut omnimodè necessariò bonum et amabile, sed ut quadantenùs bonum, et quadantenùs à bonitate deficiens, vel quòd obiectum ita reapse sit, vel saltem quòd ita appareat. Prob. : Voluntas non est libera circa obiectum quod sibi proponitur sine indifferentiâ, seu ut omnimodè bonum : ergo. Ant. prob. : Non est libera circa obiectum in quod fertur naturali necessitate; sed ita fertur in obiectum apprehensum ut omnimodè bonum : ergo.

385 Probantur præmissæ, et primò mai. : Proprium liberi arbitrii est electio, seu quòd possit unum recipere alio recusato: est enim libertas arbitrii *ius regendi se ipsum et de propriis actibus disponendi :* unde liberi non dicimur nisi in iis actibus quorum domini sumus, ut sæpè observat D. Th. (q. 22. de Ver. a. 5: 1. p. q. 83. a. 3. etc.); sed hæc apertè pugnant cum naturali necessitate, seu cum necessariâ determinatione ad unum : ergo. Prob. nunc min. 1° : Omnis potentia de necessitate subiicitur suo adæquato obiecto, sicut visus non potest non videre colorem sibi præsentem; sed obiectum apprehensum ut omnimodè bonum est adæquatum obiectum voluntatis, ut patet : ergo. 2° : Movens, cui subiicitur tota possibilitas mobilis, ex necessitate causat motum; sed tota possibilitas voluntatis subiicitur bono apprehenso ut omnimodè

bono; nam ad nil aliud extenditur voluntas quàm ad bonum: ergo.

386 3°: Intellectus ex naturali necessitate assentitur primis principiis, imò et conclusionibus ex ipsis evidenter demonstratis: ergo etiam voluntas ex necessitate vult bonum apprehensum ut omnimodè bonum, quod aut est ipse finis, aut aliquid cum fine necessariò connexum. *Vid. D. Th.* 1. *p. q.* 82. *a.* 1: 1. 2. *q.* 10. *a.* 2: *et q.* 6. *de Malo a. un.* Et hinc colliges ad libertatem arbitrii requiri quoque indifferentiam *subiectivam* seu *formalem* ipsius voluntatis. Hæc enim indifferentia ita consequitur ad indifferentiam obiectivam, ut Theologi discipuli D. Th. communiter adstruant impossibile esse, quòd voluntas necessariò feratur ad obiectum sibi indifferenter propositum ab intellectu. Unde indifferentia obiectiva est adæquata causa radicalis libertatis; ita ut sine ipsâ non possit esse libertas, nec cum ipsâ non esse.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

387 Obi. 1° contra II^m: Omnis volitio est essentialiter libera; sed non omnis est cum indifferentiâ, ut patet in amore beatitudinis, et Dei clarè visi: ergo. Mai. prob.: Quod in nostrâ potestate est, liberum est; sed omnis volitio est essentialiter in nostrâ potestate: ergo. Min. pr.: Illud est in nostrâ potestate quod fit cùm volumus, et non fit cùm nolumus, ut sæpè ait Aug.; sed omnis volitio est talis ut patet: si enim nolimus non erit volitio sed nolitio: ergo. ℟. dist. ult. mai.: est in nostrâ potestate quod fit cùm volumus, ita ut *tota ratio* cur fiat potiùs quàm non fiat sit *quia volumus*, conc.; si ratio cur fiat non sit quia volumus, sed *quia ita sumus à naturâ determinati*, nego.

388 Itaque propositio illa D. Aug. sumenda est in sensu proprio, seu formali, id est quod ita sit in nostrâ potestate, ut ad illud feramur non naturali determinatione, sed quia volumus. Nam de eâ volitione ad quam à naturâ determinati sumus, solùm impropriè dici potest: *Fit si velimus, non fit si nolimus.* Nam potiùs dicendum: *Natura facit ut velimus, et ut non velle non possimus.* Ita

exponenda sunt plura D. Aug. testimonia : in aliis autem *liberum* sumit pro *voluntario ;* id est, pro libero *spontaneitatis , libentiæ , aut à coactione ,* non pro libero *arbitrio.*

389 Obi. 2°: Amor beatitudinis in communi est absque indifferentiâ ; sed est liber, ut sæpè innuunt Aug. et Th. : ergo. ℟. 1° dist. min. : est liber libertate *spontaneitatis seu naturalis inclinationis ,* conc. ; libertate *dominii et arbitrii ,* nego. ℟. 2° dist. etiam min. : est liber *quoad specificationem ,* nego ; *quoad exercitium ,* subdist. : si summum bonum in quo est beatitudo clarè proponatur voluntati, nego ; sin minùs, conc. Voluntas enim ex naturali suâ conditione determinatur ad amandum summum bonum seu beatitudinem ; et ideò non est libera quantùm ad speciem actûs, quem debet habere circa illud ; hic necessariò debet esse amor. Sed quantùm ad actuale exercitium illius actûs, voluntas non est naturaliter necessitata pro omni statu ; sed solùm quando summum bonum evidenter sibi proponitur ab intellectu ut in Beatis : tunc enim naturali impetu in illud voluntas rapitur.

390 Contrà : Beati sunt liberi quoad exercitium ad amandum Deum : ergo ruit solutio. Ant. prob. : Ut ait D. Th. 1. 2. q. 10. a. 2. et alibi *:* Voluntas à nullo obiecto necessitatur quoad exercitium : ergo. ℟. 1° D. Th^m. loqui de eo statu voluntatis quo potest avertere considerationem summi boni, sicque non de Beatis. ℟. 2° dist. ant. : voluntas quoad exercitium non necessitatur ab obiecto, necessitatur tamen à suâ naturâ, conc. ; nec à suâ naturâ, nego. Itaque obiectum solùm movet per intellectum ; intellectus autem solùm movet voluntatem quoad specificationem ; ad exercitium enim actûs ipsa movetur vel à se, vel à propriâ naturâ, vel à Deo solo. *A se* in electione liberâ : *à suâ naturâ* in volitione obiecti adæquati : *à Deo* solo in primis motibus. Unde si propriè loquamur ab obiecto solùm est necessitas quoad specificationem ; et necessitas quoad exercitium est vel ab ipsâ naturâ voluntatis vel à Deo.

ART. VI.

DE HABITIBUS SPIRITUALIBUS.

391 Prænotandum est 1° ex *Log. Instit.* à n. 244, habitum propriè sumptum duo importare, scilicet diuturnitatem seu immobilitatem quamdam, et quòd substantiam ad plura indifferentem ad unum determinet. Item, duo esse habituum genera, primum ordinatorum ad formam, naturam, vel esse: secundum ordinatorum ad operationem. Prænotandum est 2° in rebus inanimatis imò et in irrationalibus solùm esse habitus impropriè dictos, non autem proprios, nec primi generis, nec secundi. Non primi; nam si qua est in ipsis qualitas, quæ disponat ad conservationem naturæ seu esse, ut sanitas, cùm sit ex se facilè transmutabilis, potiùs dicenda est *habitualis dispositio* quàm *habitus*. Nec secundi; nam inanimata et irrationalia ad unam operationem sunt determinata, sicque non requiritur habitus quo determinentur ad operandum: ignis enim v. g. determinatus est ad comburendum, et in bruto quælibet potentia naturali instinctu fertur ad suum actum.

392 Prænotandum est 3° in hominibus, utpote habentibus voluntatem, esse habitus secundi generis propriè dictos; nam cùm indifferentes sint ut potentiis suis benè vel malè utantur ad operandum, ideò sunt in iis habitus quibus determinentur. Quoad habitus verò ordinatos ad formam vel naturam, si loquamur de naturâ humanâ, nullus est in homine habitus propriè dictus. Nam qualitates quæ disponunt ad conservandam naturam humanam, ut sanitas, propriè dispositiones sunt, non habitus. Recipitur tamen in ipsâ essentiâ animæ humanæ quidam propriè dictus habitus, eam disponens in ordine ad naturam superiorem, scilicet gratia habitualis, qua fit anima particeps Divinæ naturæ, ut docent Theologi.

393 Prænotandum est 4° quòd licèt in belluis nulli sint proprii habitus, in homine tamen etiam penès sensitivam partem sunt habitus proprii; quatenùs vires om-

nes sensitivæ subiacent rationi. Appetitus enim sensitivus movetur à rationali; et sensus interni, licèt ab ipsis sumat species intellectus, etiam moventur ex imperio rationis: unde per habitum fit homo benè memorativus, vel cogitativus, vel imaginativus. In sensibus autem externis, utpote naturâ suâ ordinatis ad actus determinatos, sicut etiam in membris corporis, solùm datur habitus secundariò et impropriè, quatenùs sensus aut membrum assuetudine fit promptius ad operandum; propriè enim habitus est in viribus imperantibus ipsorum motum. Unde habitus scribendi v. g. est primariò in imaginatione et intellectu, et solùm secundariò in manibus. *D. Th.* 1. 2. *q.* 49. *et* 50.

394 Prænotandum est 5° nullum habitum esse nobis à naturâ inditum, sed aut à Deo infusum, si est supernaturalis, aut nostris actibus acquisitum, si sit naturalis. Quòd si habitus pertineat ad appetitum, non nisi pluribus actibus acquiretur; sin autem pertineat ad intellectum, aut acquiretur pluribus actibus, si sit opinio: aut etiam unico, si sit scientia; nam in evidentibus unico actu totaliter vincitur ac determinatur intellectus. *D. Th. ib. quæst.* 51. Prænotandum est 6° habitus alios esse *spirituales*, illos scilicet qui aut in intellectu aut in voluntate immediatè recipiuntur; alios *materiales*, qui sunt in sensibus internis, aut in appetitu sensitivo. De utrisque dubium est, an in solius cerebri vestigiis aut irritabilitate consistant; an in aliquâ inhærente qualitate? De materialibus agant Physici: de spiritualibus mox quæremus.

395 Prænotandum est 7° inter habitus intellectûs alios dici *virtutes*, scilicet intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam et artem, quæ quid sint in *Log. Inst.* n. 42. dictum est: alios *vitia*, nempè errores: alios *indifferentes*, scilicet opinionem, et fidem humanam; quamquam nec *vitia* nec *indifferentes* propriè habitus sint, cùm firmis principiis non innitantur (*Log. Inst. n.* 245). His ita constitutis inquirendum superest, an habitus spirituales sint qualitates menti inhærentes, an sint simplices, et quomodò ad invicem distinguantur? Ut tamen clariùs

procedamus, quæstionem hanc, ut Rhetorici aliquando solent, de infinitâ ad finitam, seu de thesi ad hypothesim reducentes, de solâ scientiâ primò tractabimus, unde postea quæ ad alios habitus pertineant facili negotio colligemus. Sit ergo

§ I.

An scientia sit mentis qualitas, et simplex?

396 Prænotandum est 1° contra Scepticos, *esse veras scientias*, seu evidentes ac certas cognitiones demonstratione adquisitas; nam (n. 36) plura certò ac evidenter cognoscimus, ex quibus alia non minùs certò ac evidenter demonstrando colligimus; ut omnes homines esse maiores suis brachiis, ex eo quòd omne totum sit suâ parte maius. Prænotandum est 2° contra Platonicos, *scientiam non esse reminiscentiam*, sed novam omninò cognitionem et novum omninò habitum ex cognitione adquisitum. Ideò namque Platonicorum scientia erat reminiscentia, quia rerum omnium ideas menti sentiebant ingenitas; ut proinde cùm sensuum ministerio aliquid cognoscimus, non nova cognitio seu scientia adveniat, sed vetus ac præexistens renovetur. Cùm igitur ex suprà dictis à n. 301. innatarum idearum systema corruerit, funditùs corruat necesse est hæc Platonicorum opinio illi superædificata.

397 Prænotandum est 3° actum scientiæ seu actualem cognitionem esse abs dubio aliquid ipsius intellectûs; nam cogitatio seu cognitio nequit esse actus alicuius potentiæ corporeæ, sed solius spiritualis, sicque intellectûs. Unde præsens difficultas solùm est de habitu scientiæ seu scientiâ habituali, id est de illâ aptitudine, dispositione, aut facilitate quam in nobis post actualem cognitionem remanere experimur, ut faciliùs quàm antè similes actus eliciamus. Sic posteaquàm aliquis propositionem mathematicam demonstravit, faciliùs quàm anteà, iterum eandem demonstrat, aut etiam alias similes. Hæc igitur facilitas cognoscendi aliqua per demonstrationem vocatur

habitus scientiæ seu *scientia habitualis*; et de hac inquirimus an in ipso intellectu sit, an in cerebro.

398 I^a^ conclusio: *Scientia habitualis est qualitas intellectui inhærens.* Prob.: Scientia habitualis est aliquid existens in ipso intellectu, et non in cerebro: ergo. Cons^a^ patet; nam habitus scientiæ non est aliqua substantia menti adveniens, ut nimis evidens est; est igitur mentis accidens; et accidens, quod intellectum indifferentem ut cognoscat verè vel falsò, clarè vel obscurè, determinat ac disponit, ut facilè perveniat ad claram et veram rei cognitionem; accidens autem quod ita determinat subiectum est qualitas (*Log. Inst. à. n.* 241). Ant. verò prob.: Scientia habitualis est facilitas ex actuali cognitione seu actu scientiæ remanens ad similes actus faciendos; sed hæc facilitas in ipso intellectu existit: ergo.

399 Min. prob.: Ex actu scientiæ aut nulla remanet facilitas ad similes actus, aut certè remanet et existit in illâ potentiâ, subiecto, aut vi, quæ primum actum elicuit; sed nemo ambigit actualem cognitionem elici ab intellectu: ergo. Adde primò quòd in ipso intellectu post actualem cognitionem remanent species, quibus facta est: ergo etiam remanet in ipso facilitas ad similia cognoscenda, sicque scientia habitualis. Adde secundò quod si in cerebro essent habitus, et non in intellectu, in animâ separatâ nulla maneret scientia in viâ adquisita, contra id quod Theologi communiter sentiunt.

400 II^a^ conclusio: *Scientia habitualis est qualitas simplex;* idest, non composita ex pluribus partibus, sicut quantitas. Prob. 1°: Scientia est perfectio recepta in intellectu; sed intellectus est aliquid simplex, ut patet: ergo etiam scientia. Cons^a^ prob. 1°: Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur: ergo. 2°: Omnis perfectio proportionatur cum suo perfectibili: ergo si etc. Prob. 2° conclusio: Licèt scientia eliciat plures actus et plura respiciat, omnia tamen ordinat ad aliquod unum, scilicet ad specialem rationem obiecti, v. g. Logica omnia ordinat ad demonstrationem, Metaphysica ad ens reale in communi, etc.; sed hoc sufficit, ut sit una simplex qualitas: ergo est.

401 Min. prob. : Licèt potentia visiva varios actus eliciat, et varios colores attingat ; quia tamen omnes attingit ut conveniunt sub unâ ratione coloris, non est multiplex sed simplex ; non enim ponitur una pars potentiæ visivæ ad videndos colores albos, alia ad nigros : una ad videndum luce solis, alia lumine ignis etc. Idem argumentum fieri potest exemplo cuiuslibet potentiæ. Et hinc colliges, quòd nedum scientiæ, sed etiam alii habitus intellectuales, imò omnes omninò habitus, sunt qualitates simplices, ut probat D. Th. 1. 2. q. 54. a. 4 : tum quia omnes sunt perfectiones alicuius potentiæ, et omnis potentia est simplex ; tum etiam quia omnia ordinant ad aliquam specialem rationem obiecti.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

402 Obi. 1° contra Im : Si scientiæ forent qualitates intellectûs, scientia semel habita nunquam periret ; sed ægritudine, oblivione, et aliis causis sæpè experimur eas scientias periisse quas antè habuimus : ergo. Mai. prob. : Intellectus est immaterialis, sicque incorruptibilis et inalterabilis ; sed habitus solùm perit ex corruptione aut alteratione subiecti : ergo cùm scientia sit habitus, etc. ℟. dist. 2m min. : perit solùm *per accidens*, conc. ; *per se*, nego. Itaque habitus aut perit ex defectu subiecti, et tunc dicitur corrumpi *per accidens*; aut ex causis sibi contrariis, et tunc dicitur corrumpi *per se*. Scientia igitur licèt nunquam corrumpatur *per accidens*, corrumpitur tamen *per se* à repetitis actibus erroneis in eâ materiâ circa quam scientia versatur : error enim est contrarius scientiæ.

403 At observari oportet 1° quòd sæpè scientia corrupta videtur, et non est. Cùm enim, sicut omnis cognitio, in usu suo pendeat à phantasmatibus ; his turbatis aut deletis, quod ægritudine aut oblivione fit, scientia in usu suo impeditur seu actum elicere nequit : unde corrupta apparet. Dummodò tamen nullus actus erroneus scientiæ oppositus eliciatur, scientia ipsa manet ; et illâ utetur mens simulac à corpore separata cognoscet absque conversione ad phantasmata. 2° quòd si propriè loqua-

mur, scientia nunquam perit *solâ cessatione actuum ;* hac tamen disponitur ut pereat, quoniam cessantibus actibus scientiæ, faciliùs labitur intellectus in actus erroneos, qui corrumpant scientiam.

404 Obi. 2° contra II^{m} : Primus actus, vel prima demonstratio facta in materiâ alicuius scientiæ iam producit habitum scientiæ (n. 394); sed pari iure secunda demonstratio, et item tertia et cæteræ producunt novos habitus : ergo scientia non simplex, sed ex pluribus composita est. Min. prob. : Secunda (idem dic de aliis) est eiusdem virtutis ac prima ; nam etiam necessariò trahit intellectum : ergo. ℟. concesso ult. ant. nego cons^{m}. Quòd enim secunda demonstratio et sequentes non generent habitum non est ex defectu virtutis, sed quia habitum productum supponunt per primum. Sicut Sacramentum Pœnitentiæ licèt sufficienti vi polleat ad causandam primam gratiam, hanc sæpè non causat, quòd productam supponat.

405 Contrà : Frustrà est potentia quæ non reducitur ad actum : ergo frustrà est in secundo actu vis causandi habitum, si illum non causat. ℟. dist. ant. : quæ non reducitur ad actum defectu sui, conc. ; eò quòd supponat terminum productum, nego ; præcipuè si terminum ipsum perficiat, sicut secundus actus perficit habitum productum per primum. Patet exemplo adducto. Contrà : Hæc nova perfectio fit productione novi habitûs : ergo ruit solutio. Ant. prob. : Secunda demonstratio perficit habitum præexistentem producendo in intellectu aliquid per quod redditur facilis circa secundam conclusionem ; sed hoc est habitus : ergo.

406 ℟. dist. mai. : producendo aliquid quod sit nova entitas habitûs, nego ; quod sit novus modus eiusdem entitatis habitûs præexistentis, conc. Hoc est, facit 1 habitum præexistentem extendi ad secundam conclusionem, ad quam priùs non extendebatur ; 2 et facit etiam habitum firmiùs inhærere seu radicari in intellectu, aut ab ipso perfectiùs participari, ut ait D. Th. 1. 2. q. 52. a. 2. Hinc colliges, quòd Philosophus incipiens mediâ primâ demonstratione circa res Logicas v. g. habet totam *en-*

titatem habitûs Logicæ, sicut ipse Arist., quamvis huius Logica maiori *extensione* gaudeat, seu ad plura sit extensa. Id quod aliquatenùs illustrari potest exemplo animæ infantis, et viri perfecti.

§ II.

DE DIVERSITATE GENERICA ET SPECIFICA SCIENTIARUM.

407 Prænotandum est 1° quòd cùm triplex sit rerum unitas aut diversitas, generica, specifica, et numerica, de diversitate numericâ scientiarum nil occurrit disputandum. Cùm enim scientia sit accidens, et unitas numerica accidentis sumatur à subiecto (n. 128), tot sunt scientiæ v. g. Logicæ numero distinctæ, quot sunt personæ habentes. Prænotandum est 2° habitus (idem dic de potentiis) esse propter actus, sicut actus propter obiecta: atque adeò eorum diversitas essentialis tàm generica, quàm specifica desumi debet ab obiecto. *Ab obiecto*, inquam, non in *esse entis*, sed in *esse obiecti*; id est, in esse cognoscibilis, si habitus sint cognoscitivi, et in esse appetibilis, si appetitivi sint: non enim ordinantur ad obiecta ut in se sunt, sed ut cognosci possunt aut appeti. Hinc idem obiectum in esse entis, v. g. terra, prout variis modis cognoscitur, pertinet ad Metaphysicam, Physicam, et Mathematicam: et è contrario plura in esse entis toto genere diversa, ut substantia et accidens, conveniunt in eâdem specificâ ratione obiecti Metaphysicæ.

408 Prænotandum est 3°, quòd unitas et diversitas *generica* obiecti scientiarum in esse cognoscibilis seu in esse obiecti sumitur ab abstractione à materiâ; *specifica* verò à principiis. Declaratur 1^m: nam scientiæ solùm sunt universalium, seu abstractorum à materiâ, atque adeò quò obiectum abstractius à materiâ est, eò est perfectius in esse obiecti. Hæc autem perfectio et essentialis est, et generica. *Essentialis*, quoniam ut aliquid sit obiectum scientiæ essentialiter exigitur quòd universale sit. *Generica* verò, quoniam etiam convenit obiectis aliorum habituum, v. g. obiecto *intelligentiæ*.

409 Declaratur nunc 2^{m}: Scientia solùm est de demonstratis, idque essentialiter exigit, atque per id ab aliis habitibus differt : unde differentia essentialis, et specifica scientiæ sumitur ex hoc quòd sit de demonstratis seu demonstrabilibus ; atque adeò obiectum scientiæ fit unum specie in esse obiecti, seu in esse cognoscibilis, quatenùs demonstrabile est. Id est, sicut prædicatum genericum obiecti scientiarum est quòd sit *cognoscibile* ab intellectu, seu *universale ;* ita prædicatum specificum est, quòd sit *ita cognoscibile*, seu *demonstrabile.* Demonstratur autem per principia : unde à principiis repetenda est unitas specifica obiecti scientiarum in esse obiecti. Atque hinc

410 I^{a} conclusio : *Diversitas generica scientiarum sumitur ex diversitate abstractionis à materiâ, quam dicit obiectum scientificum.* Prob. : Unitas et diversitas scientiæ sumitur à suo obiecto in esse obiecti ; sed unitas generica obiecti in esse obiecti sumitur ab abstractione à materiâ : ergo. Atque hinc triplex scientiarum genus distinguïtur. Triplex enim est elevatio supra materiam, seu abstractio à materiâ, nempè à materiâ singulari, à materiâ sensibili, et à materiâ intelligibili. Prima est cùm res materiales ac sensibiles considerantur in universali, v. g. ratio coloris in communi. Et prior iste gradus constituit inferius seu primum genus scientiarum, scilicet abstrahentium tantùm *à materiâ singulari,* ut Physica et Medicina, quæ ipsas sensibiles mutationes in communi considerant.

411 Secunda abstractio est earum rationum, quæ considerantur nedum absque omni singularitate, sed etiam ut ab accidentibus sensibilibus separatæ ; ut circulus et linea à Geometrâ attinguntur, quin attendat an alba vel nigra sint, dura vel mollia. Et iste gradus abstractionis constituit secundum genus scientiarum, scilicet abstrahentium etiam *à materiâ sensibili,* ut Mathematicæ. Tertia abstractio est earum rationum seu formalitatum ita elevatarum, ut possint attingi aut etiam esse sine omni materiâ, etiam sine quantitate, quæ dicitur *materia intelligibilis,* quoniam solâ mente perfectè percipitur. Si-

cut Metaphysicus considerat veritatem, bonitatem, et alia in quibus nulla involvitur materia, cùm etiam rebus spiritualibus conveniant. Et hinc est tertium scientiarum genus *ab omni materiâ* abstrahentium, quales sunt Metaphysica et Logica. Ab his autem tribus naturalium scientiarum generibus Theologia, quæ supernaturalis est, toto cœlo distinguitur.

412 II[a] conclusio: [1] *Unitas specifica scientiæ sumitur ab unitate principiorum;* [2] *unitas autem principiorum attenditur ex eorum subordinatione ad unum primum in quod alia resolvuntur.* Prob. 1[a] pars: Unitas specifica scientiæ sumitur ab unitate specificâ obiecti, ut talis; sed hæc sumitur ab unitate principiorum: ergo. Prob. 2[a]: Principium subordinatum alteri desumit ab ipso virtutem, id est evidentiam et certitudinem: ergo ubi sunt plura principia sub uno gradatim ordinata non est nisi unica virtus, et unum lumen in diversos veluti radios propagatum, ac proindè una ratio formalis, seu una forma à qua sumitur species. = Advertas autem quòd cùm principium exactæ demonstrationis sit definitio (*Log. Inst. n.* 358) primum principium cuiuslibet scientiæ est definitio sui præcipui obiecti, seu illius rationis sub qua comprehenduntur seu à qua pendent omnia, quæ in scientiâ tractantur: hæc enim definitio à scientiâ non demonstratur (ib. n. 359); imò ex ipsâ demonstrantur obiecti proprietates, et sic quadam catenatâ serie omnia quæ in scientiâ tractantur.

413 Sic in Logicâ ex definitione demonstrationis infertur, quòd intellectum cogat ad assensum, et scientiam causet. Imò ex ipsâ definitione deducitur, esse terminos universales, esse propositiones, et alia quæ Logica exponit, et ex quibus expositis ipsius demonstrationis proprietates clariùs innotescunt. Sic etiam in Arithmeticâ ex numeri definitione demonstratur posse numeros addi, aut ab invicem subtrahi, idque variis modis; quæ dum Arithmetica persequitur, ad ipsius numeri clariorem intelligentiam pervenit; ut proindè in omni scientiâ et definitio obiecti sit primum principium certitudinis scien-

tiæ, et expositio proprietatum obiecti sit ultimus finis ad quem scientia ordinatur.

414 Dum autem definitionem obiecti dicimus esse primum certitudinis ac cognitionis principium in scientiâ, solùm contendimus, quòd si reflexâ meditatione singula perscrutemur quæ in scientiâ pertractantur, inveniemus ex definitione scientiæ oriri, et *quòd sint cognita à scientiâ*, et *quòd sint certò cognita.* Quin tamen ad hoc opus sit, quòd in omni scientiæ demonstratione ad definitionem obiecti expressè et immediatè attendamus; sicut de primo omnis cognitionis principio n. 73 dictum est.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

415 Obi. contra II^m: Logica v. g. est una scientia in specie; sed in ipsâ sunt plura principia v. g. definitiones ipsius definitionis, divisionis, et argumentationis: ergo. ℟. dist. min.: plura principia inconnexa et insubordinata, nego; connexa et subordinata ad unum à quo omnia pendent, conc. Nam hæc omnia principia pendent nedum à modo sciendi in communi, sed præcipuè à demonstratione, ad quam omnia logicalia ordinantur *(Log. Inst. à n.* 38 *)*. = Contrà: Plures sunt scientiæ specie diversæ, quarum principia subordinata sunt alteri principio: ergo ruit solutio. Ant. prob.: Arithmetica et Geometria specie differunt; sed earum principia, nempè numerus et linea, aut eorum definitiones, subordinantur quantitati in communi sub qua comprehenduntur: ergo.

416 ℟. dist. min.: et tamen nec Arithmetica nec Geometria agunt de quantitate in communi, conc.; et agunt, nego min. et dist. cons.: sunt scientiæ specie diversæ, quarum principia subordinata sunt alteri principio, *de quo agant ipsæ scientiæ*, nego; *quod sit extra earum limites,* conc. Itaque subordinatio principiorum solùm causat unitatem scientiæ, dum est intra illius limites, seu dum scientia agit de illo principio cui alia subordinantur: sicut Logica agit de demonstratione à qua cætera pendent. At Geometria agit de solâ quantitate continuâ, quæ non pendet à discretâ: sicut Arithmetica de solâ discretâ, quæ non pendet à continuâ: neutra verò agit de quantitate in

communi. Unde earum principia, dum intra ipsas manent, insubordinata sunt, sicque diversas specie scientias constituunt.

417 Contrà: Hinc sequitur Metaphysicam non differre specie ab aliis scientiis; sed hoc est absurdum: ergo. Mai. prob.: Principia omnium scientiarum reducuntur ad ens reale in communi, et ex eius definitione probantur; sed Metaphysica agit de ente reali in communi: ergo si hæc subordinatio sufficit ad unitatem specificam scientiæ etc. ℞. dist. 1^m^ mai.: non differre specie *tantùm* ab aliis, conc.; specie *et simul genere*, nego. Nam Metaphysica cum nullâ aliâ scientiâ convenit in abstractione, sicque genere differt ab omnibus. Subordinatio autem principiorum solùm causat unitatem specificam scientiæ, dum est intra idem genus, seu sub eâdem abstractione.

418 Sit exemplum: Dum Metaphysicus per sua principia agit de rebus ab omni materiâ abstractis habet unicam scientiam. At si principia nascentia ex Metaphysicâ applicat materiæ sensibili, utpote mutans abstractionem, format novam scientiam in novo genere, scilicet Physisam. *Vid. D. Th.* 1. *Post. Lec.* 41. Contrà: Ergo Logica et Metaphysica non differunt specie. Prob. cons^a^: Primò non differunt genere; sed deindè principia Logicæ reducuntur ad principia Metaphysicæ: ergo. Mai. prob.: Habent eandem abstractionem, scilicet ab omni materiâ: ergo. ℞. dist. mai.: non differunt genere *proximo*, nego; *remoto*, conc.

419 Licèt enim utraque abstrahat ab omni materiâ, nihilominùs in ipsâ abstractione differunt. Nam Logica abstrahit ab omni materiâ abstractione *negativâ propter obiecti imperfectionem*; id est attingit suum obiectum præscindendo ab omni materiâ, quia obiectum, scilicet ens rationis, re ipsâ ob summam imperfectionem omni materiâ caret. Metaphysica verò aliquando abstrahit *abstractione positivâ,* hoc est præscindit à materiâ ea obiecta, quæ re ipsâ materialia sunt. Et quando attingit entia spiritualia, abstrahit quidem *negativè*, quia spiritus materiam non habent; hoc autem est ex ipsorum spirituum

perfectione, et non ex imperfectione ut in ente rationis. Unde Logica et Metaphysica differunt abstractione, sicque genere.

420 Pro coronide scias 1° variè dividi scientiam. 1° in *speculativam,* quæ sistit in contemplatione veritatis, ut Metaphysica; et *practicam,* quæ suas veritates ordinat ad opus ut Philosophus moralis contemplatur naturam virtutis, ut meliùs vivat et operetur. 2° in *subalternantem*, et *subalternatam.* Scientia subalternata est quæ desumit sua principia ex conclusionibus superioris scientiæ. Subalternans verò est illa superior scientia ex qua desumit inferior sua principia. Sic Medicinæ principia probantur in Physicâ, et Musicæ principia probantur in Arithmeticâ. 3° in *supernaturalem* quæ procedit per principia divinitùs revelata, et dividitur in Theologiam Beatorum, et Viatorum; et *naturalem*, quæ de rebus lumine naturali cognoscibilibus agit.

421 Rursùs naturalis dividitur in *realem* et *rationalem.* Hæc videtur esse unica, scilicet Logica; nam Rhetorica et Grammatica deficiunt à ratione scientiæ, et potiùs inter artes sermocinales numerandæ sunt. *Realis* dividitur in *Metaphysicam*: *Physicam*, quæ sub se continet *Medicinam*: *Moralem*, quæ sub se continet *Politicam*, *Oeconomicam*, et *Iurisprudentiam*; et *Mathematicam,* quæ dividitur in *Geometriam* et *Arithmeticam.* Hæc sub se continet *Musicam*, quæ respicit proportiones numericas et sonoras: Geometria verò continet *Astronomiam*, *Cosmographiam*, etc.

422 Scias 2° omnes habitus spirituales esse qualitates simplices receptas aut in intellectu, si sint cognoscitivi, aut in voluntate, si appetitivi. Scias 3° quòd prudentia et ars in materiâ maximè conveniunt: est enim utraque circa aliquid contingens, scilicet actiones et factiones particulares. In ratione tamen virtutis valdè differunt; nam rectitudo voluntatis est de ratione prudentiæ, et non de ratione artis, adhuc liberalis. Est enim recta seu bona oratio grammaticalis, licèt de Deo blasphemet; bona serra vel cultellus, licèt ex irâ aut avaritiâ facta sint. Unde quando prudentia definitur: *Recta ratio agibilium*,

to *recta* intelligendum est de rectitudine voluntatis, seu de rectâ ordinatione ad ultimum finem : dum verò ars definitur : *Recta ratio factibilium,* to *recta* intelligendum est de rectitudine operis iuxta artis regulas, præscindendo tamen à rectitudine voluntatis. Et hinc prudentia differt etiam ab artibus liberalibus.

ART. VII.

DE UNIONE ANIMÆ CUM CORPORE.

423 MIRABILIS hæc unio, qua ex substantiis duabus valdè inter se dissitis, spiritu nempè et corpore constituitur homo, quamquam comprehendi omninò non possit, digna planè est, ut quantum assequi possumus, ad eam explicandam nitamur. Itaque sequentibus paragraphis agemus 1° de mutuo inter corpus et animam vi huius unionis commercio; 2° de unionis naturâ; 3° de animæ in singulis hominibus unitate; et tandem de corporeo situ, ubi anima residet.

§ I.

An systema influxûs physici sit rationi, ac religioni conformius systematibus causarum occasionalium, et harmoniæ præstabilitæ?

424 Animam rationalem unitam esse humano corpori dum vivit, nemo sanæ mentis dubitare potest. [1] Nam ex rerum etiam abstractissimarum meditatione defatigatur corpus sensimque languescit; et vicissim ex corporis ægritudine animus ipse videtur torpescere, et esse minùs ad intelligendum aptus. [2] Anima, dum voluerit, manus, pedes attollit, totum corpus aliò transfert; et corpus etiam nedum voluptatem et dolorem excitat in animâ, sed plerumque, ut in vehementi dolore, mentem ita efficaciter movet, ut non sinat de aliis cogitare. Hanc mutuam unionem, seu hoc animæ et corporis commercium, experimur omnes : at quinam sit huius unionis seu commercii mo-

dus, in dubium vertitur. Ante sæculum decimum septimum ea invalescebat opinio, animam physicè movere corpus, et vicissim corpus reapse influere in animam; et hoc est systema *influxûs physici.*

425 At plures recentiores Philosophi, ut mirandam relationem, quam inter actiones corporis et animæ conspicimus, absque unius in alterum influxu exponerent, duo præcipuè systemata excogitarunt. Malebranchius et aliqui Cartesiani omnium actionum seu motuum animæ et corporis Deum constituunt immediatam et unicam causam; et aiunt, Deum ex occasione motuum corporis producere cogitationes et volitiones in animâ, et ex occasione cogitationum et volitionum animæ producere motus in corpore. Atque adeò relationis, quæ datur inter actiones animæ et corporis, ista non sunt causæ *physicæ*, sed solùm occasio seu causæ *occasionales*; et hinc systema istud appellari solet *causarum occasionalium.*

426 Leibnitzius actiones animæ concedit ab ipsâ animâ causari, et etiam motus corporis ab ipso corpore; ita tamen ut semper actio seu motus præcedens sit ratio sufficiens actionis et motûs immediatè sequentis. Contendit tamen nullum esse aut animæ in motus corporis, aut corporis in actiones animæ influxum; sed sicut duo horologia in motibus exactè consentiunt, quin unum moveat alterum: ita corpus et anima sunt duæ machinæ à Deo ita accuratè et exactè elaboratæ, ut inter cogitationes ab animâ et nullo modo à corpore provenientes, et motus à corpore et nullo modo ab animâ causatos, admirabilis harmonia elucescat. Et hoc systema dicitur *harmoniæ præstabilitæ*. Hæc duo systemata paucis impugnabimus; præcipuè cùm ab ipsis Recentioribus iam nunc parvi fiant. Nostrum deindè statuemus.

427 I^a^ conclusio: *Systema causarum occasionalium rationi ac religioni repugnat.* Prob. 1^a^ pars: Ratio apertè distinguit eas actiones quas physicè causamus ab iis quarum moralis tantùm causa sumus; nemo siquidem est quamtumvis stultus qui non advertat, quid intersit inter movere baculum propriâ manu, et edicere alteri, aut eum orare ut moveat; sed in hoc systemate nullum esset

inter has actiones discrimen : ergo. Min. patet ; nam in utrisque anima solùm esset occasio, ut à Deo immediatè fierent, v. g. ut baculus à Deo solo immediatè moveretur. = Reponent forsan, nullas esse animæ *actiones* sed omnes esse *passiones* ; cùm cogitationes et volitiones à Deo *in ipsâ* fiant, non *ab ipsâ*. At contrà : Ergo in animâ nostrâ nulla est vis activa : ergo solùm capax est ut moveatur, non ut se moveat : ergo in nobis nec vita est nec anima ; siquidem animata et viventia eatenùs à non viventibus distinguimus, quatenùs hæc solùm ab extrinseco agente moventur ; at viventia intra se habent activum suorum motuum et actionum principium.

428 Prob. 2ª pars, et simul confirmatur 1ª : In hoc systemate perit animæ libertas : ergo et rationi et religioni adversatur. Ant. prob. : Primò nulla est animæ libertat in actiones corporis, si nullum habet anima in corpus imperium. Deindè nec in suis actibus est libera, si non ipsa cogitationes et volitiones producit, sed ex occasione motionum corporis eas *in ipsâ* producit Deus. = Reponent, actionum corporis esse animam causam moralem seu occasionalem, licèt non physicam ; et in actibus propriis esse liberam, quoniam libertatem habet qua suas voluntates moderetur. Hæc illi. At contrà 1° : Sublato ab animâ principio activo, eodem omninò modo se habet anima ad motus corporis, sicut corpus ad cogitationes animæ ; sed nemo adeò insigniter deliravit, ut corpus dicat esse *liberam* moralem causam cogitationum animæ : ergo nec anima est libera moralis causa actionum corporis.

429 2°: *Moderari voluntates suas* aut nil aut actionem quamdam significat : ergo ridiculum est excludere ab animâ principium actionis seu activum, et ponere libertatem, qua *moderetur voluntates suas*. Itaque duplici sensu potest systema causarum occasionalium intelligi. Primò ut voluntas neque suorum actuum sit principium activum. Secundò ut voluntas sit vera causa suarum volitionum, licèt non sit nisi occasio actionum corporis. Prior sensus apertè ponit liberum arbitrium non activè, sed merè passivè se habere, sicque apertè incidit in damnationem Can. 4. Ses. VI. Concilii Tridentini.

430 Posterior sensus religione tolerari poterit; at primò totius systematis fundamenta penitùs corruent, simulac non Creator modò, sed creatura etiam, quin creet, actiones et motus aliquos verè causat. Secundò si anima est vera causa suarum volitionum, cur non etiam suarum intellectionum? Cur non item actionum corporis? An quia spiritus? At Deus spiritus agit in corpora. An quia creatura? At ipsa anima licèt creatura causat suas volitiones. Ergo moderatus iste sensus, quo anima dicitur vera causa suorum actuum, et non nisi occasionalis actuum corporis, et omninò gratuitus est, et parùm sibi constans. Quo autem ex his duobus sensibus suum systema Malebranchius statuerit: an nempè animam velit suas volitiones efficere, an solùm pati, expendere non vacat utilia sectantibus. Rigidum seu magis libertati adversum ipsi tribuunt sensum passim auctores. Videatur Hauserius *in Element. Philos. tom. 3. à n.* 419.

431 II^a conclusio: *Systema harmoniæ præstabilitæ et ridiculum est, et ad summa incommoda ducens.* Prob. 1^a pars: In hoc systemate etsi statim ac aliquis homo v. g. Iulius Cæsar genitus est, eius mens seu anima in nihilum esset redacta, corpus sine animâ eadem et bello et pace effecisset quæ re ipsâ fecit, eadem locutus fuisset etc.; sed hæc sunt ridicula: ergo. Mai. est ipsius Leibnitzii, qui in princ. Phil. § 84. hæc habet: *In hoc systemate corpora agunt, ac si per impossibile nullæ darentur animæ: animæ agunt ac si corpora nulla darentur; et ambo agunt ac si unum influeret in alterum.*

432 Prob. 2^a pars, 1°: Hoc systema in idealismum rectâ ducit; idest in eorum delirium, qui solas mentes, nulla esse corpora arbitrantur. Nam licèt re ipsâ nullum nec quidem proprium esset corpus, mens tamen etiam cogitaret nunc frigore nunc calore torqueri, nunc Petrum nunc Paulum se conspicere, uno verbo et intellectûs et voluntatis iidem omninò essent tunc actus, qui nunc sunt. Quo ergo medio scimus, an re ipsâ in eo simus statu constituti? 2°, ut alia omittamus, saltem circa actus reflexos perpetuò natura nos fallit; nam nedum iudico ante me esse Petrum, sed reflexè iudico, nec minori evidentiâ,

id me noscere oculorum ministerio ; et sic de aliis. At eiusmodi reflexa iudicia omninò falsa sunt in Leibnitziano systemate ; siquidem oculus nullo modo servit aut influit in eum mentis actum quo nosco Petrum : sed ex Dei dispositione, et respectu nostri casu quodam, cognitio Petri fit ab animâ ipso tempore quo fit motus oculi ; sicut ex Artificis peritiâ fit quòd eodem tempore duo horologia horas pulsent.

433 III^a conclusio : *Systema influxûs physici et rationi, et christianæ religioni apprimè conforme est.* Prob. 1ª pars : Omnis homo certò ac evidenter cognoscit suum corpus ab animâ agitari, animari, vivum, atque vegetum fieri : et animam quoque ad dolorem, voluptatem, ac similes actus à corpore excitari : ergo re ipsâ corpus in animam, et anima in corpus physicè influit. = Reponent, motus corporis fieri præsente animâ, non *ab ipsâ,* et similiter etc. = Contrà : Non minori evidentiâ ex intimo sensu noscimus corpus moveri *ab animâ*, quàm corpus moveri *volente animâ :* ergo aut certi simus de primo, aut dubitemus quoque de secundo, sicque in stultum idealismum incidamus (n. 174. 175). Prob. 2ª pars : Absque physico influxu nulla ratio reddi potest transfusionis peccati originalis : ergo. Prob. nunc simul utraque : Absque physico influxu nulli usui est anima in corpore, seu nulla utilitas est animæ, imò nec corpori quòd unita sint ; sed hanc utilitatem ratio et religio evincunt : ergo.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

434 Obi. 1° contra I^m : Solus Deus potest esse causa actionis aut motûs : ergo anima solùm est occasio quòd Deus causet motus corporis, sicque etc. Ant. prob. : Solus Deus potest creare, seu ex nihilo producere ; sed actiones et motus fiunt ex nihilo, nam antequam fierent nil eorum erat : ergo. Adde : Nulla res potest sibi aut alteri dare id quod non habet ; sed anima antequam operetur non habet actiones nec motus : ergo nec potest sibi dare actiones, nec corpori motus. ℟. dist. min. : actiones et motus fiunt ex nihilo *sui,* conc. ; ex nihilo *subiecti,* nego.

435 Id est, ipsæ actiones et motus prout in se sunt,

anteà non erant, seu erant nihil, et in hoc sensu fiunt *ex*, seu *post* nihilum sui. At præcontinebantur iam in virtute sui subiecti è cuius potentiâ educuntur, et sic non fiunt ex nihilo subiecti. Ad creationem autem non sufficit fieri ex nihilo sui; aliàs dum ignis fit ex ligno etiam crearetur; imò omnis productio esset creatio. Ad 2^m dist. mai.: nulla res dat quod non habet nec *formaliter* nec *virtualiter*, conc.; præcisè *formaliter*, nego. Aliàs Deus non daret esse et motum corporibus, cùm non sit corpus. Ita causat anima in se suas actiones, et motum in corpore, quin ipsa sit aut actio aut motus, quoniam in se habet virtutem à Deo participatam, in qua et actio et motus præcontinentur.

436 Obi. 2° contra II^m, et III^m: Deus prænoscens omnes actus quos elicitura est anima, ipsam univit corpori cui adesset virtus eliciendi motus suo ordine respondentes actibus animæ, absque unius influxu in alterum; sed in hoc stat harmonia præstabilita: ergo. Mai. prob.: Deus id potuit facere; sed aliunde non est alia ratio exponendi harmoniam quam inter motus animæ et corporis experimur: ergo fecit, sicque etc. Min. prob.: Hæc harmonia per influxum physicum exponi non potest: ergo. Ant. prob.: Spiritum physicè influere in corpus nullo pacto intelligi potest; et multò minùs corpus, quod iners est, influere in spiritum; nequit enim id fieri per actionem et reactionem, quæ solùm inter corpora locum habent; nec per substantialem emanationem, alioquin fieret substantiarum confusio: unde mutuus hic influxus inter qualitates occultas referendus est: ergo (1).

---

(1) *Hæc sunt præcipua quæ adversùs systema Scholasticorum, et in aliorum confirmationem obiiciuntur. Vix credi potest Malebranchium, Leibnitzium, Wolfium, et quosdam alios in Philosophiâ notissimos viros, his vanis argutiolis adduci potuisse, ut contra communem omnium hominum sensum, et contra intimam conscientiam, ab animâ immediatè moveri corpus, aut negarent, aut vehementer addubitari concupiscerent. Profectò qui ab eâ*

437 ℟. nego 1^m. mai.: Ad $prob^m$ 1° dist. mai.: Deus id potuit in aliâ animarum constitutione, transeat; in præsenti, nego. Nam Deus nos fallere nequit; falleret autem si anima non moveret corpus, contra communem omnium hominum sensum qui proindè à naturâ seu à Deo est. 2° nego etiam min., ad cuius prob. nego ult. ant.; nam spiritum re ipsâ movere corpus evidentissimum est nedum in Deo, sed intimâ cuiusque nostrûm conscientiâ, qua etiam noscimus corpus in animam influere: quod est obscurum et occultum est *specialis modus* quo spiritus movet corpus, et vicissim. At ex hoc obscuro et ignoto negare aut in dubium vertere id quod perspicuè continuè experimur, indigna Philosopho argumentatio est.

438 Dixi obscurum esse et occultum specialem modum, quo spiritus movet corpus et vicissim. Nihilominùs ut huic rei lux aliqua affulgeat, adnotare oportet, aliud esse de corpore et spiritu inquirere quæ seorsùm existunt; aliud de corpore et spiritu prout uniuntur in uno composito. Ita ergo sicut specialis est essendi modus; specialis esse debet et modus invicem agendi. Quem modum nemo meliùs explicat quàm D. Th. q. 26. de ver.

---

sententiâ desciscere velit, quæ omnium hominum consensui, aut intimæ conscientiæ innixa est, perspicuè debet demonstrare esse eam aut impossibilem aut falsam (n. 456*). Ita sana critice exigit: ita ipsi abs dubio consentirent; quamquam in hac quæstione longè aliter ratiocinentur. Scilicet, ut ait Genuensis III. Part. prop.* 21. *erat sæculo indulgendum: erant Scholasticorum placita damnanda. Pugnet pro Scholasticis communis omnium sensus, pugnet intima conscientia, pugnet etiam christiana religio. Nil impedit: iis qui contrà luctantur, libera est quidlibet audendi potestas. Itaque qui Scholasticos perpetuò accusant, quòd mutuis concertationibus occupati, non nisi inutilia sectèntur, ut contra Scholasticos aliquid addant, etiam noxia amplectuntur, rationi adversa, religioni pugnantia.*

a. 10. his verbis: *Secundùm naturæ ordinem propter colligationem virium animæ in unâ essentiâ, et animæ et corporis in uno esse compositi, vires superiores et inferiores, et etiam corpus invicem in se effluunt quod in aliquo eorum superabundat.* Unde anima, ut unita corpori in eodem esse, vires suas transmittit in corpus; et corpus non ut corpus, sed ut pars compositi, et quatenùs informatur ab animâ, atque ab eâ accipit agendi vim, influit in animam; non per actionem et reactionem, neque per emanationem substantialem, sed per colligationem virium.

§ II.

Utrum anima rationalis sit forma substantialis corporis?

439 Prænotandum est 1°, substantiam spiritualem non posse uniri corpori nec per modum mixtionis, nec per modum contactûs propriè sumpti; quia hæc solùm inter corpora peraguntur. Prænotandum 2°, substantiam spiritualem posse uniri corpori per contactum virtutis, vel præcisè ut *assistentem* ipsi tamquam motorem moto quamvis intimè, sicut Angeli corporibus aliquando uniuntur, ut Raphaël Tobiam comitans; vel modo magis intimo nempè ut *informantem* seu ut formam substantialem, ex qua et corpore fiat una quædam substantia. Iam verò per primum unionis modum non fit unum simpliciter, cùm aliud sit esse motoris, aliud mobilis: quare non est sufficiens ad unionem corporis et animæ, ex qua unum aliquid simpliciter consurgit, nempè homo. Quapropter sit

440 Conclusio: *Anima rationalis est verè ac propriè forma substantialis hominis.* Prob. ratione D. Th. 1. p. q. 76. a. 1: Forma substantialis est actus primus essendi et operandi substantiæ physicæ; sed homo est substantia physica, cuius anima rationalis est actus primus essendi et operandi: ergo. Min. prob.: Per eam sumus homines et humana operamur; nec fingi potest alia forma, quæ materiam qua constamus ad *esse* hominis determinet, ac

cum eâ illud compositum constituat quod nomine *hominis* omnes intelligunt: ergo. Hanc conclusionem definivit Concilium Viennense, et habetur in *Clementinâ I. de Summâ Trinit.* his verbis: *Quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tamquam hæreticus sit censendus.* Quo sensu hanc definitionem suscipient Philosophi illi, qui corporum formas in particularum combinatione reponunt?

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

441 Obi. 1°: Res per se existens nequit esse pars et forma compositi; nam forma non est id *quod* est, sed *quo* aliquid est; sed anima rationalis per se subsistit; nam separata subsistit: ergo non unitur corpori ut forma informans, sed ut motor assistens. ℟. dist. mai.: res per se subsistens *ut essentia completa,* conc.; *ut ordinata tamen ad aliquam substantiam completam cum materiâ constituendam*, nego. Porrò constat animam ordinari ad corpus ad constituendam cum eo unam substantiam humanam. Unde media est inter formas purè subsistentes, et purè informantes; ut etiam apparet ex eius operationibus; nam habet aliquas purè materiales, ut *sentire* et *vegetare*, alias purè spirituales, ut *intelligere* et *velle.* Cùm enim Divina providentia inter extremas naturas semper mediam constituere soleat, decens fuit inter formas subsistentes, et informantes dari mediam, scilicet animam rationalem: quæ cum illis habet ut possit esse sine materiâ, et cum his, ut possit informare materiam.

442 Contrà: Forma cuius propriæ operationes non sunt materiæ communicabiles, nec ipsa potest communicari materiæ; sed operationes animæ rationali propriæ, nempè intelligere et velle, sunt materiæ incommunicabiles: non enim recipiuntur in organo corporeo: ergo. ℟. dist. mai.: ita ut tota immergatur materiæ, conc.; ita ut unita materiæ emineat tamen supra illam, nego. Itaque cùm anima habeat aliquas operationes materiæ communicabiles, ex hoc quòd habeat alias incommunicabiles, solùm

sequitur ita communicari materiæ, ut tamen supra illam emineat, nec comprehendatur penitùs ab eâ.

443 Obi. 2° : Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur ; sed anima est immaterialis: ergo recipi nequit in materiâ, sicque ect. ℟. dist. mai. : quod recipitur si est accidens, seu pendens in esse ab eo in quo recipitur, conc. ; si est substantia, seu communicans esse ei in quo recipitur, nego. Itaque omne accidens in esse pendet à subiecto in quo recipitur : unde consequens est quòd recipiatur modo sui subiecti, id est per extensionem si subiectum est materiale, et per indivisibilitatem si subiectum est immateriale. At verò anima non pendet in esse à corpore, imò suum esse illi communicat, sicque non opus est quòd ad modum corporis recipiatur.

444 Contrà : Ergo ut anima sit forma corporis, corpus debet habere *esse* ab animâ ; sed hoc repugnat : ergo. Min. prob. : *Esse* animæ est immateriale ; sed per hoc *esse* nequit existere corpus : ergo. ℟. dist. mai. : est immateriale, et etiam eminenter et *ut quo* est materiale, conc. ; secùs, nego. Id est, *esse* seu existentia animæ, utpote perfectior, continet in se totam perfectionem existentiæ materialis ; unde huius vices supplere potest, et reddere corpus existens. = Contrà : Cùm anima sit immaterialis, eius perfectioni repugnat quòd sit materialis *ut quo* : ergo ruit solutio. Ant. prob. : Substantia immaterialis nequit esse ita materialis *ut quo*, ut recipiat accidens materiale : nec accidens immateriale ut recipiatur in substantiâ materiali : ergo neque etc.

445 ℟. nego cons^m. Disparitas est, quia nec substantia immaterialis per se ordinatur ad accidens immateriale, nec accidens immateriale ad substantiam materialem. Unde nec substantia immaterialis perfici potest ab accidenti materiali ; nec accidens immateriale communicare aliquem effectum formalem saltem specificum substantiæ materiali. Anima verò rationalis ex suâ naturâ seu essentiâ ordinata est ad regendum corpus, per cuius unionem ultimò completur seu perficitur. Unde quatenùs substantia incompleta non ei repugnat, ut in sui *esse* consortium alteram substantiam admittat : et quatenùs immate-

rialis et perfectior præcontinet perfectionem *esse* materialis, ut per *esse* animæ possit existere corpus seu materia.

§ III.

An in uno homine præter animam rationalem alia sit?

446 Ex his quæ paragrapho præcedenti disputavimus, confutatus manet eorum error, qui unicam dumtaxat animam in omnibus hominibus agnoscebant; quemque renovarunt Spinosistæ unicam tantùm substantiam in Mundo admittentes. Si enim anima intellectiva corpori unitur tamquam forma, et non præcisè ut motor mobili; inde est quòd ex individuorum numero pluralitas animarum consurgit; cùm fieri non possit, ut una forma sit multiplicis materiæ, cui debet proportionari. Illam ergo sententiam, quæ fuit quorundam Antiquorum, nunc expendimus, sint ne in uno homine plures animæ, quæ diversæ vitæ functionibus, quas unus homo in se continet, intellectivæ nempè, sensitivæ et vegetativæ respondeant?

447 Conclusio: *In homine præter animam rationalem alia non est.* Prob. 1°: Anima est forma substantialis (§ 2.); sed hæc est unica in uno composito; cùm det esse substantiale, quod in uno composito unicum est: ergo. 2°: Anima rationalis in nobis elicit eas operationes, quas in plantis et brutis animæ inferiores eliciunt: ergo superflua foret in nobis alia anima, sicque non est. Ant. prob.: Nemo non experitur eandem in se ipso esse animam quæ sentit et cupit, ac quæ intelligit et vult: ergo.

448 3°: Unum vivens habet unicam animam; sed unus homo est unum vivens: ergo. Mai. prob.: Ab eo res habet unitatem à quo et *esse*; sed vivens habet *esse* vivens ab animâ: ergo et unitatem, sicque etc. Hinc si homo haberet duas aut tres animas esset viventium coacervatio, scilicet plantæ, belluæ, et intelligentis. = Dices has animas uniri, quòd sint in eodem corpore. Contrà 1°: Hæc unio esset per accidens, qualis plurium hospitum

quòd sint in eâdem domo. 2°: Si essent tres animæ, essent etiam tria corpora : ergo. Ant. prob. : Unitas corporis petitur ab unitate animæ : ergo. Ant. prob.: Licèt corpus variis partibus constet, ex eo censetur unum quòd omnes ab eâdem animâ contineantur : ergo. *D. Th.* 1. *p. q.* 76. *a.* 3.

449 Prob. 4°: Synodus VIII. Gener. can. 11. eos anathematizat, qui in homine duas animas ponunt: ergo.=Dices, duas animas rationales, conc. ; unam rationalem, aliam sensitivam, nego. = Contrà 1° : Hic canon Photium, et Apollinaristas spectat ; sed hi censebant unicam esse mentem seu animam rationalem in homine, contendentes solùm, mentem ab animâ sentiente in homine realiter distingui ; istamque à Verbo Divino, at non illam esse assumptam : ergo. *Vid. Lupus in Annot. ad hunc Can.* = 2° : Si in Christo duplex ea fuisset anima, in triduo mortis sensitiva periisset, atque ita foret à Verbo dimissa, contra illud Theologorum effatum : Quod Verbum semel assumpsit nunquam dimisit.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

450 Obi. 1°: Incorruptibile realiter differt à corruptibili ; sed anima rationalis est incorruptibilis, et sensitiva et vegetativa corruptibiles: ergo. ℟. dist. 2^m partem min.: sunt corruptibiles *in se,* conc. ; *ut contentæ in rationali,* nego. Nam licèt anima quæ solùm est vegetans aut sentiens, seu quæ solùm dat esse vegetativum ac sensitivum, sit corruptibilis ; quæ tamen est etiam rationalis, seu dat etiam esse intellectivum, ex hac spirituali operatione dignoscitur incorruptibilis, licèt alias operationes habeat formis corruptibilibus convenientes. Itaque anima rationalis dat homini nedum esse intellectivum, et operari intelligendo, sed etiam esse vegetativum ac sensitivum, et *operari* operationibus ad hos essendi modos consecutis, ut nutritione, augmentatione, et sensatione ; et quidem perfectiori modo quàm ipsæ animæ plantarum ac brutorum si adessent.

451 Et in hoc sensu anima rationalis dicitur [1] *continere* [2] *formaliter* [3] *eminenter* animam vegetativam et sensitivam. *Continere ;* quoniam anima rationalis est anima

superior. Unde iuxta illud D. Dionysii axioma : *Quæ sunt dispersa in inferioribus sunt unita in superioribus* , consequens est, quòd anima rationalis habeat totas vires aliarum, seu facere possit quidquid faciunt aliæ. Continet autem *formaliter* ; idest tribuit earum effectus formales, ut esse sensitivum et vegetativum, et est principium sensûs et vegetationis. Demum eas continet *eminenter* , quia eas continet ut forma superior, nec ad hos solos effectus limitatur, ut aliæ, sed ad alios superiores eminet seu assurgit, ut intelligere.

452 Obi. 2° : Cùm homo formatur priùs advenit anima vegetans, deinde sentiens, postremò rationalis : ergo sunt tres distinctæ animæ. ℟. 1° nego cons^m^. Nam in eâ hypothesi plurium animarum successivè advenientium, nova perfectior adveniens excludit priorem imperfectiorem, tamquam superfluam. *Vid. D. Th.* 1. *p. q.* 118. *a.* 2. *ad* 2^m^. ℟. 2° non constare in productione hominis plures formas ita successivè advenire, tametsi S. Thomas eam successionem, ut ævo suo communiter receptam, supponat. Cùm enim anima corpori accedat prout ad eam disponitur, hanc successionem admittebant Antiqui, putantes virtutem seminalem primò ordiri organa vegetativæ vitæ, ac deindè sensitivæ. Post exactiora tamen experimenta, præcipuè Malpiggii, plures autumant organa sensuum primò delineari ; atque adeò primò ac statim advenire animam, quæ simul est sentiens et vegetans, imò rationalis.

453 Obi. 3° : In homine est anima vegetatrix et sentiens, [1] quæ rationalis imperio sæpè non paret : item, [2] quæ dilatatur, et contrahitur pro ratione corporis, et est per totum corpus fusa ; sed hæc nequit esse anima rationalis, quæ secum non pugnat, et utpote inextensa nec dilatari potest nec contrahi : ergo. ℟. nego min. Nam interior hominis pugna non inter animas distinctas est, sed inter eiusdem animæ distinctas potentias. Cæteroquin etiam plures animas sensitivas in homine poneremus ; cùm inter ipsas passiones sensitivas vehementer quoque pugna sit, dum aliò libido trahit, aliò ira etc. Nec mirum motus vitales et sensitivos rationis imperio sæpè non sub-

iici, seu non esse liberos, cùm in ipso intellectu et voluntate aliqui actus naturales seu necessarii sint. Ad alterum dic, animam in toto corpore esse, quin pro ratione corporis dilatetur aut contrahatur, cùm tota sit in qualibet parte corporis, ut mox dicemus.

§ IV.

Utrum anima hominis in solo cerebro sit, an in toto corpore?

454 Inter eos Philosophos, qui animam in toto corpore sitam esse negant, summa dissensio est ut peculiarem locum, in quo sedem eius reponant, designent. Nihilominùs Recentiores, excepto Helmontio qui in *pyloro stomachi* sive ore inferiori ventriculi sedem animæ figit, in cerebro figendam esse conveniunt quidem; sed admodum variè. Nam Cartesius in *glandulâ pineali*, Peyronus in *corpore calloso*, Buffonius in *diaphragmate cerebri*, alii aliis in partibus collocant. Atque tam varios sentiendi modos non sat firmâ ratione fulciri deprehendens Guevara, verisimilius equidem existimat, animam in cerebro sitam esse, qua tamen ipsius parte prorsùs incertum: et ideò ipsi perceptu difficile non esse asserit, sedem ibi habere posse variantem, ac omnia recurrere nervorum capita, prout necessitas suaderet. Adeò necessum est implicari, qui semel à vero desciscunt.

455 Conclusio: *Anima est in toto corpore;* et cùm sit indivisibilis, est tota in toto, et tota in qualibet parte corporis. Prob.: Anima humana cùm sit immaterialis non est in loco locum occupans, sed solùm ratione corporis quod informat, seu est in loco in quo immediatè operatur; sed totum corpus informat, seu nedum in cerebro, sed in toto corpore immediatè operatur: ergo. Min. prob. 1° ex doctrinâ Ecclesiæ, qua sancitum est animam esse formam informantem corpus, atque adeò plùs quàm cerebri particulam. 2° non est anima media quæ det corpori vires vegetativas et sensitivas, sed id facit sola ratio-

nalis (n. 447); sed toto corpore sunt vires saltem vegetativæ; nam saltem toto corpore fit nutritio et augmentatio: ergo. 3° In qualibet parte corporis dolorem sentimus; sed animâ sentimus: ergo.

456 Contrarii pluribus suadere conantur, dolorem in solo cerebro sentiri, in aliis verò partibus solùm esse doloris *causam*, non *sensum*. Sed contrà: Dum digitus uritur v. g. dolorem in digito sentiri omnibus constanter apparet; quæ verò suadent quòd in solo cerebro sentiatur, licèt probabilia argumenta sint, non sunt tamen evidentes demonstrationes: ergo dicendum quòd in digito sentiatur. Cons^a prob.: Assertio communi omnium sensui innixa reiici non debet, nisi impossibilis aut falsa evidenter demonstretur: ergo si etc. Ant. patet; nam in recti iudicii lance plùs quàm communis omnium sensus ponderare nequeunt probabilia argumenta, sed sola evidens demonstratio.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

457 Obi. 1°: Corporis affectiones quæ non transmittuntur ad cerebrum, mentem prorsùs latent, ut in paralysi aut apoplexiâ. Hinc si arctissimè stringatur pars aliqua corporis cerebrum inter et partem aliam corporis resecandam aut pungendam, nullus aut ferè nullus sentitur dolor: ergo in solo cerebro sentit et immediatè operatur anima, sicque in ipso solo est. ℟. omnia sensuum organa summam habere cum cerebro coniunctionem; nam species quibus in ipsis fiunt sensationes ad cerebrum transmittunt, ubi organa sunt internorum ac perfectiorum sensuum, qui scilicet cogitationi immediatiùs inserviunt.

458 Et forsan ex cerebro plures spiritus vitales ad externorum sensuum organa profluunt, quibus in suâ activitate conserventur, et quorum defectu, aut languidè aut nullo modo sentiant, ut in paralysi, apoplexiâ, et præcipuè in arctissimâ partis intermediæ strictione, ex qua etiam nervos omnes illac transeuntes et sensuum organa cum illis connexa vehementer turbari aut impediri necessum est. Unde ex hoc et similibus argumentis probari potest à cerebro sensus omnes pendere, et in eo nobilio-

res sensationes fieri : at omnes in ipso fieri probari non potest.

459 Obj. 2° : Si anima est tota in qualibet parte corporis, sequitur 1° quòd prout in capite distet à se ipsâ prout in pede. 2° quòd solum brachium v. g. sit homo, cùm sit corpus et anima. 3° quòd erit extensa. ℟. 1° hæc et similia prætensa absurda perindè sequi si anima sit in solâ glandulâ pineali, medullâ, aut aliâ parte cerebri, ac si sit in toto corpore ; cùm semper anima in aliquo extenso collocari debeat, nunquam in indivisibili puncto, quod nec terminare nervos omnes, nec spiritus vitales variis impulsibus emittere posset. ℟. 2° hæc argumenta etiam contra Dei immensitatem pugnare. ℟. 3° exponendo singula. Ad 1m ergo dic, animam non distare à se ipsâ *intrinsecè* seu secundùm se, cùm tota sit ubicumque sit ; sed *extrinsecè*, quatenùs tota est in partibus corporis inter se distantibus. Ad 2m, hominem esse animam cum corpore nato ad habendum organa omnium potentiarum animæ. Ad 3m, animam esse extensam *virtualiter* sicut Deus, non *formaliter* sicut materia.

460 Hìc sanè vellem Philosophos Catholicos sedulò meditari, quid intelligant Patres Viennenses nomine *formæ veræ, per se, ac essentialis*, dum talem esse animam humanam respectu corporis finiunt, et contrà sentientes ut hæreticos damnant. Videant ipsi, an hæc in tuto maneant si anima per solam assistentiam sit corpori præsens, aut quamdam cerebri particulam solùm informans, cætera omnia membra tantùm mediatè moveat, ut nauclerus navim.

461 Mihi tamen verisimillimum apparet, Patres illis verbis hæc tria voluisse decernere. 1° animam essentiâ seu naturâ suâ per se ordinari ad corpus, seu exigere corporis unionem. 2° per totum corpus adesse. 3° omnes motus corporis efficere, et operationes sentiendi ac vegetandi. Principio equidem nomine formæ *veræ* ac *essentialis*, præcipuè eorum Conciliorum tempore quo Recentiorum opiniones aut non fuerant cognitæ, aut erant penitùs oblitæ, certè forma Peripatetica intelligebatur. Deinde Patres Viennenses, utpote in re Theologicâ, abs du-

bio animam dixere hominis formam eo sensu, qui antiquis Patribus communis est. Isti verò unâ voce illa tria animæ nostræ tribuunt. Quod pluribus ostenderemus, nisi hoc argumentum esset potiùs Theologorum quàm nostri.

462 Nihilominùs August^{m}. omittere non possumus, quoniam Recentiores aliqui adversùs Aristotelicos eum in hac parte traducere audent. Itaque quoad 1^{m}, Aug. lib. de Quant. Animæ c. 13. n. 22. sic eam definit: *Substantia rationis particeps regendo corpori accommodata.* Accommodata autem, nedum *ex decreto Dei,* nam sic etiam Raphaël apud Tobiam, et alii Angeli corpora regunt, sed *ex suâ essentiâ* seu naturâ, quæ in definitione explicatur. Hinc lib. 12. de Gen. ad lit. c. 35. ait: *Inest animæ naturalis quidam appetitus corpus administrandi. Naturalis*, ait, id est non à liberâ electione, neque ab extrinseco, sed à naturâ seu essentiâ ortus.

463 Quoad 2^{m}, lib. de Immort. Animæ c. 16. ait: *Moles quippe omnis, quæ occupat locum, non est in singulis suis partibus tota; sed in omnibus. Quare aliqua pars eius alibi est, et alibi alia: Anima verò non modò universæ moli corporis sui, sed etiam unicuique particulæ illius tota simul adest. Partis enim corporis passionem tota sentit..... nec sentire quod ibi factum est absens posset. Non enim nuntio aliquo credibile est fieri, non sentiente quod nuntiat..... sed illud tota sentit anima, quod in particulâ fit pedis, et ibi tantùm sentit, ubi fit. Tota igitur singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis.*

464 Quoad 3^{m} denique lib. 83. q^{m} q. 8: *Anima voluntate, id est illo motu qui localis non est, corpus suum tamen localiter movet.* Lib. de Agone Christ. c. 20: *Anima totum corpus nostrum animat et vivificat; sed in capite et videndo sentit, et audiendo, et odorando, et gustando, et tangendo, in cæteris autem membris tangendo tantùm.* Vid. de Quant. An. c. 33. Epist. 28. nunc 166. n. 4, ubi hæc fusè prosequitur, et alibi passim.

ART. VIII.

DE ANIMA SEPARATA.

465 ANIMAM à corpore separatam subsistere ex dictis constat; sicque præter statum coniunctionis ipsi superesse statum separationis. De hoc multa ex revelatione didicimus, pauca ratio investigare potest, quæ quibusdam conclusionibus explicabimus. = I[a] conclusio: *Intellectus et voluntas formaliter insunt animæ separatæ; potentiæ verò sensitivæ solùm radicaliter.* 1[a] pars constat; nam sunt immateriales, et in ipsâ animæ substantiâ resident. 2[a] pars prob.: Corrupto subiecto corrumpitur facultas in eo recepta; sed potentiæ sensitivæ non sunt in animâ ut in subiecto, sed in animali seu coniuncto: ergo hoc corrupto pereunt, sicque in animâ separatâ non manent formaliter, sed solùm radicaliter; quatenùs scilicet ipsa anima est radix seu principium quo illas habebat compositum.

466 II[a] conclusio: *Anima separata retinet habitus spirituales et species cognitionum quas habuit in hac vitâ.* Prob.: Hi habitus et species recipiuntur in mente; sed mens manet: ergo. = Obi.: His speciebus et habitibus uti non potest anima separata: ergo superflua forent, sicque non manent. Prob. ant.: Iis uti nequit anima absque conversione ad phantasmata à quibus pendent; sed hæc tunc non erunt: ergo. ℟. dist. mai.: uti nequit sine phantasmate, *pro statu coniunctionis*, conc.; *pro statu separationis*, nego. Modus enim utendi specie sequitur modum essendi animæ. Unde sicut speciebus supernaturaliter infusis anima corpori unita utitur cum habitudine ad phantasmata, propter conditionem statûs; ita speciebus adquisitis in corpore anima separata utetur sine habitudine ad phantasmata, licèt ex illis pendeant pro statu coniunctionis.

467 III[a] conclusio: *Anima separata præter species quas ex hac vitâ detulit, alias infusas à Deo recipit, quibus eius vis intellectiva completur.* Prob.: Mens nos-

tra, utpote media inter animas materiales et substantias separatas, nedum à sensibus sed à Deo species accipere potest, ut constat in prophetiâ, extasi, et raptu; sed dum corpori unita eas sumit à sensibus: ergo dum à corpore separata eas accipit à Deo. Speciebus tamen infusis, utpote universalioribus ac perfectioribus, anima nostra, quæ intelligentium substantiarum imperfectior est, non ita connaturaliter utitur, ac speciebus à sensibus acceptis, quæ ipsi sunt magis proportionatæ, ut diximus n. 321. Nihilominùs præsuppositis speciebus in hac vitâ adquisitis, per infusas summè elevabitur ac perficietur animarum cognitio. At de animâ separatâ fusiùs Theologi.

QUÆSTIO II.

DE ANGELIS.

468 In substantiis spiritualibus supremum locum Deus, infimum homines tenent: medii sunt creati quidam et immortales spiritus, quos alii *Dæmones*, sive *Genios*, nos *Angelos* appellamus. De his cùm ratione naturali pauca, plura ex Scripturâ et Patribus innotescant, potiùs Theologorum est agere, quàm Philosophorum. Nihilominùs de eorum existentiâ, essentiâ, et præcipuis affectionibus quædam summatim exhibebimus.

ART. I.

An sint Angeli?

469 CONCLUSIO: *Angelos esse ex revelatione evidentissimè demonstratur; ex naturali verò ratione certitudine*

morali colligitur. 1ª pars constat; nam in veteri, et in novo Testamento passim de Angelis habetur sermo; ut quòd Angelus necaverit primogenitos Ægypti, quòd Raphaël comitatus sit Tobiam, Gabriël missus ad Virginem, alius ad pastores etc.

470 2ª verò pars prob. 1° : Ea quæ communi consensu asserunt homines, moraliter certa sunt (n. 281 et 456); sed sic se habet Angelorum existentia : ergo. Min. prob. 1° : Nedum Judæi et Christiani, sed Hesiodus lib. 1., Plato in Timæo, Arist. 8. Phys. et 12. Met., Sosthenes Magus, Thales, Hierocles, Orphæus et alii plures, Angelos esse memorant. 2° : Idololatræ omnes inter Deos quos vocabant superiores, et homines, medias quàsdam substantias constituebant, quas aut inferiores Deos, aut Genios, aut Dæmones, aut aliter nominabant : ergo licèt circa Angelorum naturam variè erraverint homines eos tamen existere omnes consentiunt.

471 Prob. 2°: A Magis et Energumenis multa fiunt quæ naturales eorum vires excedunt, ut revelare occultissima : enuntiare quæ remotissimis locis contingunt : domo egredi ianuis clausis : loqui linguis peregrinis nec usu nec disciplinâ comparatis, cæt. ; sed hæc nec à Deo fiunt nec ab animâ separatâ : ergo ab aliquâ substantiâ spirituali mediâ inter Deum et animam : sicque sunt Angeli. Min. quoad 1ᵐ partem patet; nam plura ex his in Dei iniuriam fiunt, imò Dei invocatione dissolvuntur : ergo Deum non habent Auctorem. Prob. 2ª pars : Nullum nobis suppetit indicium quod in animâ tanta sit virtus, quanta ad eos effectus requiritur; imò quod in nobis forma informans sit, vehemens indicium est, non posse naturaliter movere corpus, nisi illud quod informet, sicque separata nullum : ergo ab animâ separatâ etc. His adde argumentum quo Plato et Arist. Angelorum existentiam collegere, scilicet cœlestium orbium motum ; quod quantum rationi ac religioni sit consonum observetur in Physicâ.

472 Obi. tamen : Si Angeli sunt, Dei voluntate sunt ; sed voluntatis Dei nullum est demonstrativum argumentum : ergo nec existentiæ Angelorum. ℟. dist. min. : nullum ar-

gumentum à *priori*, conc.; à *posteriori*, nego. Sic autem Angelorum existentiam à posteriori suademus; scilicet ex naturæ voce seu omnium consensu; et ex his effectibus, quorum aliam causam quàm Angelos non dignoscimus. = Contrà: Ex Magorum et Energumenorum portentis non necessariò colligitur existentia Angelorum: ergo neque à *posteriori* demonstratur. Ant. prob.: Reponi potest quòd fiant ab animâ separatâ: ergo.

473 ℟. dist. 2^{m} ant.: Reponi potest *liberè*, et absque omni prorsùs fundamento, conc.; *congruenter* ad ea quæ de animâ certò noscimus, nego ant., et dist. cons.: existentia Angelorum non colligitur necessariò necessitate aut certitudine *metaphysicâ*, conc.; *morali*, nego cons^{m}; præcipuè si omnium consensus simul attendatur; nam certitudo moralis ex omnium fundamentorum, quibus innititur, collectione resultat. Rationes igitur quibus Angelorum probatur existentia, ut à protervis refelli queant, à viris rectè institutis non queunt; à quibus scilicet non nutabundum sed firmum extorqueant assensum, atque adeò sint *moraliter* certæ, licèt non *metaphysicè*.

ART. II.

DE ANGELORUM ESSENTIA, ET QUIBUSDAM AFFECTIONIBUS.

474 I^{a} CONCLUSIO: *Angeli sunt spiritus, nec corpore etiam subtilissimo constant.* Prob. ex D. Aug. Serm. 1. in ps. 103. n. 15.: *Spiritus Angeli sunt.. Angelus enim officii nomen est, non naturæ. Quæris nomen huius naturæ? Spiritus est. Quæris officium? Angelus est. Ex eo quòd est, spiritus est; ex eo quòd agit, Angelus est.* Ita autem esse spiritus ut nulli corpori sint uniti, et in Conc. Later. IV. Ecclesia amplexata est, et ratione probari potest, 1°: Mundus, utpote perfectus, perfectè Deo assimilatur, quantum eius conditio patitur; sed hæc assimilatio debet esse ratione creaturarum omninò incorporearum: ergo. Min. prob.: Tunc opus est perfectè simile

agenti quando imitatur ipsum secundùm id per quod agit ; sed Deus causat mundum per modum agentis intellectualis et incorporei : ergo sunt in mundo creaturæ incorporeæ et intellectuales, quæ repræsentent Deum quantum ad spiritualitatem , et incorporeitatem omnimodam.

475 Dices hanc repræsentari per animam. = Contrà : Anima solùm imperfectè est incorporea , cùm corpus informet, et per corpus cognoscat : ergo rationabile est quòd ponatur substantia incorporea altior , et à corpore omninò absoluta. Præcipuè cùm in eo genere in quo est aliquid imperfectum, oporteat præexistere aliquid perfectum. Pr. 2° : Sunt res partim corporeæ et partim spirituales, ut homines ; sed sunt aliquæ purè corporeæ, ut arbores : ergo et aliquæ purè spirituales, scilicet Angeli.

476 Obi. tamen : Plures antiqui Patres Angelis attribuerunt subtilia corpora : ergo. ℟. aliquos ex Patribus nomine *corporis* substantiam intellexisse *(Log. Instit. n.* 165 *)*, et alios hoc nomine significasse eam substantiam licèt in se spiritualem, quæ aut certo loco definita est, aut non omninò simplex. Nonnulli tamen vera, subtilissima, et ætherea corpora Angelis tribuerunt. At post Concilium Lateranense magnum (n. 266) tenendum est Angelos esse omninò incorporeos. *Vid. D. Th.* 1. *p. q.* 50. *a.* 1. *et q.* 51. *a.* 1. Hinc colliges Angelos nulli corpori esse naturaliter unitos. Corpora tamen ex aëre virtute divinâ condensato, figurato ac colorato quandoque assumunt. Cui uniuntur non ut forma, nec præcisè ut motor, sed ut motor repræsentatus per corpus mobile assumptum. Nam corpora sic formantur ab Angelis , ut congruant ad repræsentandum suas intelligibiles proprietates ; v. g. intelligibilem societatem quam cum hominibus habebunt in futurâ vitâ. *D. Th. q.* 51. *a.* 1. 2. *et* 3.

477 IIª conclusio : *Angeli intelligunt per species à Deo infusas, in quibus res omnes naturales clarissimè cognoscunt.* Cùm enim non habeant sensus corporeos, opus est quòd ab ipso Deo species recipiant. = At quæres 1°: Quomodò invicem loquuntur ? Sanè inter Angelos societatem esse seu invicem conversari, aut esse inter ipsos cogitationum communicationem , sicut inter homines, in du-

bium verti nequit. Non autem apparet alius modus expeditior communicandi conceptus inter substantias purè spirituales, nisi per directionem voluntatis ; ut proindè simulac unus Angelus vult suam cogitationem alteri innotescere, protinùs innotescat. Quæres 2° : Sunt ne plures Angeli? ℟. esse penè innumeros constat ex illo Dan. 7: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Eos in novem choros, ac tres hierarchias ita distribuit Dionysius, ut in primâ sint Seraphim, Cherubim, et Throni ; in secundâ Dominationes, Virtutes, et Potestates; in tertiâ verò Principatus, Archangeli, et Angeli. *Vid. D. Th.* 1. *p. q.* 108.

QUÆSTIO III.

DE DEO.

478 Quæ de Deo nos hìc dicturi sumus duobus articulis comprehendemus. In priori de eius existentiâ : in altero de quibusdam attributis erit sermo.

ART. I.

An Dei existentia naturali ratione demonstretur?

479 Prænotandum est Atheos appellari eos qui Deum existere aut nesciunt, aut negant. Atque hinc duplex valdè diversum Atheorum genus ; eorum scilicet qui brutorum more absque vitâ sociali viventes de Deo nunquam audiverunt ; et eorum qui aut superbiâ aut aliis passionibus obcæcati insipienter dicunt in corde suo : *Non est Deus.* Priores illi, simulac admonentur Mundi ordinem

aut aliud quodlibet Divinitatis signum considerare, mox Deum confitentur. At posteriores nullis rationibus vinci possunt, nisi priùs cordis duritia conteratur, in qua tota eorum stultitia ac protervia consistit.

480 Non igitur hos ad veritatem reducere sperantes, rationes hìc colligemus quibus Dei existentia demonstretur: sed primò quoniam in his nobilissimis, ac evidentissimis veritatibus contemplandis immorari non minùs Metaphysicis proprium, quàm gratissimum est: secundò ut vanas Atheorum argutiolas sciamus infringere: tertiò ut moralem, physicam, imò et metaphysicam evidentiam considerantes, quibus Dei existentia innotescit, et eos contemnamus, qui tam perspicuam veritatem obscurare non erubescunt, et seriò meditemur quo tandem stultitiæ aut insaniæ mens nostra à cordis corruptione trahatur.

481 Conclusio: *Dei existentia naturali ratione evidentissimè demonstratur.* Ita tenuere famosiores Antiquitatis Philosophi, et tenere debent omnes Catholici, cùm dicat Apostolus: *Invisibilia Dei intelligi per ea quæ facta sunt.* Rationes autem quibus Dei existentia probatur ad quinque capita reducit D. Th. 1. p. q. 3. a. 3. iuxta quinque attributa sub quibus Divinitas nobis innotescit. Hæc sunt: ratio Primi Motoris immobilis: ratio Primæ Causæ: Entis necessarii: item Entis perfectissimi; et demum ratio Supremi mundi Gubernatoris. Itaque prob. 1° esse *primum Motorem immobilem*, seu Deum: Sunt res motæ seu mutatæ: ergo et est Primus Motor immobilis. Ant. patet; nam nil exploratius, quàm nos et quæ circa nos sunt, non uniformiter in *esse* perseverare, sed ab uno essendi modo ad alium, sicut ab uno ad alium locum, perpetuò transire. Cons[a] verò prob.: Nullæ res essent motæ, aut mutatæ (quod idem est) nisi esset primus Motor; sed hic debet esse immobilis, seu immutabilis: ergo.

482 Ambæ præmissæ probandæ sunt; ac primò prob. mai.: Si non esset primus Motor, omnia moventia essent moventia media; sed hæc licèt infinita forent, absque primo Motore nil moverent: ergo. Mai. est nota ex terminis. Min. verò prob. 1°: Movens motum non se habet nisi ut medium, et ut canalis deferens motum, et magis

ut mobile, quàm ut movens: ergo vel assignandus erit fons motûs, à quo primò derivetur in illos quasi canales, et respectu cuius tota moventium motorum multitudo se habebit ut unum mobile; vel fatendum est aliquod esse mobile, quod moveatur sine motore, et canalem qui fluat sine fonte in illum influente. Quæ tam repugnant, quàm, ut vulgò aiunt, esse baculum sine extremis, et montem sine valle.

483 2°: Moventia media ut actu moveant pendent à movente antecedente; sed non à priore tantùm: ergo à Primo, sicque etc. Min. prob.: Si movens medium ita penderet à priori, ut essent infinita moventia, seu ante omne movens daretur aliud movens, nunquam compleretur actualis motus istius moventis essentialiter dependentis; sicque nunquam actu moveretur: ergo cùm moveatur etc. Ant. patet; nam infinitas ascensûs vel descensûs repugnat complemento. Res exemplo illustretur: Si ut moveatur lapis solùm requiritur quòd moveatur à manu, hæc ab animâ, et ista à Deo, facilè intelligo quomodò compleatur actualis motus lapidis. At si ut mobilitas lapidis compleatur et fiat actualis motus, opus est quòd priùs in actuali motu compleantur infinita moventia inter se essentialiter successivè dependentia; sicut hæc successio nunquam exhaurietur, ita nunquam motus lapidis fiet actualis.

484 At inquies: Nonne Arist. infinitam generantium seu moventium successionem admisit, mundum credens fuisse ab æterno? Nonne plures id possibile iudicant? ℟. nec hanc nostram rationem excludere infinita moventia mota, quæ an possibilia sint, an non, inter Philosophos dubitatur; nos autem nunc ex perspicuis ac indubiis argumentamur. Itaque solùm contendimus hanc infinitam moventium motorum multitudinem, etsi foret, nil unquam actu movere posse, nisi mota ab aliquo movente extra ipsam posito, seu Primo movente. Arist. autem quamquam in eo erraverit quòd Mundum crediderit æternum; at ex ipsâ æternâ generationum ac motuum successione, Primum motorem æternum esse probavit.

485 Prob. nunc min. principalis syllogismi: Omne quod mutatur ab alio mutatur; sed Primus motor ab alio

mutari nequit ; nam non esset primus si priorem supponeret à quo mutaretur : ergo Primus motor est immutabilis. Mai. prob. 1° : Quod mutatur seu est subiectum mutationis est *potentia privata actu ;* sed quod mutat, seu causa efficiens mutationis, debet esse *actus :* ergo cùm potentia privata actu nequeat esse ipse actus, ideò id quod mutatur nequit esse ipsum quod mutat, sicque etc. 2° : Mobile pendet à suo motore, ipsi subiicitur, et ad eum refertur ; sed nil dependet, refertur, aut subiicitur sibi ipsi : ergo etc. 3° : Hinc experimur mobilia quiescere donec aliquid in eis motum excitet.

486 Prob. 2° conclusio ex ratione *Primæ causæ :* Plura in Mundo efficiuntur, id est cùm anteà non essent accipiunt *esse* ab alio, nempè à sua causâ efficiente ; sed impossibile est omnia accepisse esse ab alio : ergo est aliqua causa efficiens prima seu incausata, et hanc dicimus *Deum.* Min. prob. : Si omnia acciperent esse ab alio, ut supra omnem causam semper esset alia causa, omnes causæ essent mediæ ; sed hæ non movent nisi motæ nedum à priore, sed à primâ : ergo. Præmissæ probantur sicut suprà de motu. Prob. 2° min. : Si omnia essent ab alio, re ipsâ nil esset : ergo. Ant. prob. : Quod est ab alio, non est nisi sit illud aliud à quo habet esse ; sed si omnia sint ab alio, non est illud aliud à quo omnia dicuntur esse : ergo. Min. declaratur : Etenim non est aliud ab omnibus : non enim diceres *omnia,* si aliud supponeres præter illa : ergo si omnia sunt ab alio, sunt ab eo quod non est ; seu non est id à quo supponuntur esse.

487 Prob. 3° ex ratione *Entis necessarii :* Est aliquod ens necessarium, seu necessariò existens ; sed in causis necessariis nequit procedi in infinitum absque primâ causâ, ut patet ex dictis : ergo est aliquod Ens per se necessarium, seu non habens causam necessitatis aliunde, et hoc dicimus Deum. Mai. prob.: Plura contingentia sunt seu existunt : ergo non omnia, quæ sunt, contingentia sunt : ergo est aliquod etc. Cons^{a} prob. : Si omnia essent contingentia nunc nil esset : ergo si etc. Ant. prob. : Contingens est quod possibile est esse et non esse ; sed si omnia essent possibilia esse et non esse, nunc nil esset : ergo. Min.

prob. : Quod possibile est esse et non esse, cùm de se æqualiter se habeat ad esse et non esse, nequit sibi dare *esse*, sed quando est habet esse ab alio; sed si *omnia* essent ita possibilia, nunquam fuisset aliquod *aliud* à quo haberent esse: ergo.

488 Reponi solet ad hanc et ad secundam rationem, omnia *divisivè* sumpta esse contingentia et esse effectus, non autem *collectivè* ; v. g. quemlibet hominem et esse alterius effectum, et contingentem : totum verò genus humanum necessarium esse, nec habere causam. = Contrà 1° : Tota collectio effectuum et contingentium nil addit supra singula nisi numerum : sed nimis ridiculum ac puerile est velle quòd numerus effectuum excludat causam; imò quò magis multiplicantur effectus eò magis urgetur necessitas causæ : ergo sicut intelligi nequit unus effectus sine causâ, ita nec à fortiori infinita collectio effectum.

489 Contrà 2° : Tota collectio effectuum aut contingentium, licèt infinita, ex essentiâ suâ est indeterminata ad *esse*, et potens *non esse* ; sed quod ita se habet nunquam incipiet esse, nisi sit aliud extra illud, à quo determinetur ad esse : ergo extra totam hanc collectionem debet esse aliqua Causa et Ens *à se*. Mai. prob. : Singuli effectus, aut singula contingentia, ex suâ essentiâ sunt indeterminata ad *esse*, et potentia *non esse* : ergo etiam tota eorum collectio. Cons[a] patet; nam in prædicatis essentialibus eadem est ratio singulorum ac omnium. Hæc benè perpende, et plura solves quæ adversùs harum rationum efficaciam peti solent ex prædicatis non essentialibus in quibus proindè non valet illatio à distributivo ad collectivum, seu à singulis ad omnia.

490 Prob. 4° ex ratione *Entis perfectissimi* : In rebus aliæ aliis perfectiores sunt in essendo, ut animalia plantis, homines animalibus; sed res dicitur magis aut minùs perfecta in aliquo genere prout magis aut minùs accedit ad id quod in eo genere maximum est : sicut dicitur magis calidum quod magis accedit ad ignem maximè calidum : ergo est aliquod ens maximè perfectum in essendo, seu in suo esse perfectissimum, et hoc dicimus Deum.

= Dices, Ens perfectissimum non esse aliquid existens, sed aliquid possibile, id est, super omne perfectum potest esse aliquid perfectius in essendo. Contrà: Ens perfectissimum nequit esse possibile, sed necessariò existens: ergo ruit solutio. Ant. prob.: Quæ possunt esse solùm sunt possibilia quatenùs continentur in existentibus à quibus causari possunt; sed res perfectissima nequit contineri in aliâ: hæc enim continens esset perfectior: ergo.

491 Prob. 5° ex ratione *Supremi mundi Gubernatoris:* Corpora naturalia eo ordine et ad fines suos aptitudine operantur: eâ arte, mutuis utilitatibus, ac connexione sunt disposita, ut insaniat necesse est quicumque ea absque alicuius intelligentis directione aut esse facta aut operari arbitretur: ergo est aliqua suprema intelligentia Universi machinam mirâ ratione gubernans; et hanc dicimus Deum. Ant. ex universæ naturæ, et cuiuslibet eius partis consideratione elucescit; ut tota Physica sit eius perpetua demonstratio. Hoc argumentum et evidentissimum est, et nobilissimum; cùm præcipuas Supremi Numinis dotes ostendat, scilicet quòd intellectu præditum sit, ac naturam regat.

492 Eo sacri et profani Auctores perpetuò usi sunt. *Levate in excelsum oculos vestros,* inquit Is. c. 40. v. 26. *et videte quis creavit hæc.* Iob. c. 12. v. 7: *Interroga iumenta et docebunt te: et volatilia cœli, et indicabunt tibi: Loquere terræ et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Cicero, tum sæpè aliàs, tum præcipuè lib. 2. de Nat. Deor. c. 6: *Si enim est aliquid in rerum naturâ quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certè id quod illud efficit homine melius. Atqui res cœlestes, omnesque eæ quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt: est igitur id quo illa conficiuntur homine melius. Id autem quid potiùs dixeris quàm Deum?*

493 Et c. 38: *Quis enim hunc hominem dixerit, qui cùm tam certos cœli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat quæ*

quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cùm machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut spheram, ut horas, ut alia permulta, non dubitemus quin illa opera sint rationis: cùm autem impetum cœli admirabili cum celeritate moveri, vertique videamus, constantissimè conficientem vicissitudines anniversarias, cum summâ salute et conservatione rerum omnium, dubitamus quin ea non solùm ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinâque ratione.

494 Seneca de Benef. lib. 14. c. 5 et 6. in omnibus Deum beneficum Auctorem dignoscere admonet: *Unde ista quæ possides? quæ das? quæ negas? quæ servas? quæ rapis? Unde hæc inumerabilia oculos, aures, animum mulcentia?.... Tot arbusta non uno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varietates ciborum, per totum annum digestæ..... Iam animalia omnis generis, alia in sicco solidoque, alia in humido innascentia, alia per sublime dimissa..... Flumina hæc amœnissimis flexibus campos cingentia, illa præbitura commerciis viam... Unde tibi istum quem trahis spiritum? Unde istam per quam actus vitæ tuæ disponis atque ordinas lucem? Unde sanguinem cuius cursu vitalis continetur calor?... Nonne si gratus es dices, Deus nobis hæc otia fecit, Namque erit ille mihi semper Deus?*

495 His quinque præcipuis demonstrationibus aliquæ addi possunt, quæ licèt ad eas facilè reducantur, ob specialem tamen vim et lucem, dignæ sunt quæ saltem breviter indicentur. I[a]: Genus humanum aliquando incepit; sed non à brutâ materiâ: ergo à summo aliquo mundi Conditore factum est. Mai. patet ex historiâ humanâ, quæ ultrà Ninum non assurgit; nam memoriæ Ægyptiacæ, Assyriæ, et Sinenses quæ paulò vetustiores sunt, manifestis fabulis revincuntur. Præterea novitatem generis humani ostendunt civitatum exordia, exordia et incrementa Imperiorum, notatæ primæ origines artium et scientiarum, eæque exiguæ et barbaræ, à quibus veluti per gradus ventum est quò nunc sunt.

496 II[a]: Nulla natio aut extitit aut existit tam moribus efferata, ut Deum esse non constantisimè tenuerit,

et nunc teneat; sed consensus omnium gentium naturæ vox est: ergo natura ipsa clamat Deum esse. Audiatur Seneca Epist. 117: *Veritatis argumentum est aliquid omnibus videri. Tamquam Deos esse inter alia sic colligimus, quòd omnibus de Diis opinio insita est: nec ulla gens usquam est adeò extra leges moresque proiecta, ut non aliquos Deos credat.* Idem Cic. lib. 1. de Nat. Deor. et alibi passim.

497 III^a (ut alias omittamus) repeti potest ex illis ipsis qui Deum ignorant aut negant. Quippè primi nedum sunt pauci, sed ab humano commercio segregati, stupidi, tantùm non belluini. Secundi aut facinorosi sunt qui hanc veritatem è corde suo delere nituntur; aut scioli ad insaniam superbi, quibus heroicum videtur certissima quæque audacissimè pernegare, aut voluptuosi quorum mens sepulta in carne et sanguine nil divinum potest sapere: ergo nimis evidens est Dei existentia, quæ non nisi ab his humani generis opprobriis in dubium vertitur.

498 Hìc observa Philosophos plures in Atheorum sensum relatos esse, quòd popularem superstitionem riderent, quamquam unum Deum omnium conditorem et gubernatorem intelligerent. Similiter aliqui populi, quòd nulla templa haberent, aut quòd à primis viatoribus parùm cogniti fuerint eorum mores. Sic in incolis Capitis Bonæ Spei contingit, quos Atheos esse primi viatores vulgaverant; quod falsum repertum est, postquam cum eâ natione Europæi commercia agitare cœperunt. *Vid. Lafitau, De moribus hominum silvestrium.*

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

499 Obi. 1°: Ex variis rerum motibus et effectibus colligi nequit Supremi Numinis existentia: ergo corruunt potissimæ ipsius demonstrationes. Ant. prob.: Omnia hæc illà solâ materiâ æternâ seu à solis atomis causari potuerunt: ergo. Ant. prob.: Nil prohibet æternas atomos mole quasi materiâ, gravitate quasi principio movente donatas, per immensa spatia, et per infinita sæcula rationibus infinitis motas, post innumeras deformes iunctiones, post innumera differentia chaos, tandem

fortuito concursu in hoc æquilibrium, in hunc physicum ordinem fuisse redactas, quo acta sunt: ergo saltem id potuit esse, sicque etc. ℟. hanc hypothesim esse omninò impossibilem. 1° Atomus ad motum et quietem est indifferens, nam etiam cum suâ gravitate aliquando quiescit: ergo si ab æterno movetur, existat necesse est aliquod agens æternum, à quo atomus ad motum determinetur.

500 2°, ut alia omittamus: *Si mundum efficere potest concursus atomorum*, dicemus cum Cic. lib. 2. de Nat. Deor., *cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quæ sunt minùs operosa, et multò quidem faciliora? Certè ita temerè de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem cœli ornatum suspexisse videantur.* Hæc Cicero. Quid si cœlorum ornatui, vitam addamus, sensum, appetitum, rationem, libertatem, aliosque tam præclaros motus, quos in nobis experimur? Ii ne etiam ex cæcâ, stupidâ, brutâ atomorum gravitate orientur?

501 Sanè si quis in deserto nemore palatium secundùm artis leges magnificè extructum conspiciens, cuius variæ partes sibi adamussim respondentes utilitati, voluptati, usuique domesticorum exactissimè inservirent; seriò et ex animo contenderet palatium illud non sapientis artificis esse opus, sed fortuitum tenuissimarum particularum ludum, quæ ex prominentis montis rupe discissæ, motæque et simul coniunctæ, sine cuiusquam ope, ex se tantùm eam in formam coaluerint: nonne qui ita loqueretur, ut insigniter delirus, aut somnians contemneretur ab omnibus?

502 Quò ergo stupiditatis, quò dementiæ eos devenisse opus est, qui idem aut sentire aut addubitare non erubescunt: circa ordinem, structuram, fines, motus corporis humani ac totius Universi, et quod caput est, circa ipsos imaginationis nostræ, mentis, voluntatis mirandos effectus? Furor est profectò furor, negato Deo vivo et vero, quem natura inspirat, ratio demonstrat, totus mundus prædicat, hæc portenta chimærarum loco eius substituere, illisque absurdissimis principiis mentem, sapientiam, omnia bona accepta referre. At impiissimis ho-

minibus hæc pœna debebatur, ut qui optimum Patrem et Principem agnoscere recusant, tam vilibus primis principiis sese turpiter subiiciant.

503 Obi. 2°: Non est ens perfectissimum seu summè bonum: ergo nec Deus. Ant. prob.: Si esset, nil mali fieret; sed plura mala fiunt: ergo. Mai. prob. 1°: Non est summè bonus, qui aut non vult, aut non potest omnia mala impedire: ergo. 2°: Si esset infinitus calor excluderet omne frigus: ergo etiam etc. ℟. nego mai.: ad 1m prob., nego ant.; quia summum Bonum decet ut ea mala non impediat, ex quibus maiora bona redundant. Unde optimè ait Aug. in Enchir. c. 27: *Melius iudicavit Deus de malis bona facere, quàm mala nulla esse permittere.* Deus autem mala permittere potuit, quia omnia quæ extra ipsum sunt liberrimè facit; voluit autem, tum ne maiora bona impediat, tum quia ita fert conditio rerum ex nihilo originem trahentium. Et hinc patet ad 2m; nam calor liber non esset, sicque suum contrarium omninò excluderet.

504 Obi. 3°: Mundus hic prudenti ac supremo Gubernatore non regitur: ergo nec Deo. Ant. prob.: 1 Res humanæ, quæ in hoc mundo præcipuæ sunt, pessimè administrantur, dum Bonis oppressis Mali prosperè agunt. 2 Imò omnes homines mille ærumnis generatim conficiuntur. 3 Quid quod nec Dei cultui provisum est, dum tot falsas religiones conspicimus? ergo cùm hæc aut imprudentiam aut impotentiam in Gubernante inferant etc. ℟. 1 malam humanarum rerum administrationem ab hominum malitiâ oriri, seu ab humanâ ratione, quæ plerumque deficit, corrigetur tamen suo tempore à ratione divinâ.

505 Nec interim præiudicium fit Bonis; quorum iniuriæ non iacturæ sunt, sed semina copiosâ messe compensanda. 2 Ex hominum malitiâ nascuntur etiam ærumnæ omnes, quæ verè tales sunt; et à Deo immensa beneficia, quorum nonnulla ex Senecâ suprà annumerantur. 3 Suo autem cultui sufficienter Deus providit, et per lumen naturale, et per plures speciales instructiones. Sed hominum socordia et malitia malo quodam genio inflam-

mata in causâ est tot errorum utrumque lumen extinguentium.

506 Nimis solidis fundamentis innixa est Dei existentia, ut tam puerilium argumentatiuncularum ictibus nec minimum commoveatur. Quinimò ad instar silicis novam lucem emittit, qua assurgat animus ad alias sublimiores veritates rimandas. Sic ex infelici iustorum sorte supremi Numinis Providentiæ collatâ, animorum immortalitatem suprà argumentabamur (n. 280). Sic etiam ut in suis clarissimis cogitationibus Blasius Paschalis admonet, ipsa sanè stupenda humani cordis corruptio et ad deteriora proclivitas nos manuducit, ut Conditoris nostri summam bonitatem intelligentes, intelligamus etiam ab eo nos statu defecisse, quo ipse nos condidit; et ita pedetentim veræ revelatæ Religionis necessitatem dignoscamus, quæ debet et sola potest originem malorum nostrorum exponere, et iis adhibere remedia.

ART. II.

DE ATTRIBUTIS DEI.

507 Attributum Divinum est: *Ratio absoluta necessariò et formaliter in Deo existens, quæ nostro intelligendi modo Divinam essentiam consequitur.* Quare observandum est 1°, rationem *entis à se* ita ad alias se habere, ut ab eâ omnes veluti emanent; ac proindè tamquam metaphysicum Dei constitutivum concipiatur. Certè essentiæ seu constitutivi nomine ratio illa intelligitur, quæ primùm in unaquaque re concipitur, quæque radix est cæterarum, atque rem ab omni aliâ distinguit; cuiusmodi est in Deo ratio entis à se, seu ut Theologi vocant *asseitas,* ut n. 92 ostensum est. Observandum est 2°, inter essentiam Divinam et attributa, et inter ipsa attributa nullam esse distinctionem realem, sed dumtaxat rationis, quam vocant *implicitam,* ut explicavimus in *Log. à n.* 215.

508 Ita ut providentia divina v. g. sit ipse Deus et quidquid in Deo est, cùm omnia implicet; sed angusto intellectûs nostri concipiendi modo per eam unicè consi-

deramus rationem illam, qua Deus cuncta disponit, quamque explicitè solùm significat providentia. Et quamquam ex his quæ de Supremi Numinis existentiâ diximus, plura ipsius attributa seu proprietates facilè colligi possunt, ut quod sit Primus motor immobilis, Prima omnium causa, Ens omninò necessarium, omnium perfectissimum, ac Supremus mundi Gubernator; nihilominùs nunc quædam addemus, breviter tamen, fusam eorum expositionem Theologis reservantes. Atque in hac re non solùm doctrinam, sed verba etiam quoad fieri possit, accipiemus à D. Thomâ, qui exactiori Metaphysicâ, quàm umquam alius, accuratissimè de Dei attributis pertractat præsertim in *Summâ* et in Libris *contra Gentiles*.

§ I.

DE UNITATE ET SIMPLICITATE DEI.

509 Iª conclusio : *Deus est unicus.* Prob.: Si plures essent Dii, vel unus haberet omnes perfectiones aliorum, vel non? Si haberet: ergo non distingueretur ab alio, siquidem nullum haberet prædicatum distinctum. Si non haberet: ergo nullus esset Deus; nam nullus haberet omnes perfectiones, cùm tamen sub Dei nomine intelligatur omnium perfectionum cumulus. Adde: Si æquales, nullus esset Deus; nam nullus esset supremus. Si alter inferior, multò minùs hic esset Deus: ergo plures Deos ponere est illos tollere.

510 Obi. 1°: In mundo et bona sunt et mala; sed aliud esse debet summum principium boni, et aliud mali, cùm sint opposita: ergo. ℟. hanc Manichæorum insaniam se ipsam conficere. Nam nullum ex his principiis Deus esset; cùm nec summè potens, nec beatum neutrum concipi possit, sed utrumque in mutuo semper iurgio et miseriâ, à qua non posset evadere. Itaque nego min. et dist. eius prob.: bona et mala sunt contraria secundùm rationes particulares, concedo; secundùm rationem communem essendi, nego. Unde in causis mali non est procede-

re in infinitum, sed est reducere omnia in aliquam causam bonam, ex qua sequitur malum per accidens.

511 Obi. 2°: In Sacrâ Scrip. Prophetæ et Iudices dicuntur Dii: ergo sunt plures. Prætereà: Deus non est unus prædicamentaliter, quia non habet quantitatem; sed nec transcendentaliter: ergo nullo modo. Min. prob.: Unum transcendentale, seu quod est entis proprietas, importat privationem; sed hæc Deo repugnat: ergo. ℟. Iudices et Prophetas vocari Deos non propriè, sed metaphoricè ob specialem cum Deo similitudinem: illi scilicet ob authoritatem vitæ et necis; isti verò ob futurorum revelationem, in quibus duobus Dei maiestas maximoperè repræsentatur. Ad alterum dic, quòd licèt in Deo nulla sit privatio, tamen à nobis solùm cognoscitur per modum privationis et remotionis. Et sic cùm solùm nominetur ut à nobis cognoscitur, nil prohibet aliqua privativè dicta de Deo prædicari, ut quòd sit incorporeus, et infinitus, et similiter quòd sit unus.

512 IIª conclusio: *Deus est spiritus,* seu ut post Cic. I. Tusc. c. 27. ait D. Aug. lib. XXII. de Civ. Dei c. 20: *Mens quædam soluta et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens.* Prob.: Deus est id quod est nobilissimum in entibus; sed Spiritus est multò nobilior et præstantior omni corpore, ut in nobis intelligimus: ergo Deus est Spiritus. Mirandum ergo cum Philone in lib. de somniis, *nonnullos sic hebetes et obtusos esse naturâ, ut Deum sine corpore intelligere nullo modo queant.* Hinc oculi, brachia, cæteræque corporeæ appellationes de Deo enuntiantur non propriè sed per metaphoram; quatenùs ille virtute suâ id præstat, quod corporis instrumentis nos exequimur.

513 IIIª conclusio: *Deus est omninò simplex.* Prob. 1°: Omne compositum causam habet; sed Deus non habet causam, cùm sit prima causa: ergo. 2°: In omni composito oportet esse potentiam et actum; quia vel una partium est actus respectu alterius, vel saltem omnes partes sunt sicut in potentiâ respectu totius; sed in Deo nulla est potentia: ergo. Min. prob.: In quantùm aliquid est in potentiâ in tantùm habet de non esse; sed à Deo ab-

sistit omne non esse, cùm sit ipsum esse totaliter : ergo. Quare *Deus est actus purissimus* absque omni prorsùs potentialitate. Atque adeò *immutabilis ;* nam nec potest aliquid adquirere, cùm non sit in potentiâ ; nec amittere, cùm sit ens omninò necessarium.

§ II.

DE SCIENTIA ET VOLUNTATE DEI.

514 I^a Conclusio *: Deus est omniscius.* Prob. : Deus cùm sit immaterialis et actus purus se ipsum per se ipsum perfectè intelligit, alioquin non esset perfectus ; sed hoc ipso omnia cognoscit : ergo. Min. prob. : Si aliquid perfectè cognoscitur, necesse est quòd virtus eius perfectè cognoscatur, sicque cognoscantur omnia ad quæ virtus se extendit ; sed virtus Divina se extendit ad omnia, cùm sit prima causa omnium : ergo. Unde Deus se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per essentiam suam ; alia autem à se videt non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. ═ Dices : Ergo Deus non cognoscit mala culpæ, quia non est eorum causa. ℟. neg. cons^m. Etenim licèt Deus non sit causa mali culpæ, est tamen causa boni, per quod cognoscitur malum oppositum ; nam quicumque perfectè cognoscit aliquid, oportet quòd cognoscat omnia quæ possunt illi accidere.

515 II^a conclusio : [1] *Deus non solùm se vult ; sed etiam alia à se :* [2] *et quidem se necessariò ,* [3] *alia autem à se omninò liberè.* Prob. 1ª pars : Deus non solùm habet habitudinem ad proprium bonum plenissimè cognitum, ut amet eum et delectetur in eo, sed etiam ut bonum suum aliis per similitudinem communicet ; sed hoc fit per voluntatem : ergo. Prob. 2ª pars : Divina voluntas necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam : ergo. Ant. prob. : Quælibet potentia necessariam habitudinem habet ad proprium et principale obiectum ; sed Divina bonitas proprium est obiectum Divinæ voluntatis : ergo. Prob. 3^a pars : Voluntas Divina non habet habitudinem neces-

sariam ad alia præter Divinam bonitatem: ergo. Prob. ant.: Alia à se Deus vult in quantum ordinantur ad suam bonitatem, quæ potest esse sine illis, et perfecta cùm nihil ei perfectionis ex aliis accrescat; sed ea quæ sunt ad finem non ex necessitate volumus volentes finem, nisi sint talia sine quibus finis esse non potest: ergo.

516 Obi. 1° cont. 1am partem: Voluntas cui sufficit aliquod obiectum, nihil quærit extra illud; sed Deo sufficit sua bonitas: ergo. Præthereà: Si Deus velit se et alia à se, actus voluntatis eius erit multiplex, et ita eius esse, cùm in Deo sint idem esse et velle; sed hoc est impossibile: ergo. ℟. ad 1m dist. mai.: nihil quærit extra illud, hoc est nihil vult nisi ratione illius, concedo; nihil aliud omninò vult, nego. Ad 2m dist. mai.: Si Deus velit se et alia à se seorsim, actus voluntatis eius erit multiplex, concedo; si velit simul per unum, nego. Unde sicut Deus uno actu omnia in essentiâ suâ intelligit, ita uno et simplici actu vult omnia in suâ bonitate.

517 Obi. 2° cont. 3am partem: Quidquid Deus vult ab æterno vult; sed omne æternum est necessarium: ergo. Adde: Si Deus liberè ab æterno vult alia à se, ab æterno potuit non velle, in hoc etenim sita est libertas; sed hoc importat mutabilitatem, quæ in Deo esse non potest: ergo. ℟. ad 1m dist. min.: omne æternum est necessarium vel absolutè vel ex suppositione, concedo; præcisè absolutè, nego. Supposito enim quòd Deus velit, non potest non velle, quia voluntas eius immutabilis est. Unde cùm Deus pœnituisse dicitur, intelligendum est per metaphoram: quatenùs rem destruit, sicut cùm nos pœnitet destruimus quod fecimus.

518 Ad 2m dist. mai.: Si Deus liberè ab æterno vult alia à se, ab æterno potuit non velle per mutationem actûs, nego; ab æterno potuit non velle per mutationem termini, ad quem actus dicit habitudinem non necessariam, concedo mai.; et dist. min.: hoc importat mutabilitatem in Deo, nego min.; in termino, concedo. Siquidem Dei libertas non est, sicut humana, indifferentia potentiæ ad diversos actus, sed indifferentia unius eiusdemque actûs essentialis ad diversa obiecta secundaria, ad quæ non

necessariam habitudinem dicit. Unde idem actus divinus in se immutatus cum solâ mutatione termini non necessariò connotati est in Deo ab æterno velle respectu eorum quæ futura sunt, et ab æterno non velle respectu eorum, quæ potuerunt esse, et non erunt.

§ III.

DE DEI VITA ET ÆTERNITATE.

519 I^a^ conclusio : *Deus est vivens*. Prob. : Deus est intelligens et volens ; sed intelligere et velle nonnisi viventis est : ergo. Conf. : Cùm vivere sit moveri per se et non ab alio, omne illud quod agit se ad proprias operationes, quamvis non sit cum sensibili motu, dicitur vivere ; sed Deus maximè non ab alio, sed à se ipso operatur ; cùm sit prima causa : ergo. Atque hìc adverte quòd in Deo omnia vivunt. Etenim creaturæ in Deo esse dicuntur dupliciter. Uno modo in quantùm continentur et conservantur virtute Divinâ, et sic creaturæ dicuntur esse in Deo etiam prout sunt in propriis naturis. Alio modo dicuntur res esse in Deo sicut in cognoscente, et sic sunt in Deo per proprias rationes, quæ non sunt aliud ab essentiâ Divinâ. Unde rationes rerum quæ in se ipsis non vivunt, in mente Divinâ sunt vita, iuxta illud Ioan. 1 : *Quod factum est, in ipso vita erat.*

520 II^a^ conclusio : *Deus est æternus*. Prob. : Esse æternum duo importat, scilicet esse interminabile seu principio et fine carere, et esse sine successione seu totum simul existere ; sed hæc duo maximè Deo competunt : ergo. Prob. min. : Quod est omninò immutabile, sicut nec successionem, ita nec principium aut finem habere potest ; sed Deus est maximè immutabilis : ergo. Hinc æternitas verè et propriè in solo Deo est ; secundùm autem quod aliqua ab ipso immutabilitatem percipiunt, æternitatem quoque participant. Sic ignis inferni quia terminum non est habiturus, dicitur æternus ; et similiter beatorum qui Verbo fruuntur vita, quia nec finem nec volubilitatem quoad illam Verbi visionem experietur.

§ IV.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

521 Conclusio: *Deus est omnipotens.* Prob.: Deus omnia potest quæ possunt habere rationem entis, seu continentur sub possibilibus absolutis: ergo. Ant. prob.: Cuilibet potentiæ activæ correspondet possibile ut obiectum proprium secundùm rationem illius actûs, in quo fundatur potentia activa; sed esse divinum, super quod ratio divinæ potentiæ fundatur, est esse infinitum non limitatum ad aliquod genus entis: ergo. Conf.: Quod aliquis effectus non subsit potentiæ alicuius agentis, potest ex tribus contingere: primò, quia non habet cum agente similitudinem: secundò, propter excellentiam effectûs, qui transcendit virtutem agentis: tertiò, propter materiam determinatam ad effectum, in quam agens agere non potest; sed nullo istorum modorum potest aliquis effectus subtrahi divinæ virtuti: non primo, cùm omne ens in quantum habet esse sit Deo simile: non secundo, cùm Deus sit super omnia entia in perfectione: nec tertio, cùm Deus sit causa materiæ, nec ipsam prærequirat in agendo: ergo.

522 Obiicies: Plura sunt, quæ Deus facere non potest: ergo. Ant. prob. 1°: Deus nec falli potest, nec peccare, nec mori cæt. 2°: non potest facere quod præterita non fuerint. 3°: imò et quod facit non potest facere melius, cùm non possit facere potentiùs et sapientiùs. Tandem solùm potest facere ea quæ facit; non enim potest facere ea quæ non præscivit et præ-destinavit se facturum: ergo. ℟. nego ant. Ad 1^m prob. dic, ea omnia arguere non potentiam, sed potentiæ defectum. *Sic enim hoc non potest*, inquit D. Aug. lib. V. de Civ. Dei c. 10. *ut potiùs si posset, minoris esset utique potestatis.* Ad 2^m, manifestam contradictionem involvere præterita non fuisse, scilicet fuisse et non fuisse. Unde hæc et similiter impossibilia convenientiùs dicitur quod non possunt fieri, quàm quod Deus non possit facere.

523 Ad 3^m : Cùm dicitur, *Deum posse aliquid facere melius quàm facit, si melius* sit nomen, verum est; qualibet enim re potest facere aliam meliorem. Eandem verò potest facere meliorem secundùm bonitatem, quæ est extra essentiam rei; secundùm bonitatem verò quæ est de essentiâ rei non potest facere aliquam rem meliorem, quàm ipsa sit: sicut non potest facere quaternarium maiorem; quia si esset maior, iam non esset quaternarius, sed alius numerus: sic autem se habet additio differentiæ essentialis in definitionibus, sicut additio unitatis in numeris.

524 Si verò *melius* sit adverbium, et importet modum ex parte *facientis*, sic Deus non potest facere meliùs quàm sicut facit, quia non potest facere ex maiori sapientiâ et bonitate. Si autem importet modum ex parte *facti*, sic potest facere meliùs; quia potest dare rebus à se factis meliorem modum essendi quantum ad accidentalia, licèt non quantum ad essentialia. Ad ult. dist.: Deus solùm potest facere ea quæ facit potentiâ ordinariâ, concedo; absolutâ, nego. Etenim quia potentia intelligitur ut exequens, voluntas ut imperans, et intellectus ac sapientia ut dirigens; quod attribuitur potentiæ secundùm se consideratæ dicitur Deus posse secundùm potentiam absolutam: quod autem attribuitur potentiæ Divinæ, secundùm quod exequitur imperium voluntatis iustæ, hoc dicitur Deus posse facere de potentiâ ordinariâ.

§ V.

DE DEO CREATORE ET CONSERVATORE.

525 I^a conclusio: *Deus est Creator omnium.* Prob. 1°: Deus ex nihilo res omnes produxit in esse: ergo. Ant. prob.: Si aliquid rebus productis præexisteret ex quo fierent, vel illud productum esset, vel esset ipse Deus; sed non primum, cum ante omne productum nihil sit productum, nec possibile sit in infinitum procedere, ita ut unum productum ex alio producatur: non secundum, cùm Deus

sit immutabilis : ergo. 2° : Deus utpote causa universalissima entis producit omnia, quæ sunt sub lineâ entis participati ; sed quidquid est præter Deum est sub tali lineâ : ergo. Unde et ipsa materia prima ex hoc quòd est potentia ad essendum, à Deo creata est ; non tamen sola, sed sub formâ.

526 Dices : Si Deus esset omnium creator, vel esset ab æterno vel in tempore ; sed non in tempore, quia quidquid Deus est ab æterno est ; nec ab æterno, quia sic creaturæ essent ab æterno, quod falsissimum est : ergo. ℟. dist. 1^m part. min. : Deus non est creator in tempore per actionem temporalem, conc. ; per creaturæ mutationem in tempore ab æterno et libero actu inductam, nego. Nam quædam nomina divina important habitudinem ad creaturam ut *Salvator*, *Creator* cæt. : et huiusmodi nomina ex tempore de Deo dicuntur quantùm ad habitudinem, quam important ; non autem quantum ad hoc quòd significant essentiam.

527 Quæres : An esse Creatorem sit ita Deo proprium ut nulli creaturæ competere possit ? ℟. *nullam creaturam posse creare, nec ut causam principalem, nec ut instrumentum.* Prob. 1^m : Nulla creatura potest vi suâ respicere ens sub universalissimâ ratione entis, nam hoc est proprium causæ universalissimæ seu Dei ; sed creans ita debet respicere ens, quia nil supponit de ente : ergo. Prob. 2^m : Instrumentum etiam virtute suâ agit circa subiectum causæ principalis (n. 198) ; sed in creatione non est subiectum : ergo. Prob. simul utrumque : Omnis virtus creata supponit subiectum : ergo nullo modo influit in creationem. Ant. prob. : Omnis virtus quæ est in creaturâ, cùm sit participata ab aliquo subiecto, nil ampliùs facere potest, quàm ut subiectum aliquid participet : ergo.

528 Obi. tamen 1° : Effectus creationis est finitus, ergo fieri potest virtute finitâ. 2° : Iuxta D. Aug. maius opus est iustificatio impii quàm creatio cœli ; sed prioris creatura est instrumentum : ergo. ℟. ad 1^m dist. ant. : est finitus in *ratione entis*, conc. ; in *ratione effectûs*, nego. Nam Musca v. g. licèt ens finitum, ut fiat per creationem exigit virtutem, [1] quæ respiciat ens sub universa-

lissimâ ratione entis, [a] et superet infinitam distantiam quæ est inter ens licèt ignobile et nihilum; sicque virtutem duplici ratione infinitam. Ad 2^m dist. mai.: *quantum ad substantiam operis*, conc.; *quantum ad modum productionis*, nego. Nam gratia qua iustificamur est dignissima creatura; at fit ex præsupposito subiecto: unde non requirit tantam virtutem in agente, quantam exigit productio minimæ creaturæ ex nihilo.

529 II^a conclusio: *Deus creaturas conservat in esse, seu est omnium conservator.* Prob.: Esse omnium creaturarum ita pendet à Deo, quòd in nihilum redigerentur, nisi operatione divinæ virtutis conservarentur in *esse:* ergo. Ant. prob.: Sicut *fieri* rei non potest remanere cessante actione agentis quod est causæ rei secundùm fieri, ita nec *esse* rei potest remanere cessante actione agentis quod est causa rei non solùm secundùm fieri, sed etiam secundùm esse; sed Deus est causa omnium creaturarum non solùm secundùm *fieri*, sed etiam secundùm *esse*: ergo. Mai. patet: omnis enim effectus dependet à suâ causâ secundùm quod est causa eius.

530 Min. prob.: Quando effectus non potest recipere impressionem agentis secundùm eandem rationem secundùm quam est in agente, agens est causa effectûs non solùm secundùm fieri, sed etiam secundùm esse; sed creaturæ non possunt recipere *esse* secundùm eandem rationem secundùm quam est in Deo: ergo. Min. est evidens. Mai. exemplo declaratur: sic quia aër non potest recipere lumen secundùm eandem rationem secundùm quam est in Sole, ut scilicet recipiat formam Solis quæ est principium luminis; ideò statim cessat lumen cessante actione Solis. Meritò ergo D. Aug. lib. IV. super Gen. ad litt. c. 12. inquit: *Virtus Dei ab eis, quæ creata sunt, regendis si cessaret aliquando, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret.*

531 Obi. 1°: Quod est per se, nec habet potentiam ad non esse, non indiget conservante; sed creaturæ spirituales per se sunt, nec habent potentiam ad non esse, cùm sint incorruptibiles: ergo. 2°: Potest Deus creaturæ conferre, ut permaneat in esse, Divinâ actione cessante: ergo.

Ant. prob.: Id potest agens creatum, sicut remanet domus cessante actione ædificatoris : ergo multò magis Deus. Denique : Conservatio nihil agere potest in creaturâ: non ipsum esse, quod iam dedit creatio; non aliud, quia sic continuè aliquid adderetur creaturæ, quod est absurdum : ergo. ℟. ad 1^{m} dist. mai.: Quod est per se et *à se,* nec habet potentiam ad non esse ne quidem obedientialem, non indiget conservante, conc.; quod est per se sed non *à se,* et potentiam habet ad non esse adminùs obedientialem, nego. Igitur esse per se consequitur formam creaturæ, supposito influxu Dei, cui proinde subiicitur. Unde potentia ad non esse in spiritualibus creaturis magis est in Deo, qui potest subtrahere suum influxum, quàm in ipsis creaturis.

532 Ex quibus apertè conficitur, creaturas spirituales indigere conservatione *directâ,* cùm pendeant in esse à conservante; etsi non indigeant conservatione *indirectâ,* cùm non habeant corrumpentia, quæ necesse sit removere ab eis. Ad 2^{m}, nego ant.; cùm non possit Deus creaturæ conferre ut sit *à se :* et ad prob^{m}. dist. : id potest agens creatum, si est causa rei tam in fieri quàm in esse, nego; sic Sol non potest facere ut cessante actione suâ maneat lumen in aëre : si est causa rei solùm in fieri, conc.; quia tunc in esse ab aliâ causâ conservatur. Ad ult. dicito, per conservationem effici in creaturâ ipsum esse quod in creatione accepit, non quantùm ad educi è nihilo quod est creari; sed quantùm ad continuari ne recidat in nihilum. Siquidem conservatio rerum à Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis qua dat esse; sicut etiam conservatio luminis in aëre est per continuatum influxum à Sole.

§ VI.

DE PROVIDÉNTIA DEI.

533 Conclusio: [1] *Est in Deo providentia,* [2] *qua cuncta etiam minutissima reguntur.* Hæc veritas ex his etiam probari potest quæ de gubernatione diximus à n. 491, cùm nihil aliud sit Providentia quàm ratio ordinis rerum

in finem in mente Divinâ existens : gubernatio autem huius ordinis executio in tempore. Prob. 1ª pars : In rebus invenitur bonum ordinis earum in finem, quod à Deo primâ causâ creatum est; sed ne cæco modo operetur, necesse est quòd ratio huius ordinis in qua consistit providentia in mente Divinâ præexistat : ergo. Mai. inficiari non potest. Omnia enim inveniuntur in diversis gradibus bonitatis ordinata sub uno summo bono, quod est causa omnis bonitatis ; ita ut minùs perfectum ordinetur ad id quod est perfectius. Sic quælibet pars invenitur esse propter suum totum ; omne particulare bonum huius vel illius rei ordinatur ad bonum totius Universi ; et bonum ipsius Universi ad bonum summum, quod est Deus : etenim ut dicitur Prover. 16 : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.*

534 Prob. 2^a pars : Omnia quæ habent quocumque modo esse, ordinata sunt à Deo in finem : ergo. Ant. prob.: Cùm omne agens agat propter finem, tantùm se extendit ordinatio effectuum in finem, quantùm se extendit causalitas agentis ; sed causalitas Dei, qui est primum agens, se extendit ad omnia entia, quocumque modo esse habeant : ergo. Conf. : Si Deus singularium providentiam non haberet, aut hoc esset quia non cognosceret ea, aut quia non posset, aut quia non vellet eorum curam habere ; sed non potest dici quòd Deus singularia non cognoscat, cùm sit omniscius ; neque quòd non possit, cùm sit omnipotens ; nec etiam quòd non velit, cùm velit omne bonum : ergo. Quapropter optimè ait D. Aug. lib. V. de Civ. Dei c. 11 : *Deus non solùm cœlum et terram, nec solùm hominem et angelum ; sed nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientiâ derelinquit.*

535 Obi. 1° præcipuè contra 2^m part. : Apostolus $1^{æ}$ ad Corinth. c. 9. inquit : *Numquid de bobus cura est Deo?* Et D. Hieron. in c. 1. Habacuc : *Absurdum est ad hoc Dei deducere maiestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur ;* sciret autem si horum providentiam haberet : ergo. ℟. Aposto-

lum non subtrahere totaliter boves à Divinâ providentiâ, sed solùm quantùm ad specialem modum, qui propriè competit rationali creaturæ, quæ inducitur ad bonum et retrahitur à malo etiam per præcepta et prohibitiones, præmia et pœnas. Similiter D. Hieron. solùm removet à Deo scientiam illarum rerum fundantem peculiarem illam providentiam, qua creaturas rationales dirigit in finem. Subdit enim : *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos iniuriosi simus, eandem rationalium quàm irrationalium providentiam esse dicentes.* Quamquam illis verbis id etiam significari potest, non esse scilicet in Deo cognitionem illarum rerum cum variabilitate seu vicissitudine, quam res illæ in se habent; cùm ipsarum rerum variabilitatem Deus cognoscat invariabiliter.

536 Obi. 2° : Si omnia Divinæ providentiæ subiecta sunt, nihil erit casuale : provisum enim non est casuale ; sed multa casu eveniunt : ergo. Prætereà : nulla erunt contingentia, sed omnia necessaria. Erunt enim omnia infallibiliter sicut provisum est ab eo, cuius providentia frustrari non potest. ℟. dist. mai. : Nihil erit casuale respectu Dei, conc.; respectu nostri, nego. Igitur hominibus multa præter opinionem accidunt, quæ sunt ipsis casualia ; minimè verò Deo quem nihil latet. *Vid. n.* 237. Ad alterum ℟. non solùm esse effectum Divinæ providentiæ aliquid evenire, sed etiam evenire vel contingenter vel necessariò ; et ideò cuncta eveniunt infallibiliter, sicut provisum est. = Urgebis : Ergo à nobis abiicienda est omnis cura et diligentia, ut quod intendimus bonum assequamur ; quoniam omnia provisa iam sunt à Deo ab æterno, et sic infallibiliter evenient. ℟. nego conseq. Equidem res sicut à Deo provisæ sunt eveniunt, sed multa providit assequenda per media, quæ prætermitti nullatenùs debent : ac proinde humanæ prudentiæ regulæ in nullo negotio despici possunt.

537 Obi. 3° : Deo tribuendum est quod est dignius ; sed dignius est per alios curam gerere præsertim minimorum : sicut ad dignitatem Regis pertinet habere ministros, per quos subditorum curam habeat : er-

go Deus non providet omnibus saltem immediatè. Adde: Si Deus immediatè omnibus provideret etiam vilibus, horum cognitionem haberet; sed hæc cognitio non est Deo digna iuxta illud D. Aug. in Ench. c. 17: *Melius est quædam nescire quàm scire, ut vilia:* ergo. ℟. dist. min.: dignius est per alios curam gerere quoad executionem, conc.; quoad rationem eorum quæ agenda sunt, nego. Quòd enim Rex non habeat rationem eorum, quæ per ministros agenda sunt, est ex eorum defectu; cùm, ut est humana conditio, non possit per se omnibus animo intendere. Hoc autem procul est à Deo. Unde etiam minimorum rationem gubernationis habet; ita tamen ut in gubernatione seu executione causas secundas adhibeat. Quod additur ex D. August. solùm in nobis, non in Deo locum habet; quia malorum ac vilium cognitio et retrahit nos à cognitione meliorum, et quandoque ad malum inducit. Vid. obi. 2. et 3. art. præc., et quæ de physicâ præmotione diximus in *Phys. Gen.* Lib. II. q. 2. a. 3.

§ VII.

DE DEI IMMENSITATE.

538 Conclusio: *Deus est ubique:* non solùm per *potentiam* in quantùm omnia eius potestati subduntur, et per *præsentiam* in quantùm omnia nuda sunt et aperta oculis eius; sed etiam per *essentiam*, in quantùm adest omnibus ut causa essendi. Prob. 1°: Omne agens ibi est ubi immediatè agit; sed Deus immediatè causat esse in rebus, § V: ergo. 2°: Res incorporea virtutis infinitæ necesse est quòd sit ubique; sed Deus est incorporeus et virtutis infinitæ: ergo. Mai. prob.: Sic se habet res incorporea ad hoc quod sit in loco per virtutem suam, sicut res corporea per quantitatem dimensivam; sed si esset aliquod corpus habens quantitatem dimensivam infinitam, esset ubique: ergo. Unde ubiquitas de Deo dicitur in tempore, in quo esse rebus tribuit; immensitas autem, vi cuius rebus in omnibus esse potest nec unquam contineri, dicitur de eo ab æterno. Quare interroganti

antequam mundus fieret ubi Deus erat? aptè respondet D. Bernar. lib. V. de Con sid. c. 6: *Præter ipsum nihil erat : ergo in se ipso erat.*

539 Obi. 1°: Ipse Deus per Isaiam c. 66. ait: *Cœlum sedes mea:* ergo. 2°: Sicut se habet tempus ad successiva, ita locus ad permanentia; sed unum indivisibile actionis vel motûs non potest esse in diversis temporibus: ergo nec Deus, qui est unum indivisibile permanens, in diversis locis seu ubique. 3°: Divinâ maiestate indignum videtur, in rebus esse etiam sordidis. 4°: Si per actionem esset Deus in rebus, immensitas ab omnipotentiâ non distingueretur: ergo. ℞. ad 1m: Cœlum dici Dei sedem, non quòd ab aliis locis absit, sed quia speciali modo ibi velut in aulâ regiâ manifestatur per gloriæ revelationem: sicut etiam dicitur habitare in templo et in animabus iustis largitione gratiarum. Descendere etiam dicitur, ambulare, accedere, nempè metaphoricè, cùm necessitatibus nostris auxilium confert; aut *cùm aliquid facit in terrâ quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam quodam modo eius ostendat*, ait D. Aug. lib. XVI. de Civ. Dei c. 5.

540 Ad 2m dist. mai.: Sicut se habet tempus ad successiva, ita locus ad permanentia quæ pertinent ad genus continui, conc.; ad permanentia quæ sunt extra hoc genus, nego. Substantiæ enim incorporeæ ita sunt indivisibiles, ut nullatenùs pertineant ad genus continui. Tale autem indivisibile non applicatur ad continuum ut aliquid eius, sed in quantùm contingit illud suâ virtute: unde secundùm quod virtus sua se potest extendere ad unum vel multa, ad parvum vel magnum, secundùm hoc est in uno vel pluribus locis, et in loco parvo vel magno; et cùm sit totum in loco non totalitate quantitatis sed totalitate essentiæ, potest esse extra illum, et similiter in singulis partibus totum. Ad 3m nego ant.; quia suæ puritatis nihil amittit Deus in quocumque loco sit, sicut non amittit lux cùm loca fœda collustrat. Ad 4m: Deus est in rebus non quatenùs per operationem res efficit, quod pertinet ad omnipotentiam; sed quatenùs per eam res attingit contactu quodam virtuali, quod pertinet ad immensitatem, et ita diversâ ratione.

§ VIII.

DE SUMMA PERFECTIONE ET INFINITATE DEI.

541 I^a conclusio : [1] *Deus est summè perfectus ;* [2] *ita ut omnium perfectiones in se contineat.* Prob. 1ª pars : Cui competit tota virtus essendi, est universaliter perfectus n° 92 ; sed Deo competit tota virtus essendi, cùm sit ens à se n. 487 : ergo. Præterea : Unumquodque perfectum est in quantùm est actu, imperfectum verò secundùm quod est in potentiâ ; sed Deus est purissimus actus absque omni potentialitate : ergo. Prob. 2ª pars : Deus est causa effectiva omnium ; sed hæc in se præcontinet perfectionem effectûs : ergo. Ex his liquet, Deum esse *summè beatum ;* quia sibi plenè sufficit, suamque sufficientiam et perfectionem nitidissimè cognoscit. Ubi nota, per quamdam nominis extensionem perfectum dici non solùm quod fiendo pervenit ad actum completum, sed id etiam quod est in actu completo absque omni factione ; et sic Deum perfectum esse dicimus.

542 Obi. tamen : Sunt aliquæ perfectiones, quæ Deo repugnant : ergo. Ant. prob. : Posse mutare consilium et discurrere est perfectio hominis : similiter instinctus est perfectio bruti, gravitas metalli, durities lapidis ; sed hæc et similia Deo repugnant : ergo. ℟. dist. ant. : sunt aliquæ perfectiones *simpliciter tales* quæ Deo repugnant, nego ; *secundùm quid*, subdist. : sumptæ *formaliter* adhuc eminenter, conc. ; sumptæ *virtualiter eminenter*, nego. Itaque perfectiones aliæ sunt *simpliciter* tales, aliæ *secundùm quid.* Perfectio *simpliciter* dicitur quæ est melior omni alio incompatibili cum ipsâ in eodem subiecto ; ut *intelligere* quod est melius omnibus illis, quæ nequeunt esse in intelligente.

543 Perfectio *secundùm quid* ea est cum qua subiectum est melius quàm sine ipsâ, suppositâ aliquâ imperfectione subiecti : sicut suppositâ limitatione intellectûs humani discursus est eius perfectio. Similiter brutorum instinctus, et alia accidentia materialia sunt perfectiones

secundùm quid, nam licèt deteriora sint perfectionibus spiritualibus, cum quibus esse nequeunt in eodem subiecto; tamen supposito defectu spiritualitatis, suum subiectum est melius cum ipsis quàm sine ipsis. Utriusque generis perfectiones sunt in Deo *eminenter*, seu eminentiori modo quàm in creaturis. Cum hoc tamen discrimine, quòd *simplices* sunt in Deo *formaliter eminenter,* seu Deo propriè tribuuntur, ut quòd sit *intelligens*, *potens, liber etc.* seu potiùs *Omnipotens*, *Omniscius*, *Liberrimus*, cæt. At perfectiones *secundùm quid,* solùm sunt in Deo *virtualiter eminenter*, seu de ipso dicuntur metaphoricè, ut quòd habeat manus, oculos etc.

544 II^{a} conclusio: *Deus est infinitus.* Prob. 1°: Esse Dei est per se subsistens, non receptum in aliquo, quia in Deo nulla est compositio; sed esse non receptum est infinitum n. 96: ergo. 2°: Dato quocumque finito, intellectus noster potest aliquid maius cogitare; sed intellectus noster non potest cogitare aliquid maius Deo: ergo. = Dices: Finitum et infinitum conveniunt quantitati; sed in Deo non est quantitas, cùm non sit corpus: ergo. ℟. dist. mai.: finitum et infinitum secundùm magnitudinem materialem seu molis conveniunt quantitati, conc.; secundùm magnitudinem spiritualem, nego. Hæc autem attenditur secundùm propriæ naturæ bonitatem sive completionem. Ut enim dicit D. Aug. lib. VI. de Trinit. c. 9: *In his quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse.*

545 Quæres: An esse infinitum ita sit Deo proprium, ut nulla creatura esse possit infinita? Ante responsionem observa infinitum idem esse ac non finitum, seu quod non habet fines aut terminos, ut proindè sit immensurabile, nec possint numerari, aut successivè singillatim cognosci omnes illius partes. Et est duplex, scilicet *potentiale*, quod solet dici *syncategorematicum*, et *actuale* seu *categorematicum.* Primum est, quod secundùm id quod actu habet terminis clauditur, at potest aliud et aliud sine termino seu fine habere, ut numerus hominum actu finitus est, at in potentiâ infinitus; nam ei addi semper possunt alii et alii homines. Secundum est id, quod

secundùm id quod actu habet, nullis clauditur terminis. Unde augeri nequit, seu ipsi fieri non potest additio. Sicut Deo addi nequit aliqua perfectio, aut cognitio, aut potentia etc. quia est infinitè perfectus, infinitè sapiens etc. Hinc

546 ℟. *In creatis sunt aliqua infinita in potentiâ* seu syncategorematicè; nam nulla quantitas adeò magna est, quæ augeri nequeat: nullus numerus adeò auctus, cui alius addi non possit: nulla creatura adeò perfecta, quæ perfectior creari non possit: unde quantitas, numerus, et perfectio creata sunt infinita in potentiâ. *At nulla creatura esse potest infinita in actu.* Prob.: Repugnat numerus infinitus in actu: ergo etiam essentia infinitè perfecta, quantitas infinitè extensa, et qualitas infinitè intensa etc. Cons[a] patet; nam essentia infinita haberet infinitos numero gradus perfectionis essentialis, quantitas infinita haberet infinitas numero partes, et qualitas infinita infinitos gradus intensionis. Ant. verò prob.: Infinito in actu nequit fieri additio; sed cuilibet numero dato vel intellecto fieri potest additio, si non ex parte rerum numeratarum, saltem ex parte numeri: ergo.

547 Obi. tamen 1°: Potentia reduci potest in actum: ergo si datur infinitum in potentiâ, potest dari infinitum in actu. Addes: Deus producere potest creaturam omnium perfectissimam; sed hæc esset infinita: ergo. ℟. dist. ant.: reduci potest in actum *suo modo*, conc.; *alio*, nego. Porrò infinitum in potentiâ est, cui semper absque fine addi potest. Unde modus quo reducitur in actum est ut ei semper addatur. Quod si fiat, nullum quidem est inconveniens; at non propterea fit infinitum in actu. Ad 2m. ℟. 1° nego mai.; nam creatura omnium perfectissima est impossibilis: repugnat enim creatura, quæ non distet infinitè à Deo; ac proindè inter quam et Deum non sint possibiles infinitæ aliæ creaturæ illâ perfectiores. ℟. 2° nego min.; nam talis creatura penderet à Deo in esse, et à Deo participaret esse; sicque finita esset ac limitata.

548 Obi. 2°: Virtus Dei est simpliciter infinita: ergo producere potest effectum infinitum. Cons[a] prob. 1°: Vir-

tus causæ cognoscitur ex effectu: ergo si virtus Dei cognoscitur infinita etc. 2° : Effectus proportionatur cum causâ: ergo si etc. ℟. quòd virtus causæ cognoscitur ex effectu et cum ipso proportionatur, quando causa est *univoca*. Deus autem est causa *æquivoca* creaturarum, sicque longè illis perfectior. Nihilominùs etiam ex effectibus Dei dignoscitur infinitas virtutis Divinæ; tum quòd res producat ex nihilo; tum etiam quòd semper plura ac plura, et item magis ac magis perfecta in infinitum producere possit.

549 Obi. 3°: Si Deus ab æterno creasset mundum, et singulis instantibus Angelum, nunc forent infiniti Angeli; sed id Deus potuit: ergo. Adde: Deus potest simul producere omnia possibilia; sed hæc sunt infinita numero: ergo. ℟. nego mai.; nam adhuc in eâ hypothesi numerus Angelorum non esset infinitus, nam ei fieri posset additio, ut patet; imò Angelus prior conditus potuisset omnes hactenùs productos numerare, cùm tamen infinitum immensurabile sit. Ad id quod additum est, nego mai.; nam inter possibilia sunt quædam quæ simul existere nequeunt ut actus odii Dei, et actus charitatis eiusdem hominis; et quasi exhauriretur Dei omnipotentia si nil ultrà producere posset.

APPENDIX

DE RELIGIONE.

550 QUOCUMQUE ex capite Religionis etymon deducatur, sive à frequenti relectione, ut placuit D. Isidoro lib. X. Etym. quia *retractat et tamquam relegit ea quæ ad cultum Divinum pertinent;* sive ex iteratâ electione eius quod negligenter amissum est, ut videtur D. Augustino lib. X. de Civ. Dei c. 4. quòd *Deum religere debemus,*

quem amiseramus negligentes; sive etiam à religatione, quod absimile non iudicat idem D. Aug. in lib. de verâ Relig. eò quòd *religet nos Religio uni omnipotenti Deo;* Religio propriè importat ordinem ad Deum. Ipse enim est, cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio; ad quem etiam nostra electio assiduè dirigi debet sicut in ultimum finem; quem etiam negligentes peccando amittimus, et credendo et fidem protestando recuperare debemus. *D. Th.* 2. 2. q. 81. a. 1.

551 Est ergo Religio: *Virtus moralis, qua Deo tamquam primo rerum omnium principio et supremo Domino debitus cultus exhibetur.* Considerari potest ut theoretica et practica, quatenùs ad eam pertinent, et quæ de Deo scire, et quæ in ipsius obsequium agere oportet. Partiri autem solet in naturalem et revelatam. Religio *naturalis* Dei cultum respicit, quem naturæ ductu seu solius rationis lumine Deo tribuendum esse cognoscimus; *revelata* autem cultum illum, quo Deum esse honorandum ipse dignatus est ostendere lumine supernaturali: unde Religio revelata naturalem complectitur tamquam huius perfectio et complementum, ut proinde *vera Religio,* quæ omnia omninò hominis officia continet, appelletur.

552 Qui verò cultus debitus non est aut secundùm rationem, aut secundùm revelationem, *superstitio* dicitur. «Non « enim Philosophi solùm, *inquit Lucilius apud Tullium lib.* « *II. de nat. Deor. c.* 28, verùm etiam maiores nostri super- « stitionem à religione separaverunt. Nam qui totos dies « precabantur, et immolabant, ut sui sibi liberi superstites « essent, *superstitiosi* sunt appellati: quod nomen postea la- « tiùs patuit. Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum « pertinerent, diligenter retractarent, sunt dicti religiosi... « Ita factum est in superstitioso et religioso, alterum vitii « nomen, alterum laudis». Ut hæc igitur omnia attingamus pressè quidem sicut nostra postulat ratio, at sufficienter ut adolescentes probè instituantur, atque impiorum librorum virus securiùs dignoscant et fugiant: Appendicem hanc in duos articulos distribuimus: in primo de Religione naturali, in secundo de revelatâ tractationem redigemus.

ART. I.

DE RELIGIONE NATURALI.

555 Circa Religionem naturalem turpiter erratum est, dum aut nimis deprimitur, aut plus iusto magnificatur. Athei sicut Deum, ita cultum omnem denegantes, et Deistæ Deum absque providentiâ sibi confingentes, Religionem omnem oppugnant. At contra Philosophi, à quibus se tutare debuit semel enata Christi Religio, ut eam præfocarent, Religionem naturalem homini sufficere; nec aliam opus esse, qua perficeretur, contendebant. Sed quid nostri temporis increduli? Innumeris libellulis specioso titulo donatis, multoque fuco illitis Religionem naturalem totis artibus extollunt, quasi sola homini sufficiat, ut revelatam pessundent. Ast eorum aliqui in eundem finem diverso procedentes tramite, externum cultum reiiciunt, alii internum; alii verò cultum dumtaxat publicum reprehendunt. Hos omnes errores ipsâ ratione naturali profligabimus.

554 I^a^ conclusio: [1] *Extat Religio naturalis,* [2] *quæ non solùm cultum internum;* [3] *sed externum,* [4] *ac etiam publicum exposcit.* Prob. 1ª pars: Ratio naturalis dictat exhibendum esse Deo debitum honorem; sed hoc præstat Religio cultu debito: ergo. Mai. prob.: Ratio naturalis dictat invictèque probat, esse Deum ac rerum omnium creatorem, summè providum, uno verbo singulari excellentiâ, in quantùm omnia in infinitum transcendit, conspicuum (n. 481 et seq.); sed honor alicui debetur ratione excellentiæ: ergo. Prob. 2^a^ pars: Cultus internus præcipuè in Dei amore, timore, gratiarum actione, obedientiâ et oratione consistit; sed ratio naturalis nos edocet debita hæc omnia esse Deo utpote summo Bono, optimo Patri, Benefactori munificentissimo et absolutissimo Domino *(Ethic. Instit. n. 422 et seq)*: ergo.

555 Probatur 3^a^ pars: Cultus exterior est quoddam sensibile opus, ut prostratio, genuflexio, cantus cæt., quo velut signo mens hominis excitatur ad spirituales

actus, per quos Deo coniungitur; sed naturalis ratio homini dictat, ut Deo offerat huiusmodi opera in signum debitæ subiectionis et honoris: ergo. Min. prob.: Ratio naturalis homini dictat, ut secundùm modum suum Superiori honorem deferat; sed modus homini conveniens est ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda: ergo. Prætereà: Deus nedum animæ sed etiam corporis est Auctor: ergo naturalis ratio deposcit, ut spiritualia et corporalia obsequia ei exhibeamus. Prob. 4ª pars: Cultus publicus seu communis ille est, qui per Ministros exhibetur in personâ totius societatis; sed rationis naturalis impulsu etiam societates Deum revereri debent ut earum Auctorem, Conservatorem, Benefactorem et Dominum: ergo. Prætereà: Religio naturalis ea exposcit, quæ ad Divinum cultum conservandum ac promovendum conducunt; sed ad hoc apprimè facit cultus publicus, solemnis et gravis, sine quo societas mox in mores pessimos ruet: ergo.

556 Conf. omnes partes: Id, in quo nationes omnes consenserunt, verè rationis lumine assecutæ sunt; sed gentes omnes, licèt variis erroribus rem commacularent, in id consenserunt, Deum nempe esse colendum mente et corpore ac etiam publicè: ergo. « Quod nisi cognitum « comprehensumque animis haberemus, *inquit Cic. lib. II.* « *de nat. Deor.*, non tam stabilis opinio permaneret, nec « confirmaretur diuturnitate temporis, nec unà cum sæ- « culis ætatibusque hominum inveterare potuisset: etenim « videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnita- « te extabuisse.... itaque et in nostro populo, et in cæteris, « deorum cultus, religionumque sanctitates existunt in dies « maiores atque meliores ».

557 IIª conclusio: *Religio naturalis insufficiens omninò est, ut homo rectè dirigatur et ad destinatam sibi felicitatem veniat.* Prob. 1°: Homo ordinatur ad finem, qui eius facultatem naturalem excedit: ergo. Ant. prob.: Ultima hominis beatitudo in altissimâ eius operatione consistit, ut scilicet ipsam primam veritatem, sive Divinam essentiam videat in se ipsâ; sed hoc naturalem hominis facultatem excedit: ergo. Min. prob. 1°: Cog-

noscere ipsum esse subsistens sive Divinam essentiam connaturale est soli intellectui Divino : ergo. Ant. prob.: Connaturalis cognitio est secundùm modum essendi naturæ cognoscentis ; sed solus Deus est ipsum esse subsistens : ergo. 2^{m} : Cuilibet naturæ intellectuali creatæ proprium est ut intelligat secundùm modum suæ substantiæ, hoc est per aliquod creatum ; sed prima veritas seu Divina essentia non potest videri per aliquod creatum, quod repræsentet ipsam Divinam essentiam ut in se est, cùm sit infinita : ergo (1).

558 Prob. 2° concl. : Homo ut ad finem suæ beatitudinis perveniat, cognoscere debet veritates quasdam, tum speculativas, tum practicas, sine quibus dirigi nequit ; sed ratio naturalis sibi relicta aut assequi nequit eas, aut miserè corrumpit : ergo. Min. prop. aperta est, si de his veritatibus agatur, quæ supra naturam sunt hominis, ut de modo quo semel lapsus Deo reconciliari debet : quæcumque enim ponatur pœnitentia aut victimarum oblatio, cùm Dei acceptatio aut voluntas circa hæc solâ ratione non constet, incertus inde est reconciliationis modus. Si verò de iis intelligatur, quas humana ratio investigare potest, ipsâ humanæ mentis aberratione in veritatibus maximi momenti sat ostenditur. Quid enim non modò barbaræ gentes, sed etiam populi cultiores et ipsi celebriores sapientes solâ ratione fulti tenuerunt? Polytheismus, idololatria, turpes ritus quibus diis suis immolabant, parricidium, adulterium, incestus, furtum et innumera alia facinora ut licita, imò ut præclara habita apertissimè demonstrant, eos à recto veritatis tramite deflexisse ; atque adeò universa Religionis naturalis officia haudquaquam solâ ratione tutò discerni.

---

(1) *Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantùm Deus per suam gratiam se intellectui creato coniungit ut intelligibile ab ipso. D. Th. 1. p. q. 12. a. 4.*

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

559 Obi. 1° cont. I^{m}: Deo nullum deberi cultum ratio persuadet: ergo. Ant. prob. 1°, quia nullum exigit, cùm omne obsequium à creaturâ exhibitum finitum sit, et ita Deo indignum. 2°, quia sibi plenè sufficit; summè beatus cùm sit, nec creaturâ indigeat. 3°, quia non permisisset turpem cultum, quo à pluribus inhonoratus est, tantùm abest ut eum fuerint reveriti: ergo. ℟. nego ant. Ad 1^{m} prob. nego nullum cultum Deum exigere, cùm non possit non exigere, ut ordo rerum ad ipsum servetur; Religio autem hominem ordinat ad Deum, ut diximus. Neque Deo indignus est cultus finitus à creaturâ, quæ nobiliorem præstare non potest, exhibitus. Ad 2^{m}: Deo non exhibetur aliquid propter eius utilitatem, sed propter eius gloriam, nostram autem utilitatem. *D. Th.* 2. 2. *q.* 81. *a.* 6. Ad 3^{m}: Deus ut provisor generalis multa permittere potest mala n. 503 et 504: unde nec circa cultum sibi debitum tenetur abusus omnes impedire ex humanâ corruptione prodeuntes.

560 Obi. 2° præcipuè contra 3^{m} et 4^{m} partem: Cultum externum, quicumque sit, adminùs superfluum ostendit ratio naturalis: ergo. Ant. prob. 1°: *Spiritus est Deus: et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*, ut legitur Ioan. 4. v. 24; atqui exteriores actus non pertinent ad spiritum, sed magis ad corpus: ergo. 2° *Dominus intuetur cor*, 1. Reg. c. 16. v. 7: ergo minimè necessarius est cultus externus, ut nostra subiectio et reverentia Deo innotescat, nec ut gratum ipsi obsequium præstemus. 3°: Si Deo cultus externus deberetur, eumque ratio naturalis præscriberet, uniformis esset apud omnes gentes sicut cæteræ iuris naturæ determinationes; sed cultus exterior apud varias gentes varius ést: ergo. 4°: Actibus externis homines honoramus: ergo non illis colendus est Deus. Unde D. Aug. *lib. VI. de Civ. Dei c.* 10. commendat Senecam carpentem quosdam, qui idolis ea exhibebant, quæ solent hominibus exhiberi.

561 ℟. nego ant., et ad 1^{m} prob. dist. mai.: *In spiritu* unicè *adorare oportet*, nego; *in spiritu* principaliter,

conc. mai. Nam Dominus loquitur ibi quantùm ad id, quod est principale et per se intentum in cultu Divino. Religio autem habet quidem interiores actus quasi principales, et per se ad Religionem pertinentes; exteriores verò actus quasi secundarios, et ad interiores actus ordinatos. *D. Th. ibid. a.* 7. Ad 2^m^ conc. conseq. quoad 1^m^ partem. Non enim cultum externum exercemus, ut Deo pateat nostra in eum reverentia; sed ut quidquid sumus ei subiiciamus et ut his actibus exterioribus nos ipsos et alios ad Deum honorandum excitemus: et dist. quoad 2^m^ part.: minimè necessarius est cultus externus, ut gratum Deo obsequium præstemus *aliquando solo interno*, conc.; *semper, contempto externo*, nego conseq. Eo enim ipso vitiosus esset internus utpote non eo præstitus modo quem Deus exigit, ut scilicet cum externo coniungatur.

562 Ad 3^m^, de dictamine rationis est, quòd homo aliqua faciat ad reverentiam divinam. Sed quòd hæc determinatè faciat vel illa, istud non est de dictamine rationis naturalis, sed de institutione iuris divini vel humani. *D. Th. ibid. a.* 2. Ad 4^m^ nego conseq. Imò actus externi specialiùs Deo debentur tamquam primo omnium principio maximè excellenti. Quo fit, ut homo iuxta monitum Eccli. c. 43. v. 31: *Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude*, actibus externis se excitare debet ad interiores et spirituales, quos per se Deus acceptat. Idololatræ autem deridentur ex hoc quòd ea quæ ad homines pertinent, idolis exhibebant, non tamquam signa excitantia eos ad aliqua spiritualia, sed tamquam per se eis accepta: et præcipuè quia erant vana et turpia. *D. Th. ibid. a.* 7.

563 Obi. 3° cont. II^m^: Homo ex conditione suæ naturæ ad hoc factus est, ut sit particeps æternæ beatitudinis; sed homini ex suâ conditione naturali data sunt illa quæ sunt necessaria ad finem consequendum; cùm non minùs ei provisum sit, quàm cæteris animantibus, quibus datum est ut fines suos assequi possint: ergo. Respondet D. Th. q. 14. de ver. *a.* 10: *Homini in conditione suæ naturæ perfectè providetur, in quantùm ad illum finem consequendum, qui est in potestate naturæ* (in quo solùm cum cæte-

ris animantibus comparari potest) *dantur principia sufficientia quæ sunt causa illius. Ad finem autem qui facultatem naturæ excedit* (in quo differt à cæteris animantibus) *dantur principia, non quæ sunt causa finis, sed quibus homo est capax eorum per quæ pervenitur ad finem: ut enim dicit Aug. lib. I. de prædest. Sanct. c. 5.:* Posse habere fidem et caritatem naturæ est hominum, habere autem est gratia fidelium. Hæc D. Th.

564 Quocirca dist. mai.: Homo ex conditione suæ naturæ ad hoc factus est, ut sit particeps beatitudinis æternæ tamquam finis sibi debiti secundùm naturam, nego; tamquam finis sibi destinati ex divinâ liberalitate, conc. mai; et dist. min.: Homini ex suâ conditione naturali data sunt illa, quæ sunt necessaria ad finem naturalem et ipsi debitum, conc.; quæ sunt necessaria ad finem, qui naturam excedit, subdist: data sunt illa in se, nego; data sunt in principiis, quibus homo fit eorum capax, conc. Primo igitur homini unà cum his principiis, intellectu nempè et voluntate quæ obiecto infinito dumtaxat satiari possunt, data sunt auxilia illa superiora, quibus pervenire posset ad finem. At postquam per illius peccatum ad nos transfusum facti sumus filii iræ, hoc auxilium *quibuscumque divinitùs datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex iustitiâ non datur in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati:* ut etiam cum D. Aug. dicit S. Th. 2. 2. q. 2. art. 5. Qua doctrinâ, quidquid contrà effutiunt Naturalistæ nullius ponderis esse, facilè deprehendetur. Nihilominùs

565 Urgebis: Ergo adminùs sufficiens erit Religio naturalis ad omnia iuris naturæ officia cognoscenda atque adimplenda. Prob.: Homini in conditione suæ naturæ perfectè providetur quoad finem naturalem; sed finis naturalis non alia exigit officia quàm iuris naturæ: ergo. ℟. dist. conseq: sufficiens erit Religio naturalis ad omnia iuris naturæ officia, si homo fuisset integer, conc.; in præsenti statu hominis lapsi, nego. Etenim in hoc statu attentâ obscuritate mentis et voluntatis infirmate, moraliter non est possibile ut in omnibus se gerat homo, ita ut verum semper assequatur et malum vitet. Quare ait

D. Th. 1. 2. q. 109. a. 4: *Homo in statu naturæ integræ potuit omnia mandata legis implere... sed in statu naturæ corruptæ non potest... sine gratiâ sanante.*

ART. II.

DE RELIGIONE REVELATA.

566 Vix credi potest quantum laborarunt increduli ut Religionem revelatam everterent, quaquaversùm illam quatientes. Ut igitur eorum tela retundantur, divina revelatio primùm vindicanda est, deinde de signis agendum, præcipuè miraculis et prophetiis, quibus firmatur: unde veram Religionem apertissimè demonstrabimus.

§ I.

DE REVELATIONE DIVINA.

567 Revelare nihil est aliud, quàm id quod est occultum manifestare: unde Divina revelatio est: *Ostensio seu declaratio divinitùs facta illarum veritatum, quæ intellectûs creati naturalem vim superant.* Philosophi illi, qui non aliam admittunt veritatem nisi eam, quam ratio demonstrat lumine naturali, revelationem irrident tamquam impossibilem et inutilem. Adversùs quos

568 I[a] conclusio: *Divina revelatio possibilis est.* Prob.: Nulla involvitur in divinâ revelatione contradictio, si aliquæ sunt veritates mentis humanæ aciem fugientes, quæ huic possint à Deo manifestari; atqui sunt huiusmodi veritates: ergo. Min. prob.: In primis aliquæ sunt veritates mentis humanæ aciem fugientes. Hoc tripliciter probat D. Th. *lib. I. cont. Gent. c.* 3. Primò, quia sensibilia per quæ intellectus humanus cognoscit, ad hoc ducere intellectum nostrum non possunt, ut in eis Divina substantia videatur quid sit, cùm sint effectus causæ virtutem non adæquantes. Sunt igitur quædam intelligibilia divinorum, quæ omninò vim humanæ rationis excedunt. Secundò ex intelligibilium gradibus. Duorum enim quorum unus alio subtiliùs intuetur, ille cuius intellectus ele-

vatior est, multa intelligit, quæ alius omninò capere non potest; intellectus autem angeli excedit intellectum humanum, multòque ampliùs intellectus Divinus excedit angelicum.

569 Tertiò ex defectu, quem in rebus cognoscendis quotidie experimur. Rerum enim sensibilium plurimas proprietates ignoramus, earumque proprietatum, quas sensu apprehendimus, rationem perfectè in pluribus invenire non possumus: ergo. Deinde huiusmodi veritates Deus homini declarare potest. Quis enim hanc facultatem, quam ipse homo habet, veritatem scilicet quam apud se tenet alteri declarandi, Deo, qui supremum habet in mentes creatas dominium, denegabit? Aut quis mentem creatam, cuius obiectum extensivum est omne verum, ad supernaturalem veritatem cognoscendam à Deo omnipotente confortari et elevari posse, in dubium vertet? Nullo ergo ex capite implicat revelatio.

570 II^{a} conclusio: *Divina revelatio est homini necessaria.* Prob.: Homini ut finem beatitudinis assequatur necessaria est certa cognitio quarumdam veritatum, sine quibus finis assequi nequit; sed ad certam cognitionem harum veritatum est necessaria Divina revelatio: ergo. Mai. patet; nam necessaria est cognitio ipsius finis et eorum quæ ducunt ad finem. Min. prob.: Huiusmodi veritates vel vim rationis excedunt, vel ab eâ investigari possunt; sed quocumque modo est necessaria Divina revelatio ad certam earum cognitionem: ergo. Min. quoad 1^{m} partem ex terminis constat; quoad 2^{m} prob.: Veritates de Deo per rationem investigatæ, à paucis, et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum haberentur n. 558: ergo ut certa earum habeatur cognitio necessaria est Divina revelatio. *D. Th. lib. I. cont. Gent. c. 4. et 5.*

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

571 Obi. 1° cont. I^{m}: Veritates quæ revelatione Divinâ cognoscuntur, sunt et vocantur mysteria; sed mysterium revelatum implicat: ergo. Min. prob.: Mysterium indicat aliquid occultum, revelatum autem aliquid manifestum;

sed implicat veritatem aliquam simul esse occultam et manifestam: ergo. ℟. dist. min.: Simul esse occultam et manifestam sub eodem respectu, conc.; sub diverso, nego. Equidem veritates revelatæ quæ hominis captum excedunt mysteria sunt, quoniam earum evidentiam intrinsecam non habemus; at hæc obscuritas, quam secum affert fidei assensus, nihil impedit quominùs earum certitudo manifesta sit ex testimonio Dei revelantis, qui summè verax est. Unde mysteria fidei intrinsecè et in se inspecta vel quoad *quid sint* obscura sunt et occulta; extrinsecè autem et quoad *an sint*, seu ut subsunt revelationi divinæ, certa sunt et manifesta.

572 Obi. 2° : Divina revelatio pugnat cum naturâ rationali : ergo. Ant. prob. 1° : Cuilibet naturæ cognoscenti sua respondet cognitio, ultra quam si elevetur, natura destruitur : sic brutis animantibus competit cognitio sensibilis, adeò ut iam non essent bruta, si supra ipsam elevata aliquam rationis vim haberent ; sed divina revelatio cognitionem homini tribuit supra naturam : ergo. 2°: Quæ divina revelatio docet interdum videntur dissonare ab his, quæ ratio naturalis dictat, sicut Deum trinum esse et unum, Virginem concepisse, et alia huiusmodi. 3°: Pugnat cum naturâ rationali absque rationis usu assentiri ; sed talis est hominis conditio sub revelatione divinâ, cum eius dogmata in examen vocari nequeant : ergo.

573 ℟. nego. ant. et ad 1m prob. dist. mai. : Cuilibet naturæ cognoscenti sua respondet cognitio, ultra quam si elevetur *extra suum obiectum*, natura destruitur, conc.; si elevetur *intra suum obiectum*, nego mai. Iam verò revelatio divina solùm elevat rationem, lumen impertiendo ut veritates attingat; quæ, licèt supra suam naturalem vim, intra obiectum sunt sibi proprium, quod est omne verum. Natura autem rationalis excedit sensitivam quantùm ad cognitionis obiectum; quia sensus nullo modo potest cognoscere universale, cuius ratio est cognoscitiva. Unde si naturæ sensitivæ cognitio daretur, seu vis qua cognoscitur universale, ad aliam naturam transiret; non autem si ei tribuatur ut perfectiori modo sensibilia cognoscat.

574 Ad 2m dist. : Ea quæ divina revelatio docet, vi-

dentur dissonare ab his qua ratio naturalis dictat ob contradictionem seu contrarietatem, quæ inter illa sit aut percipiatur, nego; ob sublimitatem qua fit, ut comprehendi ea non possint, conc. Etenim *numquam divinitùs dicitur aliquid*, ait D. Th. q. 14. de ver. a. 10. *quod sit contrarium his, quæ naturalis ratio dictat; dicitur tamen aliquid quod comprehensionem rationis excedit, et pro tanto videtur rationi repugnare, quamvis non repugnet: sicut et rustico videtur repugnans rationi quòd sol sit maior terrâ, quòd diameter sit assimeter costæ*, hoc est incommensurabilis lateri, *quæ tamen sapienti rationabilia apparent.* Videtur, inquit S. Doctor, rationi repugnare, non quia aliqua in his percipiatur contradictio; sed quia eorum claram ideam non habemus: quæ duo valdè inter se differunt.

575 Ad 3m: Permissâ mai. nego min. et dist. implicitam prob.: Dogmata revelata in examen rationis vocari nequeunt quoad argumenta intrinseca veritatis, concedo; quoad extrinseca credibilitatis, nego. Siquidem argumenta intrinseca veritatis doctrinæ revelatæ in Dei revelantis infallibilitate et veracitate innituntur tamquam medio. Iam verò qui ob adhibitum à ratione examen veritatem aliquam teneret, planum est non credere ob Dei infallibilis testimonium. Quid? nonne dogmata revelata captum rationis humanæ superant? ad quid ergo examen, quod aut institui non potest; aut certos nos nunquam redderet? Argumenta autem extrinseca credibilitatis evidentiam habent, quam rationis examen deprehendere potest. Non enim leviter aut cæco modo, ut sibi falsò suadent increduli, sed gravissimis momentis ductus credit homo dogmata revelata. *Non enim crederet*, inquit S. Th. 2. 2. q. 1. a. 4, *nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi.*

576 Obi. 3o cont. IIm: Superflua est revelatio veritatum tam supernaturalium quàm naturalium: ergo. Ant. prob. quoad 1m part.: Veritates supernaturales supra captum sunt hominis; sed homo de his quæ superant suum captum nihil quærere debet iuxta illud Eccli. c. 3. v. 22: *Altiora te ne quæsieris*: ergo. Prob. quoad 2m partem: Veritates natura-

les solâ naturali ratione assequi possunt : ergo. Certè Philosophi gentiles aliqui, non alio lumine quàm rationis, multa de Deo auctore naturali, de virtutibus, hominum officiis, deque aliis ad Religionem pertinentibus præclarè dixerunt. ℟. nego ant. quoad omnes partes et dist. min. prob. 1æ : Altiora te ne quæsieris solo lumine naturali, conc. ; præeunte revelatione, nego min. et conseq.

577 Ad 2m prob. dist. ant.: Veritates naturales solâ ratione naturali assequi possunt absolutè, conc. ; sine periculo errandi, brevi tempore et passim communiter, nego. Necessaria autem erat homini superior lux, ut sic ingredi viam salutis posset. Salubriter ergo Divina providit clementia, ut ea etiam, quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet, ut sic omnes de facili possent Divinæ cognitionis participes esse, et absque dubitatione et errore. *D. Th. I. cont. Gent. c.* 4. Porrò Philosophi gentiles inter ea, quæ scripserunt laude digna, plura ingerunt, quæ humanam probant imbecillitatem. Quamquam nec illa solâ ratione cognoverunt. Nam ex traditione iam inde ab Adamo proveniente, atque ex libris Hebræorum hauserunt multa, quorum proinde notitia à revelatione descendit.

578 Obi. 4°: Triplex Religionis status communiter distinguitur, *legis naturæ* ab Adamo ad Moysen, *legis veteris* à Moyse usque ad Christum, et *legis novæ* quæ à Christo ad finem usque Mundi duratura est ; sed in statu legis naturæ absque revelatione multi extiterunt iusti ut Enos, Noë cæt. : ergo. ℟. dist. min. : Absque revelatione ullâ, nego ; absque revelatione scriptis consignatâ, conc. Siquidem Adamo in statu innocentiæ, in quo primus Religionis status agnoscendus est, sicque status naturæ bifariam dividendus, facta revelatio fuit, ut clarè commonstrat præceptum non comedendi de fructu ligni positi in medio paradisi, quod certè ad naturalem legem non pertinebat. Post lapsum verò novam revelationem accepit de futuro Reparatore, quo omnes salvari possent : et inde, ut supra innuebamus, orali traditione pervenit usque ad Moysen revelatio, quæ tunc cœpta est scriptis consignari. Hoc autem æquissimâ Dei providentiâ ita factum est.

579 « De duobus enim, *inquit S. Th.* 1. 2. *q.* 98 *a.* 6. « homo superbiebat, scilicet de scientiâ et de potentiâ. « De scientiâ quidem quasi ratio naturalis ei possit suffi-« cere ad salutem : et ideò ut de hoc eius superbia con-« vinceretur, permissus est homo regimini suæ rationis « absque adminiculo legis scriptæ : et experimento homo « discere potuit quod patiebatur rationis defectum per « hoc quòd homines usque ad idololatriam, et turpissima « vitia circa tempora Abrahæ sunt prolapsi. Et ideò post « hæc tempora fuit necessarium legem scriptam dari in « remedium humanæ ignorantiæ : quia per legem est cog-« nitio peccati, ut dicitur Rom. 7. Sed postquam homo « est instructus per legem, convicta est eius superbia de « infirmitate, dum implere non poterat quod cognosce-« bat. Et ideò, sicut Apostolus concludit ad Rom. 8. v. 3 « *quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per* « *carnem, misit Deus Filium suum... ut iustificatio legis* « *impleretur in nobis* ».

§ II.

DE MIRACULIS.

580 Plurima sunt signa, quibus divinæ revelationis existentia comprobatur, ut suo loco proferemus. At quoniam Philosophi increduli miracula præsertim oppugnant et prophetias ; ideò in antecessum generalis de his notio, quæ illorum cavillationibus occurrat, tradenda est. Igitur miraculum à *mirando* dictum, est : *Effectus quidam Divinæ virtutis præter ordinem totius naturæ creatæ* (1). Hinc creatio et iustificatio impii, etsi à solo Deo fiant, non tamen propriè loquendo miracula dicuntur, quia non contingunt præter ordinem naturæ, cùm hæc ad ordinem naturæ non pertineant : nec ullo modo mons-

(1) *Id est facultatem naturæ excedens. Nam quædam miracula dicuntur fieri* supra *naturam, quædam* contra, *quædam* præter *naturam. Vid. D. Th. q.* 6. *de pot. a.* 2 *ad* 3.

tra dicuntur miracula ; quia licèt fiant contra naturam particularem, non tamen fiunt contra naturam universalem.

581 Siquidem causæ ordinatæ sunt, et ad verum miraculum requiritur quòd à nullâ naturali causâ sive particulari sive universali res illa effici possit. Quod ut tutò affirmemus esse factum, non est opus, omnes naturæ leges et vires internoscere. Sufficit aliquam ex constantibus et generalibus naturæ legibus, quas experientia docet, compertam habere, cui factum illud adversetur. Ineptè enim et omninò gratis fingerentur leges aliæ, quibus Mundus regeretur. Sic quamvis ignorem quousque ars et natura valeant ad curandum infirmum ; certè scio, non valere ad curandum illum in instanti ad alicuius nutum, vel imperium.

582 In tres gradus, quorum quilibet alios sub se continet, miracula distinguit S. Th. 1. p. q. 105. a. 8. secundùm quos unum miraculum alio maius est ; quia magis excedit facultatem naturæ : nempè in miracula quoad *substantiam* facti : quoad *subiectum*, in quo aliquid fit ; et quoad *modum et ordinem* faciendi. Primi gradûs miracula sunt illa, quæ nullo modo natura facere potest, v. g. duo corpora esse simul. Secundi gradûs sunt illa, in quibus id quod fit natura præstare potest ; sed non in illo subiecto, v. g. dare visum cæco. Tertii gradûs illa sunt, in quibus id quod operari solet natura, fit sine consueto processu naturæ in talibus v. g. aërem statim in pluvias densare. Nunc, evolutis miraculi definitione et gradibus, sit

583 I^a^ conclusio : *Miraculum est possibile.* Prob. : Miraculum non repugnat, nec ex parte creaturæ, nec ex parte Dei : ergo. Prob. 1^a^. pars ant. : Tunc adest miraculum, cùm aliquid fit præter ordinem in rebus institutum ; sed creatura æquè pendet à Deo, sive agat iuxta hunc ordinem, sive præter illum : ergo. Prob. 2ª pars : Deus sic rebus certum ordinem instituit, ut ei minimè subiectus maneret, imò talis ordo subiicitur ei quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturæ, sed per arbitrium voluntatis : ergo.

584 II^a^ conclusio : *Solus Deus potest patrare miracula.* Prob. 1° : Ad verum miraculum requiritur virtus, quæ possit agere præter ordinem totius naturæ creatæ,

cùm miraculum sit effectus præter hunc ordinem ; sed sola Dei virtus potest agere præter ordinem totius naturæ creatæ ; cùm quodlibet aliud agens sub ordine hoc sit, nec possit proinde illum prætermittere : ergo. 2° : Omne agens creatum requirit subiectum aliquod in quod agat ; solius enim Dei est ex nihilo aliquid facere ; sed hoc ipso nequit agens creatum patrare miracula : ergo. Min. prob. : Agens quod requirit in suâ actione subiectum, non potest agere nisi illa ad quæ subiectum est in potentiâ ; hoc enim agens in subiectum aliquod operatur, ut educat illud de potentiâ in actum ; sed nullum subiectum est in potentiâ ad aliquid præter ordinem naturæ in quo consistit miraculum : ergo.

585 Unde vera miracula, quæ ab angelis aut hominibus facta narrantur, vel ipsis ut intercessoribus tribuuntur, vel ab ipsis solùm quatenùs instrumentis divinæ virtutis prodierunt. Dæmones autem, quorum est tota voluntas ad malum, nec ut instrumenta ad hoc opus adhiberi, existimat *S. Th. q.* 6. *de pot. a.* 5. Conf. hæc et præcedens concl. ex communi hominum sensu. Etenim omnes populi etiam idololatræ ut suo cultui venerationem concilient miracula allegant, eaque à Deo suo, cui pro hoc gratias agunt, peracta credunt : et licèt ab his, qui extra veram Religionem sunt, falsa aut ficta obtrudantur, quæ tamen sit eorum existimatio circa miraculi possibilitatem et auctorem, apertè declarant.

586 III^a conclusio : *Miracula veram esse probant doctrinam illam, in cuius confirmationem fiunt.* Prob. : Auctor miraculi Deus est, summè verax et bonus ; sed Dei veracitas et bonitas ruerent, si homines in errorem miraculis inducere posset : ergo. Certè Deus ob suam veracitatem mentiri non potest : ergo nec mendacium ullo signo confirmare. Bonitas autem eius non patitur, ut homines, quos ita condidit ut miraculum tamquam Dei testimonium habeant ineluctabile, per hoc ad errorem adigantur. Quod si solùm dicatur possibile, nulla superesset via qua possent homines ab errore revocari ; nam nec privatæ tunc crederent revelationi, utpote immissæ ab eo qui falsum approbare posset. Quæ omnia nedum probant, Deum

per se ipsum miraculis doctrinam falsam confirmare non posse ; sed neque id posse per creaturas ceu instrumenta, quia error etiam tunc in ipsum tamquam causam principem refunderetur.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

587 Obi. 1° contra I^m : Deus non potest mutare aut suspendere naturæ ordinem : ergo. Ant. prob. 1° : Ordo naturæ est ordo rerum ad primam causam ; sed Deus non potest hunc ordinem mutare : ergo. 2°: Ordo naturæ seu leges physicæ quibus naturæ cursus regitur constantes sunt ex fixæ, utpote æternâ et immutabili Dei voluntate constitutæ : ergo. 3° : Sicut à Deo est ordo naturæ, quo naturæ cursus regitur ; ita ordo iustitiæ quo moralis cursus dirigitur, et ordo principiorum quo dirigitur humana ratio ; sed contra hos ordines Deus facere non potest, aliàs esset causa peccati et erroris : ergo. 4° : Cùm nihil fiat sine ratione sufficiente, nequit fieri id quod est inconveniens ut fiat ; sed inconveniens est quòd cursus naturæ mutetur, cùm conveniens sit ut servetur : ergo. 5° : Maius bonum non dimittitur pro minori ; sed bonum Universi, quod consistit in ordine, est maius bono particulari hominis, propter quem fieret miraculum : ergo.

588 ℟. nego ant. et ad 1^m prob. dist. mai. : Ordo naturæ est ordo rerum ad primam causam tantùm, nego ; ad primam et ad secundas, quarum una continetur sub aliâ, conc. mai., et dist. min. : Deus non potest hunc ordinem mutare, hoc est rerum ad primam causam, conc.; rerum ad causas secundas, nego. Ad 2^m dist. ant. : leges physicæ constantes sunt et fixæ eo modo quem Deus constituit, conc. ; aliter, nego. Sic enim Deus instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in æternâ suâ voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat : unde cùm sic agit, eius voluntas non mutatur. Leges autem physicæ, quibus cursus naturæ regitur, dicuntur constantes et fixæ, et si mavis immutabiles, relatè ad causas inferiores. Ad 3^m nego conseq. Disparitas est ; quia ordo iustitiæ est secundùm relationem ad causam

primam, quæ est regula omnis iustitiæ: similiter ordo principiorum ad Divinam sapientiam, in qua continentur. Unde contra hos ordines Deus facere non potest; cùm impossibile sit, ut faciat contra suam iustitiam et sapientiam.

589 Ad 4^{m} dist. min.: Inconveniens est quòd cursus naturæ mutetur in casu à Divinâ providentiâ præordinato, nego; in aliis, conc. Etenim cursum naturæ servari est conveniens secundùm quod est à Divinâ providentiâ ordinatus: unde si ordo Divinæ providentiæ habet quod aliquid secùs agatur, non est inconveniens. Ad 5^{m} dist. min.: Bonum totale Universi quod consistit in ordine omnium causarum, est maius bono particulari hominis, transeat; bonum partiale, quod consistit in ordine alicuius causæ tantùm, nego. Deus autem faciendo præter cursum naturæ non removet totum ordinem Universi, in quo consistit bonum ipsius; sed ordinem alicuius particularis causæ ad suum effectum. Unde non est inconveniens, si aliquando contra cursum naturæ aliquid fiat ad salutem hominis, quæ consistit in ordinatione ipsius ad ultimum finem Universi. Et hinc licèt, Deo volente, totus Universi ordo tolleretur ad perducendum homines ad Divinam cognitionem, nonne id fieret ad bonum maius bono materiali Universi?

590 Obi. 2° cont. II^{m}: Miraculum est effectus quidam finitus; sed effectus finitus à finitâ causâ produci potest: ergo. Et quidem Adrianum, Vespasianum, Appollonium, Tyanæum, Pythagoram, et quosdam alios miracula patrasse fertur. ℟. dist. min.: Effectus finitus aliquis et aliquo modo à causâ finitâ produci potest, conc.; effectus finitus quilibet et quocumque modo à causâ finitâ produci potest, nego. Itaque finita virtus potest aliquem effectum inducere, non tamen quemlibet, nec quolibet modo; quia omnis virtus finita habet determinatum modum agendi. Hinc quamvis miraculum in se opus finitum sit; tamen quoad modum productionis, qui supremum exposcit in creaturas dominium, est infinitum, atque adeò exigit virtutem infinitam. Gentilium porrò quorumdam, quæ circumferuntur, miracula nullam fidem merentur: nam

vel idoneis testibus carent, nec naturalem hominis virtutem superant; vel simulatè facta sunt, ut quæ de Vespasiano et Adriano Tacitus et Valerius Maximus referunt.

591 Obi. 3° : Angeli possunt virtute propriâ miracula facere: ergo. Ant. prob.: Miraculum propriè dicitur, cùm aliquid fit præter ordinem naturæ; sed Angeli possunt facere præter ordinem naturæ, quoniam virtus eorum est superior, nec subiecta ordini inferiorum causarum: ergo. ℟. 1° dist. min.: Angeli possunt facere præter ordinem naturæ corporalis, transeat; præter ordinem totius naturæ, nego. Iam verò hoc requiritur ad miraculum propriè dictum. 2° Nego min. et dist. implicitam prob.: Angelorum virtus est superior, ita ut inferiores causæ illis obediant ad nutum, nego: ita ut solum obediant in illis, ad quæ sunt in potentiâ immediatâ, conc.

592 Unde cùm natura corporalis nata sit moveri immediatè à naturâ spirituali secundùm locum, Angeli sive boni sive mali movendo localiter aliquod corpus, adhibere possunt aliqua naturaliter activa ad effectus aliquos producendos; sicut etiam ars fabrilis adhibet ignem ad mollificationem ferri; sic ergo licèt tales effectus simpliciter *miracula* dici non possint, quia ex naturalibus causis proveniunt, *mirabilia* tamen redduntur nobis (atque adeò miracula sunt impropriè dicta) dupliciter. Uno modo ex hoc quòd per spirituales substantias tales causæ modo nobis inconsueto ad proprios effectus apponuntur: unde ingeniosorum artificum opera mira redduntur, cùm ab aliis non percipitur qualiter operantur. Alio modo ex hoc quòd causæ naturales appositæ ad effectus aliquos producendos, aliquid virtutis sortiuntur ex hoc quòd sunt instrumenta spiritualium substantiarum; et hoc magis accedit ad rationem miraculi. *D. Th. lib. III. cont. Gent. c.* 103.

593 Obi. 4° : Dæmones propriâ virtute patrarunt miracula, ut illud de Fortunæ simulacro quod erat Romæ, quodque locutum esse, refert D. Aug. lib. IV. de Civ. Dei c. 19, *atque dixisse non semel sed iterum: quod eam ritè matronæ dedicaverint.* Magos quoque in Ægypto incantationibus suis miracula fecisse, legimus Exod. c. 7.

Hinc Christus Dominus ut tempore Antichristi caveamus, præmonuit Matth. 24. v. 24: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia:* ergo. ℟. dist. ant.: Dæmones patrarunt miracula vera seu propriè dicta, nego; apparentia seu impropriè dicta, conc. Siquidem ea tantùm opera faciunt, quando permittuntur à Deo, quæ mira hominibus videntur.

594 Possunt enim Dæmones mirabiliter operari, tum per veram corporis transmutationem, virtutes aliquas naturales, quæ in corporibus inveniuntur, ad aliquem effectum celeriter applicando (n. 220), quomodò fecisse videntur in Ægypto vocati à Magis; tum per quamdam illusionem sensuum ex aliquâ immutatione imaginationis. Neutra tamen operatio est miraculosa, sed per modum artis. Quare locutum esse simulacrum, *si verum sit*, addit D. Aug. *mirari nos non oportet. Non enim malignis dæmonibus etiam sic difficilè est fallere;* cùm locutio illa effici possit à Dæmone per motum aëris sonum formando similem humanæ locutioni. Apparentia quoque erunt illa prodigia, de quibus loco citato Matthæi. Et ideò præmonuit nos Christus Dominus, ut ea solerter à veris miraculis distinguamus, ne decipiamur.

595 Sed quomodò, inquies, id præstare possumus, si dubium occurrat an factum supra naturæ vires sit, nec ne? ℟. distingui posse, sequentia attento examine ponderando: 1° *finem;* vera namque miracula semper fiunt ad veritatem et sanctitatem confirmandam, et ideò quæ hunc finem non habent falsa sunt: 2° *apparatum* quo fiunt; nam Dei miracula summâ simplicitate fiunt, solo imperio plerumque aut simplici contactu, cùm nullus sit interventus causarum secundarum: 3° *durationem;* nam vera miracula veram rem inducunt, quæ permanere possit, non autem ea quæ fiunt per illusionem, quæ citò evanescit. 4° *eventum;* nam vera miracula tandem falsa confundunt aut evertunt, ut contigit in miraculis, quæ fecerunt in Ægypto Moyses et Magi Pharaonis, quibus hi tandem à Moyse convicti vel inviti fassi sunt: *Digitus Dei est hìc.* Exod. c. 8. v. 19.

596 Obj. 5° cont. III^{m}: Ut miraculo veritas firmaretur,

opus esset intellectum convinci miraculo ; sed intellectus nequit convinci miraculo : ergo. Min. prob. : Duobus momentis intellectui propositis illo convincitur, quod fortius est ; sed viso etiam miraculo fortius esse debet momentum iudicii præconcepti longâ experientiâ de constanti cursu naturæ, quàm unicum testimonium sensûs de miraculo : ergo. ℟. dist. 2^{m} min. : Fortius esse debet momentum iudicii præconcepti de constanti cursu naturæ, si præconceptum esset sine ullâ exceptione, conc. ; si præconceptum est cum exceptione, nisi ipsius naturæ auctor aliter operari velit, nego. Siquidem hoc est iudicium, quod habent homines de cursu naturæ : unde viso miraculo, quod hanc exceptionem in casu probat, mox assentiunt seu convincuntur.

§ III.

DE PROPHETIIS.

597 Prophetia, sic dicta à græco *pro* latinè procul et *phanos* apparitio, consistit in cognitione eorum, quæ sunt procul et remota ab hominum cognitione. Horum autem est triplex gradus. Quorum unus est eorum, quæ sunt procul à cognitione huius hominis, non autem à cognitione omnium hominum : sic Elisæus propheticè cognovit quæ Giezi discipulus eius in absentiâ fecerat, ut habetur IV. Reg. 5. Secundus gradus est eorum quæ excedunt universaliter cognitionem omnium hominum, non quia secundùm se non sint cognoscibilia, sed propter defectum cognitionis humanæ : sicut mysterium Trinitatis, quod revelatum est per Seraphim Isai. 6. Ultimus autem gradus est eorum quæ sunt procul ab omnium hominum cognitione, quia in se ipsis non sunt cognoscibilia : ut contingentia futura, quorum veritas non est determinata. *D. Th.* 2. 2. *q.* 171. *a.* 3. Itaque ultimi gradûs prophetia propriè et strictè sumpta est : *Prædictio certa futuri alicuius eventûs, qui in causis naturalibus prævideri non potuit.* Et de hac nunc loquimur præcipuè.

598 Conclusio : [1] *Prophetiæ solus Deus auctor est ;* [2] *ac proinde ineluctabile est argumentum veritatis illius,*

in cuius gratiam funditur. Prob. 1ª pars: Ille solus prophetiæ auctor est, qui futura contingentia certò noscit; sed solus Deus futura contingentia certò noscit: ergo. Min. prob.: Huiusmodi futura certò cognosci non possunt nisi in Dei decretis; sed decreta Dei ipse solus noscit: ergo. Equidem futura contingentia antequam sint præexistunt in duobus, scilicet in præscientiâ Divinâ et in causis creatis; sed in causis creatis non omnia præexistunt, et quæ præexistunt, non præexistunt immobiliter.

599 Etenim quorundam futurorum rationes Deus in se retinuit, rebus creatis eas non infundendo; sicut eorum quæ miraculosè fiunt: et quantùm ad futura quæ præexistunt in causis creatis, cùm earum vis impediri possit, non præexistunt immobiliter. In Divinâ autem præscientiâ omnia futura sunt immobiliter; quia futura subduntur Divinæ præscientiæ non solùm secundùm ordinem causarum suarum ad ipsam, sed etiam secundùm exitum ordinis vel eventum. Præcognitio igitur futurorum unicè certa est et immobilis prout rationes futurorum sunt in mente Divinâ, à qua derivantur in mentem Prophetæ. *D. Th. q.* 12. *de ver. a.* 3.

600 Confirmari etiam potest ex populorum consensu, qui oracula sua et vates seu divinos à Deo suo inspiratos admirabantur, et quamquam eorum plerique per hæc à Dæmone variè delusi nimiam eorum credulitatem et ignorantiam prodant; tamen divinum opus esse prophetiam existimare significant. 2ª pars patet ex his quæ diximus de miraculis n. 586. Illud tamen animadvertimus, prophetiam cautè expendendam esse cùm vim probationis non habeat, nisi quatuor hæc, præter finem rectum ut in miraculo exegimus, in ipsa deprehendantur: 1° ante eventum datam esse oportet verbis ad contrarios sensus non flexibilibus: 2° eventum verè habuisse illum quem prædixit: 3° eventum hunc nullatenùs ex causis naturalibus potuisse prævideri: 4° nec eum fortuito cum prophetiâ consentire, quod circumstantiarum concursus evincet.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

601 Obi. 1° cont. 1m partem : Dæmones multa prædixerunt, ut morbos, tempestates cæt. eventu vera comprobata : ergo. ℟. dist. ant. : Dæmones multa prædixerunt certò et extra causas naturales, nego ; coniecturaliter ex ipsis causis naturalibus, conc. Sicque prophetiæ nisi admodum impropriè dici non possunt. Nam maligni spiritus, sicut abutuntur operatione miraculorum ut errorem inducant, tamen non vera miracula faciendo, sed ea quæ hominibus miraculosa apparent ; ita etiam abutuntur propheticâ prænuntiatione, non quidem verè prophetando, sed prænuntiando aliqua secundùm ordinem causarum homini occultarum, ut videantur futura præcognoscere in se ipsis : et licèt ex causis naturalibus effectus contingentes proveniant, prædicti tamen spiritus subtilitate intellectûs sui magis possunt cognoscere quàm homines ; quia cognoscunt quando et qualiter effectus naturalium causarum impediri possint : et ideò in prænuntiando futura mirabiliores et veraciores apparent quàm homines quantumcumque scientes. *D. Th. lib. III. cont. Gent.* c. 44.

602 His accedit, dæmones prænuntiare aliquandò quæ ipsi facturi sunt. *Accipiunt enim*, inquit D. Aug. de divinat. dæmon. c. 5. *sæpè potestatem et morbos immittere et ipsum aërem vitiando morbidum reddere, et perversis atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere.* Quòd si aliquando aliquid prædicunt supra omnem naturæ facultatem, ut cùm ruinam cultûs quem ipsis idololatræ exhibebant prænuntiarunt ; id ex divinis oraculis quæ anteà prædixerant agnoverunt. Cæterùm ubi sic res non erat illis comperta, responsa dabant obscura et ambigua, ut interpres egeret interprete, sicut fatetur *Cic. lib. II. de divinat. c.* 56.

603 Urgebis : Dæmones suis prophetis revelarunt aliqua, quæ ad prophetiam propriè dictam pertinent : ergo. Ant. prob. : Balaam fuit propheta dæmonum ; sed multa prænuntiavit vera, quæ ad prophetiam propriè dictam pertinent, sicut est id quod habetur *Numer.* 24.

v. 17 : *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel :* ergo. ℟. dist. min. : Balaam multa prænuntiavit vera, quæ ad prophetiam propriè dictam pertinent, instructus à dæmone, nego ; inspiratus à Deo, conc. Ut enim explicat S. Th. 2. 2. q. 172. a. 6. prophetæ dæmonum non semper loquuntur ex dæmonum revelatione, sed interdum ex inspiratione Divinâ : sicut manifestè legitur de Balaam, cui dicitur Dominus esse locutus *Numer.* 22. licèt esset propheta dæmonum ; quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Unde et per prophetas dæmonum aliqua vera prænuntiat, tum ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex adversariis testimonium habet ; tum etiam quia cùm homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur ; unde etiam Sybillæ multa vera prædixerunt de Christo.

604 Obj. 2° contra 2ᵐ part. concl.: Prophetæ divinitùs afflati aliqua prænuntiarunt, quorum eventus nullus fuit : ergo. Ant. prob. : Isaias c. 38. prophetavit Ezechiæ ægrotanti : *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives*, qui tamen sanatus est : et Ionas Propheta c. 3. prænuntiavit Ninive subversionem post quadraginta dies, nec tamen est subversa : ergo. ℟. dist. ant. : Prophetæ divinitùs afflati aliqua prænuntiarunt prophetiâ *prædestinationis* aut *præscientiæ*, vel absolutâ, quorum eventus nullus fuit, nego ; prophetiâ *comminationis*, seu conditionatâ, conc. Quandoque enim fit prophetica revelatio solummodò de ordine causarum ; quandoque verò de impletione ordinis : hæc dicitur prophetia prædestinationis seu præscientiæ ; illa comminationis, quæ propriam veritatem non amittit, etsi aliquando eventus non sequatur.

605 Siquidem in prophetiâ comminationis revelantur futuri effectus, non secundùm eventum, sed secundùm quod sunt in causis suis, et tunc nihil prohibet si causæ impediantur, quod etiam Prophetæ prænuntiatio immutetur. Prænuntiavit enim Isaias mortem futuram Ezechiæ secundùm ordinem dispositionis corporis, et Ionas subversionem Ninive secundùm exigentiam meritorum. Unde omninò vera est prophetia comminationis. Nam si referatur ad ordinem causarum, quem directè respicit, sic est

absque omni conditione : absolutè enim est ita ordinatum esse in causis ut hoc contingat. Si autem referatur ad eventum quem respicit indirectè, sic intelligenda est sub conditione causæ : et tamen supernaturalis est, quia naturali cognitione non potest sciri etiam causâ existente, utpote iniquitate remanente, quòd talis pœna vel talis determinatè secundùm Divinam iustitiam debeatur. *D. Th. q.* 12. *de ver. a.* 10.

606 Obi. 3° : Prophetiâ propriè dictâ confirmari potest etiam idololatria ; cæteroquin frustrà præceptum esset Deuter. 13. : *Si surrexerit in medio tui Prophetes... et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : eamus et sequamur deos alienos... non audies verba Prophetæ illius :* ergo. ℟. nego ant. Et explico Deuter. verba primò sic : Non audies verba Prophetæ illius, qui in idololatriam lapsus, auctoritate quam sibi prophetiæ dono conciliaverat, abutitur ad cultum veri Dei evertendum. Deinde, quoniam non est necesse ut de verâ prophetiâ unicè intelligantur verba illa, præceptum illud probabiliùs omnes Prophetas tangit et falsos et veros ; atque horum respectu exprimitur per hypothesim impossibilem ad legis præstantiam altiùs inculcandam, veluti in hunc modum : *Si surrexerit in medio tui Prophetes quicumque sit, etiam per impossibile verus, et prædixerit cæt.* Huiusmodi locutionis modo usus est D. Paulus ad Galat. c. 1 : *Licèt nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quòd evangelizavimus vobis, anathema sit.*

§ IV.

VERA RELIGIO DEMONSTRATUR.

607 *Ea quæ homo per se non videt*, ait D. Th. lib. III. cont. Gent. c. 154, *cognoscere non potest, nisi ea recipiat ab eo qui videt.... Hic autem Deus est, qui se ipsum perfectè comprehendit.* Oportet igitur veram Religionem, ad quam naturalis ratio non potest per se assurgere, à Deo in nos provenire. Atque potuit utique Deus

singulis hominibus notam facere voluntatem suam revelatione privatâ, sicque eos plenissimè instruere de his ad quæ ipsi per se non valent : sed convenienter disposuit, ut aliquibus Sanctis facta revelatio in societate quadam religiosâ signis evidentissimis publicè præluceret, ut cum eâ vera Religio ad finem usque mundi manifestiùs duceretur. Igitur societas illa, cuius Religio divinæ revelationis fulget signis, veram habet Religionem veramque viam, qua itur ad Deum. Quænam ista sit societas inter omnes, quæ sibi de verâ Religione blandiuntur; seu quænam sit vera Religio inter eas, quas societates variæ profitentur, ex signorum examine comperietur.

608 I^a^ conclusio : *Veram extare Religionem aliquam divinitùs acceptam, nemo, qui de Deo rectè sentiat, potest in dubium vertere.* Prob. : Qui de Deo rectè sentit, summè providum, liberalem et bonum agnoscit; sed tam Dei providentia, quàm eius liberalitas et bonitas, Religionem aliquam Deum revelasse convincunt : ergo. 1° *providentia :* Hæc enim homines ad finem supra naturam ordinavit, qui solâ Religione divinitùs acceptâ consequi potest n° 557; sed nequit concipi, Deum summè providum ordinasse genus humanum ad finem sine mediis ad illum consequendum : ergo. 2° *liberalitas* : Homo suam perfectionem habere non potest nisi de Religione instructus à Deo n° 570; sed conditor liberalis opus suum sine perfectione non derelinquit : ergo.

609 3° *bonitas :* Inest homini naturale desiderium videndi Deum ut est in se, quod in naturali Dei cognitione non quiescit, cùm viso effectu incitetur ad cognoscendam causam, *D. Th. lib. III. cont. Gent. c.* 50 ; sed ne cogitari quidem potest, Deum summè bonum negligere omnes homines semper anxios et desiderantes : ergo Religionem relevavit, quæ hominem ad suum finem duceret, perficeret, et tandem plenè cumulatèque bearet. Certè si temporali hominum vitæ tanta providit Deus, quanta in hoc mundo conspicimus; æternam non curasse sentire quis poterit? Huc recurrent quæ deinceps pro III. conclusione afferemus.

610 II^a^ conclusio : *Una solùm Religio vera est.* Prob. :

Vera Religio verum cultum vero Deo defert; sed verus Deus unus est, unus etiam cultus verus: ergo. 1ª pars min. probata manet nº 509. 2ª prob.: Cultus aut est contrarius rationi et revelationi, aut ipsis conformis; si contrarius verus non est, si conformis unus substantialiter est, licèt variationes quasdam contineat accidentarias: aliunde nequit esse rationi conformis ac revelationi contrarius, vel è converso, ut alibi dictum est nº 42: ergo verus cultus unus est; et ita una tantùm vera Religio, quæ non aliter quàm ex veri cultûs diversitate, aut vero rum Numinum pluralitate plùs quàm una esse posset.

611 IIIª conclusio: *Christiana Religio vera est et divina: quapropter ea sola potest hominem ducere in beatitudinem.* Religio Christiana illa est, quam Iesus Christus instituit, Apostoli ipsius iussu per orbem divulgarunt, atque in libris novi Testamenti, præcipuè quatuor Evangeliis à Sanctis Matthæo, Marco, Lucâ, et Ioanne conscriptis, continetur. Hæc Religio tot tamque fulgentibus Divinitatis signis resplendet; ut infeliciter excæcatum esse oporteat, qui vel uno tantùm semel percepto, veram atque Divinam non fateatur. Præcipua dumtaxat adducemus, doctrinæ scilicet sanctitatem, miracula, singularem propagationem, prophetias, ac Martyrum testimonium. Itaque

612 Prob. 1º *ex doctrinæ sanctitate:* Doctrina omninò sancta nonnisi à Deo sanctitatis fonte et primâ veritate oriri potest; sed talis est doctrina, quam Christiana tradit Religio: ergo. Profectò sive eius dogmata considerentur, sive cultus, sive morum præcepta, sive etiam consilia, nihil non purum, non sanctum redolent. Non est in eâ deorum pluralitas, nec imbecillis Deus, qui nec nostra consideret, qualem sibi finxerunt gentes: sed Deus unus, omnipotens, providus, summèque perfectus. Non aræ humanis victimis cruentatæ, nefandisque ritibus dehonestatæ: sed immaculata hostia cæremoniis gravissimis oblata. Non adulterium, non furtum approbatum, non latens mali voluntas inulta: sed præcepta illa atque consilia data, quæ ad Dei amorem et proximi, ad mutuam pacem, ad hominum felicitatem, actus omnes etiam

internos animi conceptus dirigunt et perducunt. Quo nihil sanctius excogitari potest.

613 Prob. 2° *ex miraculis:* Certè doctrina in cuius gratiam fiunt vera est, n° 586: Christus autem suam doctrinam innumeris firmavit miraculis. Etenim *opera visibiliter ostendit,* ait S. Th. lib. I. cont. Gent. c. 6. *quæ totius naturæ superant facultatem, videlicet in mirabili curatione languorum,* præsertim illius paralitici, qui triginta et octo annos habebat in infirmitate suâ, Ioan. 5: *mortuorum suscitatione,* ut Lazari, Ioan 11: et potissimùm resurrectione sui ipsius, Matth. 28: *cælestium corporum mirabili immutatione,* quæ apertè facta est in obscuratione Solis tempore mortis suæ, Luc. 23: et quod est mirabilius, *humanarum mentium inspiratione*, ut idiotæ et simplices dono Spiritus Sancti repleti summam sapientiam et facundiam in instanti consequerentur; ut universa spectante Hierosolymâ Apostoli in die Pentecostes consecuti sunt loquentes variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, Act. 2. Hinc Evangelii prædicatores effecti miraculis etiam illud comprobarunt; unde grande aliud miraculum patratum est, Religionis scilicet propagatio. Quapropter

614 Prob. 3° *ex mirabili per orbem propagatione:* Quæ absque humanis subsidiis tunc facta, cùm idololatriâ in gentes effussâ ingens erat morum corruptio, solùm Deum habere potest autorem. Siquidem *prædictæ probationis efficacia*, prosequitur S. Th. loc. cit. *non armorum violentiâ, non voluptatum promissione, et quod est mirabilissimum, inter persecutorum tyrannidem innumerabiles turbas non solùm simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum ad fidem christianam convocavit: in qua omnem humanum intellectum excedentia prædicantur, voluptates carnis cohibentur, et omnia quæ in mundo sunt, haberi contemptui docentur. Quibus animos mortalium assentire et maximum miraculum est et manifestum Divinæ inspirationis opus, ut contemptis visibilibus, sola invisibilia cupiantur..... Hoc autem non subitò neque casu, sed Divinâ dispositione factum esse manifestum est ex hoc, quod hoc se facturum Deus*

multis antè Prophetarum prædixit oraculis. Igitur

615 Prob. 4° *ex prophetiis :* Veram esse atque à Deo revelatam Religionem illam quæ veris firmatur prophetiis, compertum est n. 598. Iam verò Christiana Religio splendidissimas habet. Operosum esset proferre omnes, quibus veteres populi iudaici Prophetæ à remotissimis temporibus prænuntiarunt Christi nativitatem, passionem, mortem, resurrectionem, Spiritûs Sancti missionem, et alia quamplurima unà cum pluribus circumstantiis, in quibus hæc omnia evenerunt. Tres tantùm notabimus de adventu nempè Messiæ, de Templi populique Iudaici excidio, et de Gentium vocatione. Prima legitur Gen. 49. ubi Iacob divinitùs afflatus sic loquitur : *Non auferetur sceptrum de Iudâ, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Quo quidem ablato sceptro advenit Christus ; et transmissum tunc ad Romanos agnoverunt ipsimet Iudæi clamantes : *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, Ioan. 19. v. 15.

616 Altera habetur Dan. c. 9. cui archangelus Gabriel tempus liberationis humanæ aperiens, post hebdommadas scilicet septuaginta, hæc addit : *Occidetur Christus ; et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo : et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* Quæ omnia post triginta sex, aut triginta septem annos à morte Christi Iudæis advenisse, adversùs eos rebellantes misso à Romanis exercitu sub Tito duce, narrat coævus auctor Iosephus iudæus lib. 7. *de Bello iudaico.* Tertia profertur à Malachiâ c. 1 : *Non est mihi voluntas in vobis* (scilicet Iudæis, quibus solis lex vetus data est) *dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus : et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus.* Quod vaticinium, eventu ante omnium oculos posito sicut et præcedentia, conspicuum est.

617 Prob. 5° *ex Martyrum testimonio :* Ingens enim multitudo hominum diversarum conditionum acerbissimos

cruciatus et mortem crudelem oppetere alacri lubentique animo, ne eam Religionem, quam semel agnoverunt veram suæque saluti utilem, amittant; non nisi Dei opus esse potest, quo doctrinam suam confirmat. Ecquis enim hominum innumeros alios inducere posset, ut sic pro humanâ quapiam doctrinâ mactari se sinerent? Religio autem Christiana huiusmodi Martyres seu testes habet; ut sola historia persecutionum, quas Ecclesia sustinuit ab ethnicis Imperatoribus in tribus prioribus sæculis, dubitare non sinit. Quippè iam tunc *ingens fuit Martyrum multitudo diversarum conditionum*, omnis ætatis, sexûs, regionis atque ordinis homines complectens: *qui acerbissimos cruciatus et mortem subierunt crudelissimam*, aut crucibus affixi, aut flammis combusti, aut feris obiecti, aut novâ excogitatâ morte enecati: *idque, cum uno solo verbo possent effugere, alacri lubentique animo sustinebant;* quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, cuius laudes plurimi in tormentis decantabant: ergo vera est et divina Christiana Religio, quæ divinæ virtutis tam luculentis signis firmatur.

618 Hinc confectum est etiam illud, quod additur in conclusione, solam Religionem Christianam posse hominem ducere in beatitudinem; cùm ea sola edoceat nos media divinitùs instituta, quibus à peccato resurgere, et ad finem tendere debeamus. Quapropter qui eâ carent quamvis purè negativè (ut sunt omnes, qui nihil umquam de Religione Christianâ audierunt, quique ideò infideles *negativi* dicuntur ad distinctionem eorum qui ei semel agnitæ resistunt, et vocantur infideles *positivi*) etsi non pereant ob Religionis contemptum; pereunt tamen ob alia peccata, à quibus sine illâ mundari non potuerunt, et in quorum pœnam ad eos Religionis auxilium non pervenit. *Si tamen aliquis*, inquit S. Th. q. 14. de ver. a. 11. *nutritus in silvis, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fugâ mali; certissimè est tenendum, quòd ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium,* Act. 10.

619 Ex dictis colliges, reliquas omnes scholas à Christianâ diversas falsam habere religionem, ac proinde superstitiosas esse; cùm una sola Religio vera esse possit n. 610, et hæc sit Christiana n. 611. Itaque aut rationi aut revelationi contradicunt omnes. 1°: Atheismus, manicheismus, polytheismus, deismus, idololatria, mahometismus, naturalismus, indifferentismus (qui aut nullum Deum, aut duos pluresve, aut sine providentiâ, aut creaturam, aut corporeum agnoscunt, aut solâ ratione ducuntur, aut quamlibet religionem approbant ut veram) et rationi et revelationi adversantur. 2° Iudaismus actualis (nam antiquus seu verus à Deo institutus desiit adveniente lege novâ, ut erat prænuntiatum) qui et Christum verum Deum non agnoscit, et Messiam adhuc expectat, revelationi quoque repugnat. 3°: Lutheranismus, calvinismus, atque sectæ omnes seu hæreses desciscentes à Christi Ecclesiâ, cuius visibile caput est Romanus Pontifex Petri succesor claves habens Regni cœlorum, falsæ etiam sunt atque superstitiosæ, utpote revelationi contrariæ. Nam etiam illa quæ tenent Evangelio consentanea, proprio sensu tenent, non fide divinâ, dicente D. Aug. lib. XVII. cont. Faust. c. 3: *Qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potiùs quàm Evangelio creditis* (1).

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

620 Obi. 1° cont. I^{m}: Qui de Deo rectè sentit perfectam agnoscit Religionem naturalem, cùm Dei perfecta sint opera; sed agnitâ Religione naturali perfectâ, non est necesse de Religione revelatâ cogitare: ergo. Prætereà: Si homo pro comperto haberet, aliquam extare Religionem divinitùs acceptam quæ ipsum obligaret, sequeretur

---

(1) *Ex his liquet, huiusmodi sectas falsò appellari* christianas; *à Christi enim doctrinâ deficiunt. At quoniam hoc nomen sibi arrogant, ut ab illis vera Religio distinguatur, dicitur hæc* Christiano-catholica, *seu absolutè* Catholica, *hoc est Universalis.*

inde, teneri etiam ad percurrendum regiones omnes, cultus omnes inquirere, examinare, invicem conferre, ut veram Religionem assequeretur; sed nemo sentiet Deum voluisse, omnes homines continuè in inquirendo versari: ergo.

621 ℟. ad 1^m dist. mai.: Qui de Deo rectè sentit Religionem naturalem agnoscit perfectam nunc, obnubilatâ per peccatum ratione, nego; agnoscit perfectam institutam esse à Deo, subdist.: perfectam in suo genere, pro his scilicet quæ ad rationem naturalem pertinent, conc.; pro his quæ sunt supra rationem, nego mai. Et dist. min.: Agnitâ Religione naturali perfectâ sufficienter pro hominis exigentiâ, non est necesse de revelatâ cogitare, conc.; perfectâ in suo genere tantùm, nego. Ad hoc enim data est Religio revelata, quæ perfecta etiam est in suo genere, ut naturalem adiuvet et compleat. Ad 2^m nego mai. Etenim nec inquisitio illa nec examen necessaria sunt. Sufficit Religionem veram ex certis signis deprehendere, et hoc ipso investigatum est, reliquos omnes cultus superstitiosos esse: n. 619.

622 Obi. 2° cont. II^m: Vera erat Religio, quæ ab Adamo ad Moysen obtinuit, in qua sacerdotium erat penes patres-familias et primogenitos, victimas ex interiori instinctu determinatas offerentes: vera etiam Religio à Moyse ad Christum, in qua sacerdotes erant unicè de stirpe leviticâ, qui victimas immolabant iuxta legis præscriptum: vera quoque Religio Christiana, in qua nunc quilibet benè moratus et instructus de populo vocatur ad sacerdotium, quo Christi Corpus una omnibus æquivalens victima ex ipsius Christi institutione offertur; sed hæ Religiones diversæ sunt, ut sunt diversæ earum victimæ et sacerdotium: ergo. ℟. dist. min.: sunt diversæ essentialiter, seu substantialiter, nego; accidentaliter seu modaliter, conc.

623 Ut enim ait D. Aug. Epist. 102: «Quemadmodum « unus idemque homo, si Deo mane aliud offerat, aliud « vespere, pro congruentiâ diurni temporis, non Deum mu- « tat nec Religionem; sicut nec salutationem qui alio modo « mane, alio vespere salutat: ita in universo tractu sæcu- « lorum, cùm aliud oblatum est ab antiquis sanctis, aliud

« ab eis qui nunc sunt offertur non humanâ præsumptione « sed auctoritate divinâ, temporibus congrua sacra mys- « teria celebrantur, non Deus aut Religio commutatur ». Quapropter ipse S. Doctor multis in locis observat, sanctos omnes qui fuerunt ab exordio mundi, quique fide in Christum Mediatorem vixerunt omnes, etsi non nomine, reipsâ tamen fuisse Christianos.

624 Obi. 3° contra III^{m}: Christianæ Religionis veritas fulcitur libris tum veteris, tum novi Testamenti; sed ex huiusmodi libris nihil certi haberi potest: ergo. Min. prob. 1°, quia de horum librorum authenticitate non constat; nam veri Hebræorum libri arserunt, succensâ Ierusalem à Chaldæis: Christianorum autem admodum suspecti sunt; multa enim iam à primis Ecclesiæ sæculis prodierunt scripta sub nomine Christi et Apostolorum, quæ apocrypha seu supposita et falsa deprehensa sunt. 2°, quia tanto temporis tractu multisque confectis exemplaribus adulterari potuerunt. 3°, quia ea, quæ in ipsis narrantur, omnimodam fidem non sibi vindicant; perierunt enim multa veterum Philosophorum scripta, quibus fortè mendacium detegeretur. Quæ si omnia vera sunt, qui fieri potuit ut Iudæi adminùs, apud quos illa dicta factaque sunt, non converterentur omnes? ergo. ℟. nego min. eiusque probationes. Etenim 1° seclusâ adhuc revelatione, qua certò constat de sacrorum librorum authenticitate, nullum de eâ extare potest dubium; nisi velis scepticismum reducere, et receptissima apud omnes Homeri, Ciceronis, Virgilii aliorumque opera, illis abiudicare.

625 Certè veteris Testamenti libri summâ religione à Iudæis semper ut divini habiti sunt et habentur, qui ut sunt Christiani nominis hostes falsitatem, si qua esset, aperuissent: non ergo exemplaria omnia deperdita fuere in destructione Ierusalem. Novi autem Testamenti libros etiam ipsi nascentis Ecclesiæ inimici tum hæretici tum pagani ut genuinos receperunt, nec umquam librorum suppositionem Christianis obiecerunt. Quod additur de libris apocryphis ad rem nostram facit. Hinc enim eruitur summâ vigilantiâ iam à primis Ecclesiæ sæculis hac

in re se gessisse fideles, ne Religio inventis humanis corrumperetur, qui proinde etiam cæteros reiecissent, nisi de eorum authenticitate constaret. 2° Fieri numquam potuit ut vitiarentur quoad substantiam : non tempore Apostolorum, qui certè fideles admonuissent; non postea, nemine reclamante. Etenim post Apostolorum discessum iam innumera erant exemplaria, innumeræque versiones per totum orbem dispersæ, quas omnes vitiari impossibile est. De quibus quæso libris authenticos esse aut integros ita certò constat, sicut de libris sacris ?

626 3° : Quoad facta, quæ in his libris narrantur, nullum suboriri potest dubium ; publica admodum sunt maximi momenti, ab ipsis Pharisæis admissa quorum intererat negare, et ab iis vulgata scriptoribus, qui vel testes fuerunt oculati vel his coævi, et qui pro illis evulgandis gravissima tormenta et mortem subire non recusarunt. Ex scriptis autem Philosophorum, quæ perierunt, nihil Deistæ possunt hariolari contra Religionem, nam etiam cum extabant non valuerunt eius propagationem impedire ; nec, si tanti essent momenti, Religionis hostes ea ita obliterari permisissent. Ex cæcitate autem populi Iudæorum (quamquam magnus eorum numerus fuit conversus) Christiana potiùs confirmatur Religio, in cuius gratiam prædicta illa fuit à Prophetis. Oritur autem horribilis hæc cæcitas, sicut et incredulorum omnium, non ex probationum, quibus vera Religio micat, defectu ; sed ex humani cordis corruptione, qua interno lumini occluditur via.

627 Obi. 4° : Miracula à Christo verè fuisse edita res est non omnimodè explorata : ergo. Ant. prob. 1° : Ea solùm referunt Christiani, nec expensa fuerunt à Iudæis; quare ignara et infima plebs ea tantùm recepit. 2° : Ipse Christus noluit doctrinam suam miraculis confirmare. Hinc Herodi et Pharisæis illa postulantibus denegavit : ac duobus cæcis quibus visum restituit Matth. 9. *comminatus est dicens : videte ne quis sciat.* Hinc etiam in extremo iudicio contemptores suos non per miracula, sed per sermonem suum esse indicandos, asseruit, Ioan. 12. v. 48 : *Qui spernit me... sermo, quem locutus sum, ille*

iudicabit eum in novissimo die. 3° : Præcipuè miraculum resurrectionis Christi, quod fundamentum est Religionis et publicum oportebat esse, testibus caret sufficientibus et idoneis; cùm quibusdam mulieribus et Apostolis nimium credulis tantùm apparuerit Christus redivivus; et aliunde non constet, verum fuisse corpus eius, cùm similiter apparuisset corpus phantasticum, sicut apparuit Angelus qui comitabatur Tobiam. 4° : Hæc miracula ad summum his, qui aderant cùm fiebant, probare aliquid potuerunt; non autem his, qui ea non viderunt.

628 ℟. nego ant. et ad 1m prob. dicimur, nihil detrahi veritati etsi soli referant Christiani, cùm narratio sit exacta ad critices regulas; falsum autem esse, miracula Christi non fuisse à Iudæis accuratissimè expensa probat sola lectio c. 9. Ioan. ubi cæci nati illuminatio severissimo eorum examini subiicitur: nec nisi per summam inscitiam dici potest solùm fuisse recepta ab infimâ plebe; nam et multi *sacerdotes* Act. 6. v. 7. et ex *principibus* multi Ioan. 12. v. 42. crediderunt, et qui de *Cæsaris domo* erant, ad Philip. 4. v. 22. Unde cùm Apostolus ait 1æ ad Corinth. 1° v. 26 : *non multi nobiles,* intelligit de prædicatoribus, non de credentibus. Subdit enim : *Ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Quamquam *non multi nobiles* de credentibus etiam dici potest, attentâ quæ tunc iam erat eorum multitudine.

629 Ad 2m negamus, Christum noluisse doctrinam suam miraculis confirmare : *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei,* dicebat (Ioan. c. 10. v. 25) *hæc testimonium perhibent de me;* aliquibus tamen ea denegavit, quia malo animo aut ex curiositate petebant. Porrò duobus cæcis comminatus est : *videte ne quis sciat,* scilicet ad gloriam vestram. Sequitur enim : *Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in totâ terrâ illâ;* quia nempè intellexerunt, non esse ipsis prohibitum annuntiare ad gloriam Dei. Tandem sermo, qui Christi contemptores iudicabit, est sermo miraculis confirmatus, ipsomet dicen-

te : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,* Ioan. 15. v. 24.

630 Ad 3m respondet D. Th. 3. p. q. 55. a. 1 : *Eorum quæ cognoscuntur... ex speciali munere gratiæ... ut Dionysius dicit in Lib. cœl. Hier. c. 4, hæc est lex divinitùs instituta, ut à Deo immediatè superioribus revelentur, quibus mediantibus deferantur ad inferiores..... Quia igitur Christus resurrexit gloriosâ resurrectione, ideo eius resurrectio non omni populo manifestata est, sed quibusdam, quorum testimonio deferretur in aliorum notitiam.* Sed paucis, inquiunt increduli, apparuit : at in alterâ ex multis apparitionibus *visus est plus quàm quingentis fratribus simul,* 1æ ad Cor. 15. v. 6. Viri erant, reponunt illi, nimium creduli : At Dominus sæpiùs eorum ad credendum tarditatem et duritiam cordis increpavit. Idiotæ erant, cavillantur iterum, nec sunt subodorati in corpore phantastico Christum apparuisse, sicut apparuit Angelus Tobiæ : at *præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis,* Act. 1. v. 3. Quam resurrectionis veritatem etiam ipsi Apostoli postea miraculis comprobaverunt ; Angelus autem nulla dedit Tobiæ argumenta, sed apparentiam dumtaxat exhibuit, quam postea detexit, quis esset aperiens. Vide quàm levia sint quæ adversùs Dominum loquuntur impii.

631 Ad 4m : Non solùm sensus, sed etiam auctoritas tutissimum est veritatis criterium n. 22. Unde licèt miracula non videamus, tamen facta esse, certò scimus. Non videamus, inquam, omnia in se ; nam apertissimum positum in propagatione Religionis videmus, et in ipso reliqua. In quam rem appositè ait D. Th. lib. I. cont. Gent. c. 6 : « Mirabilis mundi conversio ad fidem christianam indicium certissimum est præteritorum signorum, ut ea ulteriùs iterari necesse non sit, cùm in suo effectu appareant evidenter. Esset autem omnibus signis mirabilius si ad credendum tam ardua, et ad operandum tam difficilia, et ad sperandum tam alta, Mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus et ignobilibus hominibus, quamvis non cesset Deus

« etiam nostris temporibus ad confirmationem fidei per « Sanctos suos miracula operari ».

632 Obi. 5° : Christianæ Religionis propagatio nihil divinum præsefert : ergo. Ant. prob. 1° : Superstitiosæ sectæ etiam latè propagatæ sunt, ut mahometismus, lutheranismus, calvinismus. 2° : Imperatorum præsertim Constantini Magni potentiâ, qui leges tulerunt Religioni faventes, propagata Religio fuit. 3° : Maior persecutionum pars brevis fuit durationis, ut mirum non sit, Religionem non fuisse extinctam. ℟. nego ant. et dist. 1^m prob. : Superstitiosæ sectæ propagatæ sunt cum illis circumstantiis, quibus Christiana Religio, nego; circumstantiis longè diversis, concedo. Siquidem aut armorum vi et latam cupiditatibus aperientes viam, ut mahometismus; aut excitatis seditionibus et prætextu reformationis præcepta emollientes, ut lutheranismus et calvinismus, viam in naturâ corruptâ facilem invenerunt.

633 Ad 2^m : Quàm falsum illud sit tria priora Ecclesiæ sæcula, in quibus Imperatores hostes Religionis erant nedum non favebant, luculenter probant. In illis enim propagata adeò fuit Religio, ut Tertul. tertii sæculi scriptor sic Romanis Antistitibus loqueretur Apolog. c. 37 : *Si tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis.... procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum et stuporem quemdam quasi mortuæ urbis.* Equidem Constantinus pacem Ecclesiæ dedit, eamque tum ipse, tum reliqui Imperatores Christiani ut propagarent, leges promulgarunt quibus paganismi vanitas reiiciebatur; at non suppliciis vexarunt paganos sicut prædecessores sui christianos, ut nullatenùs violentiæ, quam non intulerunt; sed divinæ virtuti tribuenda sit Christianismi propagatio, et aviti paganismi destructio.

634 Ad 3^m : Quidquid sit de cuiusque persecutionis duratione, certum est fuisse continuam sub ethnicis Imperatoribus, qui nunc magis nunc minùs in Christianos sævierunt cuncti. Et quid per hæc tria sæcula, quod certè brevis durationis tempus dicere audebit nemo? suspensa fuit Religionis propagatio? Loquatur iterum Tertul. loc.

cit. c. 50: *Plures efficimur, quoties metimur à vobis : semen est sanguis Christianorum.* Sin autem aliquo in loco, ut res hæc ad incitas deducatur, iusto Dei permissu ob hominum peccata Religio, maligno agente spiritu, deleretur; nihil inde concludere possent increduli: cùm Ecclesiæ universali, non huius aut illius loci, stabilitatem Christus promiserit. Matth. c. 16. v. 18. et c. 28. v. 20.

635 Obi. 6° : Prophetiæ, quæ ex sacris libris desumuntur, obscuræ sunt, ita ut aliter accipiantur à Cristianis, aliter à Iudæis qui Messiam adhuc expectant: ergo. ℟. dist. ant. : Prophetiæ omnes obscuræ sunt, nego; aliquæ, subdist. : Prophetiæ aliquæ obscuræ sunt et ad contrarios sensus revocabiles, nego; obscuræ sunt, sensum tamen habent fixum, quem cum aliis collatæ sat ostendunt, conc. Equidem prophetiæ aliquæ sicut et nonnulli Scripturæ textus obscuræ sunt non sine maximâ utilitate; postulant enim in legente humilitatem, quam fovent: deservit etiam hæc obscuritas *ad exercendas et elimandas quodammodò mentes legentium et ad rumpenda fastidia, atque acuenda studia discere volentium,* ait D. Aug. lib. IV. de doct. Christ. c. 8. Sed si conferantur omnia Prophetarum oracula, evidentissimè collimant ad enuntiandum Christum et eius Ecclesiam. Porrò Iudæorum conditio in id ipsum concurrit. Interim apertissimæ veritati resistunt, quam ex Scripturis haurire possunt, ut eis dicebat ipse Christus Ioan. c. 5. v. 39: *Scrutamini scripturas... illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.*

636 Obi. 7° : Ex Martyrum testimonio nihil confici potest pro Christianâ Religione: ergo. Ant. prob. 1° : Quælibet secta suos Martyres etiam laudat. 2° : Christiani Martyres passi sunt, quia Imperatoribus rebelles fuerunt. 3° : Ut aiunt Ecclesiæ Patres : *Non pœna sed causa Martyrem facit:* cùm ergo concluditur veritas Religionis Christianæ, quia Martyres habet, supponitur id quod est in quæstione, seu fit circulus vitiosus. ℟. nego ant. et ad 1^m prob. concedimus, quamlibet sectam aliquos pro se iactare Martyres; tamen numero, varietate conditionum, pa-

tiendi modo, reliquisque circumstantiis nequaquam possunt cum Martyribus Christianæ Religionis conferri.

637 Ad 2^m: Sex mille sexcenti sexaginta sex milites, quibus constabat Thebæa legio, velut agni trucidati cum duce Mauricio, quique facilè possent armis, quæ stringebant, rebellionem, siquam meditati fuissent inchoare, quàm falsum sit illud evincunt. Idola utique, quocumque existente, decreto Christiani colere renuebant, iuxta illud Act. c. 5. v. 29: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus;* at Imperatoriæ Maiestati præ cæteris addicti erant, tantùm abest ut fuerint rebelles: adeò ut, Christianis abeuntibus ex Imperio, asserere Romanis potuit Tertul. suprà cit. c. 37. Apolog: *Plures hostes, quàm cives vobis remansissent; nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum.*

638 Ad 3^m ℟. 1° dist. conseq: Cùm concluditur veritas Religionis Christianæ quia Martyres habet singilatim consideratos, supponitur id quod est in quæstione, conc.; nam veri Martyres non sunt, nisi qui pro Christianâ Religione patiuntur, quam proindè veram supponunt, quia causa Martyrem facit: cum concluditur veritas Religionis Christianæ, quia Martyres habet cùm earum circumstantiarum complexu in quibus omnes passi sunt, supponitur id quod est in quæstione, nego. Nam, adhuc reliquis probationibus sepositis, Martyrum candidatus exercitus probat, à Deo esse Religionem illam pro qua passi sunt omnes. Cùm solus Deus in confirmationem suæ doctrinæ possit tot tamque diversæ conditionis homines miris modis inclinare, ut sic patiantur. 2° nego conseq.: nullus enim committitur circulus vitiosus, nec supponitur id quod probandum est, cùm ex causâ probatur effectus et vicissim ex effectibus causa. Sic veritas Religionis Christianæ non à priori et per causam probatur ex Martyribus; sed à posteriori et per effectum seu signum, et è converso Martyres probantur veri ex Religione Christianâ, quia hæc est causa, propter quam patiuntur.

639 Obi. ult.: Non potest esse à Deo constituta pro omnibus Religio illa, cuius probationes non sunt ad captum omnium hominum; sed Christiana Religio probatio-

nibus munitur, quas simplices et rudes capere non possunt: ergo. ℟. nego min. Siquidem non est necesse probationes omnes callere; et ita callere, ut cavillationes omnes adversùs eas collectæ difflari possint: sufficit unam aut alteram probationem, qua Religionis veritas iam apparet, unicè percipere. Iam verò sanctitas doctrinæ christianæ, simulac eius rudimenta ediscuntur, à quopiam quantumvis agresti dignoscitur: similiter eius propagatio omnibus conspicua est; et qui vel minimum homines cognoscit, mox concludio: non ab homine sed à Deo Religionem, quæ huiusmodi signis fulget provenire potuisse. Et hæc dicta sufficiant pro operis completione.

INDEX.

ERRATA.

Pag.	*Lin.*		
8	28	se cernatur	secernatur
15	16	quod maximè homines	quod magnoperè
18	8	quæreret	quærere
22	28	si quæ	si qua
118	12	veaa	vera
162	15	per primum	per primam
223	5	2m	2°
226	35	fuisset	esset
236	27	Appollonium, Tyanæum	Apollonium Tyanæum
253	11	dicimur	dicimus

377